



IO STEPH
D·G
HIEPS
GNESNE PRIMAS





R.P. Fr.

ABRAHAMI BZOVII, POLONI, ORD. PRÆDIC. SS. THEOL. DOCT.

Concionum Dominicalium totius Anni:

TOMVS PRIMVS.

Opus Nouum ex Floribus S. scipt: Sanctorumq. PP. desumptum: nec non Allegorÿs. Hieroglyphicis, orphicis Sensibus. Emblematibus. Philosophorum et Principum virorum apophthegmatibus, præsertim verò historicis exemplis, ad Ethicen Christianam formandam refertum.

EDITIO ALTERA PRIORI AVCTIOR.

CVM INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS.

S. IEAN

S. LVCAS

S. MATTHÆVS

S. MARCVS

COLONIÆ
APVD ANTONIV. BOETZERV
sub signo Rubri leonis.
ANNO M.DCXVII.
Cum licentia et Priuilegio

REVERENDO,

DOCTRINA, PIETATE, AC

VIRTVTE PERQVAM SINGVLARI VIRO AC DOMINO, D. HENRICO FRANCKEN *Sierstorphio, SS. Theologiæ Doctori, Gymnasij Laurentiani Regenti vigilantißimo: Ecclesiarum S. Cæciliæ Coloniensis, & B. Mariæ Iuliacensis Canonico optimè merito, Domino & Patrono suo plurimum colendo S.*



EGESIAM Cyrenaicum Philosophum tantum facundiæ vi valuisse referunt Historici R. & Eximie D.ne vt dum mala vitæ repræsentaret, eorum miseranda imagine audientium pectoribus inserta, voluntariæ mortis oppetendæ cupiditatem multis ingeneraret. Tales hoc nostro æculo, quo nullum vnquam feracius hæresium aliorumque malorum, sterilius pietatis extitit, exoptandi Diuini verbi Præcones; dum natura humana in monstrum indomitum degenerans, cum Proteo illo Virgiliano omnium belluarũ formas & ingenia induat: Horum namque tricipitium Cerberi, variarum scilicet religionum capita gerere stat animus: isti callere dolos Caci, & animas versis viarum indicijs raptas, saxo occultare opaco gaudent; alij montes scãdere, & præcluso aditu, virulento halitu obuios quosuis præcipitare in delicijs habẽt. Et Deum immortalem, vbi nunc Hercules monstrorum domitores? vbi inuicti Heroes, qui humeros opponere huic tam immani multorum capitum belluæ, crudelique monstro ausint? Reuiuiscant vtinam prisca Ecclesiæ luminaria infractarum virium: Reuiuiscant Hercules, Hieronymi, Augustini, Athanasij, alijque prope innumeri: ostendant ensem quo clamoroso rugitu suorum temporum strauerunt hostes: Ensem quamuis reconditũ in vagina queramur, non tamen omnes hebescere eius aciem patiuntur: sed non pauci his tam horrendis monstris fortiter resistunt, vt ipsorum vires reprimant, ne longius venenum diffundere valeant: Eos verò qui Circæis poculis (hæresios scilicet aut vitæ voluptatum) in bestias mutati, non ab AEsculapio, sed à summo Medicroum Magistro sumpto pharmaco, in humanam transformare speciem allaborant. In quorum venerando cœtu R. P. Fr. ABRAHAMVM BZOVIVM, virum excellenti præditum ingenio ac doctrina, iure reposuerim: Ille enim tantus est, vt si vel hunc vnicum eius fœtum nostra contemplaretur ætas, non solum præcipitia, cruces & mortem pro Christo, suaque anima conseruanda sperneret: sed & sufficiens sibi esset tutamen contra omnes insidias tam variorum monstrorum: non pauci etiam bellui na feritate reposita, hu-

manam resumeret speciem. In hoc vnico viuerent prisci illi Ecclesiæ Doctores: si enim vegetum illi in stringendo robur & argumenta contra sæculum tam prauum, contra mores tã corruptos deesset, sola sufficeret auctoritas allata sacrarum literarum, ad capita etiam singula resecanda. Prodeat itaque Diuini verbi Præco nostras typo nostro in oras, & Christi spiritu contra immundum pugnet Spiritum; monstris istis strenuè resistat: homines vitæ lenocinijs prauisque implicatos criminibus, aut grauibus inuolutos erroribus ad saniorem mentem reuocet. Quamuis autem vis ea sit veritatis, vt contra omnium ingenia, calliditatem, solertiam, contra fictas hominum insidias facilè se per seipsam defendat: tamen nihil est tam sanctum, nihil tam firmum, quod non quorundam hominum aut demoliri, aut saltem turbare nitatur versutia. Tibi igitur hunc partum nostrum typographicum offerendum fore putaui R. admodum & Eximie Domine: tum quod tuo lumine & auctoritate osorum omnium & inuidorum nebulas facilè dissipares: tum quod vicinitatis & benignæ familiaritatis nexus exigere, vel magis honorum tuorũ primitiæ laurea Doctoralis, & dignitas tibi delata Gymnasiarchæ congratulationis loco expostulare videatur. Suscipe igitur hunc verbi Diuini Præconẽ benigno vultu, hilarique mente R. admodum & Eximie Domine, & tuis auspicijs non solum concreditum tibi Liceum, virorum Doctorum fertilissimum; sed omnis vrbs & orbis: Respice non doni magnitudinem, sed affectum donantis, qui R. & exmiam D. T. sibi, Gymnasio, totique vrbi incolumem diu exoptat. Coloniæ Vbiorum Prid. Non. Sept. M. DC. XII.

R. D. T.

quam humillimus Cliens

Antonius Boëtzerus
Bibliopola.

Illustris-

Illuſtriſs.mo & Reueren.mo D.

D. P. F. AVGVSTINO GALAMINIO BRASICHELLENSI

S. R. E. Cardinali, & totius Ordinis Prædicatorum Magiſtro Generali, Patri & Principi Colendiſs.

FRATER ABRAHAM BZOVIVS S. THEOlogiæ Magiſter, Ord. Præd. O. D. C.



NACHARSIS *Scytha illam Rempub. à mente motam Diuina aſſeuerabat, quæ* & obſtipæ ceruicis legirupas pœnis coërceret, & Magnis vitiorũ Triumphatoribus præmia decerneret. *Exploratò, & meritò. Namque ipſe ſupremus Aedilis, & illos igniuoma ira abarcet, & iſtos rutilantibus inaurat coronis, Magnum pectoris ſui Vnigenam, quod* infans ab vbere ſuper foramine Aſpidis delectaretur, *inque* cauernã Reguli mittens manum, *ludebat in capite veteratoris, non tantum Iride cinxit, ſed & manus eius ſepteno aſtro inſtellauit, & faciem inſolauit, totumque corpus radioſo paludamento amicijt: inſuper & radio Solari inſcripſit elogium,* Rex Regum & Dominus dominantium. *Docta ab illo Eccleſia ſponſa; eos qui per ſæuiſsimi Draconis olim gemmatum caput ludebant, vel ludunt, meritis diadematibus inorare, & purpuris inruſſare conſueuit. Luſiſti Tu illuſtriſsime P. toto vitæ decurſu in decemplici vertice Serpentis antiqui. Lacæna quadam Filium in aciem euntem inſtruebat.* Non mouebis *ait,* gradum Fili, ſine memoria virtutis: *id Tu tibi dictũ cenſebas, qui per magna & ardua enitendum, inque ſublimi vertice Montium nonniſi laſſo pede de illo qui deſuper montibus excelſis ceciderat triumphato, ludendũ tibi proponebas. Vnde quacunque Te ſuſpicio, aio.* Draco iſte quem *Tu Deus* formaſti, *illudendum* formaſti ad illudendum ei *à Te illuſtriſsime Princeps. Priuatum, & adhuc dum huic* mari magno *innantem, Te aquatili vomitu obruere nitebatur ille? Luſiſti de eo, cum Te ex vorticibus ſalebroſis ſubduxiſti, inque magno religionis Magnæ portu,* IN RELIGIOSISSIMO MATRIS PROVINCIARVM LOMBARDIAE COENOBIO FAVENTINO *collocaſti. Toga religionis amictum, & iam in anchoris conſiſtentem, Te afflatu peſtifero inficere conabatur? Luſiſti de capite ipſius cum Te regularis vitæ rigore, diſcendi auiditate, docẽdi acrimonia, orationis ſtudio, humilitatis profunditate, rerum, quæ alij plerumque ambiunt, contemptu, variarumque virtutum monela, & tutela ſuccinxiſti, & ornaſti. Vere ab Auguſtino, & Dominico, in quorum verba iuraſti patriſſans;* integer vitæ ſceleriſque purus. *In ſacro Lectorum gradu elatum, inanilogus te falſimonijs deludere cogitabat? Luſiſti conatus ipſius, dũ eruditione præclara in lectionibus, reſolutione profunda in deciſionibus, acrimonia indicibili in Capitulorum Generalium & Prouincialium diſputationibus publicis, caput eius detriuiſti. Iam Brixiæ, Placentiæ, Ianuæ, Mediolani, & Romæ Cenſoris Fidei munere defungens ſatis conſtãter de capite cor-*

nuto lusisti, dum te contra illos nefandos, & contra illa illa feralia, feram rabiem contra sacra Christi despumantia monstra, intrepidum obiecisti, & nō semel de sacrilegio triumphasti. Væ victis. Iam in Sacrum Palatium Apostolicum, à SS. D. N. Paulo V. summo Hierarcha Magister assumptus, nō minus de Lerneo monstro lusisti; dum in arundineto sublatentem, in explicandis asserendisque difficillimis sacræ Scripturæ sensibus clarimonia, in re Catholica tuenda, ornanda, propagandaque ardore, in sententijs sanciendis grauitate, constantiaq; depressisti. Aliquem C. Tacit. laudabat, qui vbi conuentus, ac iudicia poscerent, grauis, intentus, seuerus fuerat. Id in te magis enituit, qui in amplissimo P P. Ecclesiæ consessu, ad mentis Diuinæ consulta intentus, grauiter, & grauiter sententiā edicebas, neque raro improbitatis capiti insultabas: Musca est. Iam ad supremum Ordinis nostri Magistratum summa Patrum, ac SS. D. N. Pauli PP. Quinti voluntate electus, in his elatis Montibus adrepenti Draconi illusisti; atq; calcaneo calceato, qua aureæ moderationis in alios, qua ferre, in Te rigoris caput eius conculcasti. Amurathes Turcarum Princeps pronunciabat; omnia sibi licere statuit stolida mortalium temeritas, vbi semel aliquo secundarum rerum incremento delinitus est animus. Inde vix sui compos mens, & præsentis iam impatiens fortunæ, modo hac, modo illac pererrans, otia aliorum turbat, & pro libidine aucupatur bella, donec miserrimo tandem exitu inanium luat cogitationum pœnas. Plautus etiam quosdam rerum potentes sugillabat, sub quorum sceptro.

Si quid bene facias, leuior pluma est gratia
Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt.

Nimis ex vero in quosdam: Tu Illustrissime Princeps, ne quando Amurathæū lueres neue ad Plautinos Te componeres, nihil Tibi, in Tibi subiectos, nisi quod ex recto, & honesto licere putabas Quamobrem in suprema Ordinis administratione de Dracone lusisti, cum tibi eadem in maiestate comitas, eadē in conuersatione lenitudo, eadem in Tui contemptu humilitas, idem in astricta viuendi ratione rigor, in Iustitiæ æquilibrio agina in subleuandis lapsis clementia & mansuetudo; vt Te, & propter oculum, quo afflictos respectabas, & propter manum qua labentes eleuabas, & propter pectus quo attritos recreabas, Diuinitus nobis datum omnes mirarentur. Lusu isto de serpente, Ecclesiam ita recreasti, vt non potuerit idem ille Magnus Christi Epistates non magnos honores Tibi decernere. Decreuit, & detulit, dum Te nuper purpuratorum Ecclesiæ Collegio aggregauit, mitraq; honoris tuum insigniuit Caput. Gratulatur Tibi Vniuersa collectio, cum Tibi præmia virtutis, quibus nulla maiora à Christi Vicario conferri possunt, videt collata. Congratulor & ego Tibi Illustrissime Princeps, atque in hac de tua purpuratione lætitia votum, & donum affero, & offero Illustrissimæ Celsitudini Tuæ, hoc meum quale, quale est D. O. C. sacrum Pancarpium. Debetur Tuæ Dignitati, iuxta ac Virtuti. Dignitati, quam adoro, quamq; liuida obliuio non potuit decipere. Virtuti quam suspicio, quamq; grata significatio Ecclesiæ debuit exornare. Eia Illustrissime Princeps, nunc Ecclesia, & Religio,

in te omnis reclinata recumbit,

Faxo

Faxo illam exornes, hanc adiuues, & vtrique insidiantem Draconem pede sacrato decalces,

nec in Cœlum dubites te tollere factis. *Nam*
cum summas
Exiget auras consumpta dies,
Iter ad superos gloria pandet *Tibi.*

Vale, viue felix, Illustrissimum Ecclesiæ Catholicæ lumen, & columen.

Venetijs ex Conuentu S. Dominici, Calen. Sept. Anno salutari. M.DC.XI.

INDEX LOCORVM
Sacræ Scripturæ explicatorum.

96. Quo-

FINIS.

R.P.Fr.



R. P. Fr. ABRAHAMI BZOVII Ord. Præd. S. Theol. Doctoris,

CONCIONVM DOMINICALIVM TOTIVS ANNI:

TOMVS PRIMVS.

A Dominica I. Aduentus vsque ad festa Paschalia ternas pro singulis Dominicis Conciones complectens.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

Tunc videbunt Filium hominis venientem cum maiestate, &c. Luc. 21. c.

CONCIO PRIMA.

De Christi IVDICIS Scientia, Iustitia, & Potentia.

Duplex Christi aduentus ex interpretatione nominis Iesse.

MAGNI Iesse Ter Max. filius Iesus, si quando ad mortales venit, vel vt clemens Medicus, vel vt seuerus vindex, venit. Iesse venit à ישׁ *Ies* biliterо; quarũ altera *Ioth*, Ambrosio interprete, significat, *desolationem*, altera *Schin*, insinuat *Super vulnus*. Duplicem Aduentum Iesu filij Iesse habemus ex eius originatione. Dignatur cum misericordiæ *oleo* & *vino* venire tanquam Medicus, vt infundat Adamo sauciato *in Hiericano deserto super vulnus*. Quod si videt à se non *curatam* neque *sanatam Babylonem*; adest postmodum cum iustitiæ *carbonibus desolatorijs* tãquam vindex, vt exurat *fundamentum capitis* superbi *vsque ad desolationem*. Alterũ Aduentum recolit Ecclesia in officio diurno pariter atque nocturno: alterum ipse Christus in Euangelio denunciat, dicens: *Tunc videbunt filium hominis, venientem cum maiestate & potestate*, scilicet ad *desolationem* impiorum. De Iudicis scientia, iustitia, & potentia, mihi hodiernus sermo. Vos autem monente Christo, *vigilate omni tempore, vt digni habeamini ista omnia fugere, quæ futura sunt, & stare ante filium hominis*. Fugietis autem, si diligenter audieritis, & obaudieritis ijs quæ dicam. Luc. 21.

Iesse nomen, significat *Ens*, seu *Existens*: Magni itaque Iesse Termax. filius Iesus, est Ens ex Ente, & Existens ex Existente. Sed ex quo? Ex illo qui Moysi in rubo ardens dicebat: *Ego sum, qui sum, & si nomen meũ requirent, dices*; QVI EST *misit me ad vos*: scilicet Deus qui est ante secula, qui crea- *Iesse ens.* *Exod. 3.*

uit secula, qui coëxistit seculis, & qui perennabit post tempora. Talis etiam Iesus qui ante Luciferum genitus, in quo mundus vniuersus conditus, qui *permanet cum Sole & ante Lunam, qui est heri, & hodie, & in secula*, de illo QVI EST, In, & post secula, Iesse de Iesse.

Psal. 71. Hebr. 13.

1. *Christi iudicis scientia ex ea ratione quia est ens,*

Hic se mihi exsinuat scientia nostri Iudicis; Quia enim ille QVI EST Deus Pater, propter existentiã & coexistentiam, & intraneam in vnaquaq; re creata inexistentiam, intima omnium quæ ab ipso fuerũt, sunt, & erũt condita, intime perspicit, scit, & memoria sempiterna retinet, omnia siue necessario, siue fortuito ab illis facta; Filius autem, Iesus, pariter, vt ille, Deus existit, coëxistit, inexistit omnibus temporibus, rebus actionibus omnium & singulorum quæ vnquam aliquis fecit, facit, facturus est: necessario quoque & ille perspicit, scit, & memoria retinet omnia quæcunque à mente creata, Angelo vel homine, cogitata, dicta vel acta sunt.

2. *Quia oculus Orbis. Eccl. 23. Hebr. 1.*

In Deum Patrem vsurpant Hebræi, illud Sapientis, *Oculi Domini multo plus lucidiores Sole, prospicientes super omnes vias hominum.* Nos eosdem oculos agnoscimus, in Iesu, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*: Namque ipse est, vt Paulus docet, *portans omnia verbo virtutis suæ.* Ipse est *Spiritus*, vt Salomon testatur, *Sapientiæ acutus, quem nihil vetat, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus.* Ipse deniq; est *Verbum* Dei *Deus, pertingens*, vt Paulus ait, *vsq; ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionũ cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.*

Sapien. 7.

Hebr. 4.

3. *Quia virga vigil. Hier. 1. & 32. Ibid. 17.*

Videtat Hieremias *Virgam* quandam *vigilantem* anteambulonem *Ollæ succensæ.* Existimo, non aliam quam Iesse filij Iudiciariam; quæ quia vigil, proculdubio oculata; adeo, vt si Dei Patris, vt idem Hieremias enarrat, *oculi aperti super omnes vias Adam, vt reddat vnicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinuentionum eius*: eiusdem quoq; virgæ vigilantis oculi nunquam dormitantes, nunquam conniuentes, sed in omnia, & singula intenti, præsertim quia Pater non amplius iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, qui à Patre IESSE constitutus est Iudex viuorum & mortuorum.

Forte ab Hebræis docti Sacerdotes Ægyptij, Diuo Cyrillo Alexandrino teste, *Deum sceptro regio erecto, in cuius fastigio oculi effigies efficta*, significabant. Ijdem Deum Apim, *Osyrim*, id est, multioculum appellabãt. Conformiter sane ad visam Hieremiæ *virgam vigilantem*, quæ iudiciariæ Dei scientiæ, iustitiæ, & potestatis index. Eandem virgam hæreditario iure possidet Iesus, proculdubio non exoculatam, sed oculis vndique repletam. Namque & Ioannes eundem Iesum sub effigie *Agni* aspiciens, *oculos septem* eidem inditos vidit, tam acutum cernentes, vt *solus dignus sit de dextera sedentis in throno accipere librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem, soluere septem signacula eius*, & intranea atque extranea grammata eius enunciare, & iuxta illa censoriam virgam exercere.

Dei hieroglyphicum lib. 9. ad Iulian.

4. *Quia agnus oculatus. Apoc. 5.*

Dignus aperire.

Vis scire quis iste liber intus & foris exaratus? Anima cuiusque Adami, à principio velut tabula rasa, corpori infusa, quam quisque pro arbitrio voluntatis suæ, intus cogitationum, extra vero locutionum & actionum graphio inscribit. Felices nos, si charactere similitudinis Diuinæ; infelices, si imagine alicuius, vel belluæ Babyloniæ, vel excetræ Tartareæ effigiauerimus: Qua enim semel imbuta fuerit recens, eandem lituram seruabit in perpetuum; inq; extremo Tribunali Iudicis oculis, vel exosculandam si præclara, vel desolandam si obscura fuerit, objiciet. An audis illud ineluibile gramma cuiusdam? *Peccatum Iudæ scriptum est stilo ferreo, in vngue Adamantino*? Tam profundo sulco insculpta sunt peccata animæ, semel effecta, vel facta: Scribuntur non in aqua, quæ dilabitur; nõ in membrana, quam caries, vel ignis exest; sed vngue Adamantino, qui malleum, ignem, & quicquid edax rerum tempus, vel æternitas consumit, ridet; scilicet in ipsa mente. Scriptura vero hæc non attramento illinitur, neque calamo depingitur, quæ facile obliteratur, sed stilo ferreo insculpitur, imprimitur, atque *vt ita dixerim*, visceri-

Libros cõsci entiarũ signatos & vocales.

Ierem. 17. explicat, quid est signatos stilo ferreo in vngue adamãt.

ceribus ipsis animæ, compagibus, medullis, & cogitationibus inseritur, ita vt nulla aquæ Oceani, nulli ignes perpetes, hanc quam semel secum, aquis vel baptismi, vel pœnitentiæ indeletam anima defert in infernum culpam, abolere potissint.

Nota Orphica conscientiarũ signat. ex fab. Autolyci & Caci. Polian. lib. 6.

Apud Orphicos, narratur de quodam Autolyco, cum à patre Mercurio donum accepisset furandi artem, vt ea quæ furto sustulisset peregrino colore obduceret, ne deprehenderetur: Sisyphum vero, cuius boues sæpius clam abducebat, plumbum eorum vestigijs adaptasse, in eoque quasi characterem has literas impressisse. *Autolycus furatus est.* Autolyco itaque sub noctem boues abducente, Sisyphus interdiu vicinis agricolis boum ostendebat vestigia, quæ Autolyci furtum redarguebant. Ijdem Orphici Cacum Vulcani filium memorant, boues & armenta suffurantem in Auentino monte, quæ versis vestigijs cauda trahebat in suam speluncam, vt furtum non agnosceretur: quorum iumentorum cum magnum numerum Herculi abegisset, & vero Hercules per vestigia retroacta inuestigasset, atque ad antrum Caci accessisset, boues immugierunt intra latebram. Significabant illi, quemcunque quantumcunque clancularie facinus perpetrantem, nullatenus posse celare factum, quod statim ac factum est animo imprimitur & vel vestigio tenui, vel immugiente seu *secretam ganniente ad aurem* conscientia sese prodit.

Recte sane ad rem nostram: Namque ex Sacro verbo, deferet secum ex hoc ergastulo carnis homo, omne quod gessit, siue bonum, siue malum: atque oculo virgæ vigilijs discernendum subijciet. Dicet ille aperiens septem signacula conscientiæ nostræ, *Ecce homo & opera ipsius.* Dixit Prothoparenti, quem sciuit modicũ quid de ligno paradisi delibasse: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malũ:* Nam Adamus statim à comeso pomo, turpi charactere atratus, non poterat latere omniscium Iesse, cui se ipsum obijciebat hac litura animæ illita, *Adam furatus est.* Dicet & omnibus in iudicio: *Existimasti quod ero tui similis?* obliuiosus? Sed nec tu adeo obliuiosus: nam scio te bene meminisse recte vel secus factorum. *Arguam te itaq; & statuam contra faciem tuam,* quam tu peregrino stilo exarasti, & depudentiæ characteribus deturpasti: Hæc mihi tua gesta ostentat; hæc proclamat: hæc immugit, testimonium tibi perhibente consciẽtia tua. Apagesis itaque tu qui dicis, *non intelliget Deus Iacob.* Intellexit, intelligit, intelliget acer Lector libri Conscientiæ tuæ, quæ te tuo indice, tua voce, prodet. Nimis enim vocalis est iste *hædus Tobiæ*: balatu suo furtum factum, Creatori inclamat. Nimis expressa est litura ista vnguis Adamantini: atrore suo furtum factum Diuinitati exsinuat. Nimis acer est iste oculus Iesse ex Iesse: acrimonia sua perspicit, vsq; ad distinctionem spirituũ & cogitationum. Nimis memor est memoria Adami: obliuisci in perpetuum non potest, quæ semel seruauit. Nimis curiosus est ille, *qui scrutabitur Ierusalem in lucernis:* omnia & singula, etiã minima quamuis visceribus intimis abdicta peruidet. Nimis stulta est Thracum stultitia, sibi persuadentiũ, Ducem eorum Cosingam in cœlum per scalas ascensurum, eosq; de inobedientia accusaturum. Nõ opus habet delatore, Christus, qui vnumquemq; sese offerentem & accusantem aspicit. Themistocles, Simonidi artem memoriæ pollicenti, dixerat, *se malle artem obliuionis, quod etiam meminisset quæ nollet, & obliuisci non posse, quæ vellet.* Tale votum nobis peccatoribus in iudicio: Cupiet fur ille penetrans, vel arcã, vel lectum, vel famam proximi latere, dicet, mõtibus; *Cadite super nos & aperite.* nec vnquam, aut obliuisci, aut se illatebrare poterit, quin se oculo virgæ vigilantis detegat, denunciet. Hem vos qui ------ sed abstineo vestra penetralia scrutari. Concludo, de scientia iudicis nostri hoc punctum, cum Angelico Thoma, cuius hæc est sententia. Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat omnia in Verbo, quæ ad ipsum spectant: Ad Christum autem & ad eius dignitatẽ spectant omnia, inquantum ei subiecta sunt omnia: ipse est enim omniũ Iudex constitutus à Deo; & ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcunque tempus, & etiam hominum cogitatus quorum est iudex; ita vt quod de

Genes. 3. *Psal. 49.* *Psal. 93.* *Hædus Tobiæ, conscientia proditor.* *Thracum stultitia.* *Themistoclis memoria.* *Luc. 23.*

eo dicitur Ioan. 2. Ipse enim sciebat, quid esset in homine; potest intelligi non solum quantum ad scientiam Diuinam, sed etiam quantum ad scientiam animæ eius, quam habet in Verbo, quod est ipse Verbum Deus. Ne dicas igitur, *Parietes operiunt me: Quis videt?*

Ægypt. Iudices qui, & quo emblemate insignes. Ælian. l. 14. Apud Ægyptios, Iudices ijdem fuerunt, qui & Sacerdotes. In his Princeps erat sententiæ maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat. Eum omnium hominum esse iustissimum & sincerissimum esse oportebat, qui circa collum imaginem ex Saphiro confectam gestabat, quæ vocabatur *Veritas.* Et istud quoque ex Hebræorum institutis, quorum supremus mysta Iudex in rebus difficillimis, Rationale sacrum ex collo gestabat, velut sacram Cortinam, quæ ex recto & æquo per reuelationem decernebat. Istud vero ex consuetudine supremi Iudicis Iesu, cui *imago* totius *Bonitatis* & æquitatis medullitus impressa. Hinc se ostentat iustitia eiusdem, qua firmauit Thronum suum. Huic acclamabat Pater Dauid. *Sedes tua,* inquit, *Deus in seculum seculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: in idipsum enim vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Frustra huic Imperator ostentat purpuram, coronam, sceptra; Non aspicit personam cuiusque: Frustra eidem Opulentus ostentat aurum, argentum, facultates; non accipit munera à quoquam: Frustra illi ipsi nobilis prætexit imagines, merita, potentiam maiorum; dicit, *Si steterint Moyses, Iob,* vel aliquis alius, *ipsi quidem in iustitia sua saluabuntur*, peccatores autem in sua impietate, pœnis inferni piabuntur. Huic enim Sacræ *Themidi oculi velati, & manus restricta ad munera,* ad personas, ad schemata vana. Quin tunc ne lachrymas quidem aspicere, neque preces exaudire sustinebit; sed velut Adamantina cautes inflexa, vultum obducet ad peccatores, eo quod vngue Adamantino, in vngue Adamantino, descriptum eius Decretū. Dum contra Euangelicam adulteram in terra scribebat, licebat suspirio dissipare, vel lachrymula diluere delictum: tunc non licebit, quia ei non libebit immutare Radamantheum edictum. Plorabat Antiochus in proscænio iudicij sui, nec est exauditus. Pulsabunt Virgines famosæ, sed non eis aperietur. Prætendent alij prophetiam, alij gratiam sanitatum, alij genera linguarum; audient, *Discedite in ignem.*

2. Christi Iudicis Iustitia ex eo quia ens, veritas inflexa, invarians. Psal. 44. Ezech. 14.

3. Christi Iudicis potestas, quia est ens virga, Omnipotētis virtutis. Psal. 109. Psal. 2. Porro si potentiam eius desideras, *Virgam virtutis suæ, emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorū suorum.* Quorum? Ostendit Augustinus, In medio paganorum, Iudæorum, hæreticorum, falsorum fratrum. Quomodo dominare? Iubet illi Pater. *Reges,* inquit, *eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Si scilicet aliquod *vas* fuerit *in contumeliam,* confringe, contere, in caldaria inferiore exure. Falsi illi miseri & væcordes, qui nehilum potestatem iudicantis, aut cogitāt, aut verentur. An pauca in scripturis? An minora in historijs argumenta eius potentiæ in scelestos? Dabo aliquod ex historijs, vt vos sancto timore percellam.

Theodoricus Rex expertus est, quam terribilis. Theodoricus Italiæ Rex Arrianus, cum bello afflixisset Catholicos, templa prophanasset, multisque se sceleribus impiasset, ad extremum malorum adiecit, vt Ioannem Summum Pontificem in carcere occideret, & Symmacho patritio Romano caput præsecaret: Putabat sibi fore impune à Iesu, quem nihil magis quam hominem rebatur. Adfuit ille vindex, qui potentiam suam contra flagitiosum exeruit, miranda ratione: Inprimis enim, cum prandenti allatus esset lupus fluuiatilis, quem nos lucium vocamus, opipare conditus, conijcienti oculos & manus in lancem, caput piscis in caput Symmachi deformatum apparuit, quod illi præsecuerat, lingua exerta innuens, *Occidisti.* Ab hoc portento miserà furijs discruciabatur, obuersante sibi noctes, diesque Capite Symmachi defecto. Audis mugientem conscientiam? Vides characteres sceleris impressos? Cogebant vindicem Iesse Filium ad desolandum Tyrannum. Furijs tandem actus sese ipsum fugiebat. Hasta erat, *vt fert Nicephorus,* expedita patrio more pro tabernaculo eius sublimis collocata. Volebat conscendere è terra equum, moræ impatiens, quod autem ex pascuis & equitio is nuper adductus fuisset, fero- *Lib. 16. ca. 32.*

cia

citatemque spiraret, necdum Theodoricus recte ei insedisset, priores pedes in sublime iactans, posterioribus tantum institit, quo cum Theodoricus luctaretur, nec satis fræno cohibere potuisset, hastam fatalem concussit, quæ in eum oblique illata, latus eius vulnerauit, ex quo vulnere lecto affixus, vbi viscera eius ex conuulsione & inflammatione commarcuerunt, breui vitam amisit. Solitarius quidam, *vt refert S. Gregorius*, in Lipara Siciliæ insula Deo seruiens, in foueam illam quæ flammas eructat, vinctum deiici vidit à Ioanne Papa & Symmacho, quos ille, Catholicam tuentes fidem, non multo ante occiderat. Tinniunt vobis aures? An & forte inter nos horum inexperti? quibus humana capita ante oculos Dicant homicidæ, Rideant nunc potentes, potentiam Entis ex Ente. Nihili pendant crudeles sanguinarij, iustitiam Existentis ex Existente. Obliuiscantur scientiam Virgæ Iessæ de Iesse, illi omnes, qui post seculi voluptates, post scelera, iudicis æquitatem habent. qui ——— Ego vero moneo cum Psalte. *intelligite, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Psal. 2.

Praueniendus itaque est in porta.

Antiquis iudicibus consuetudo erat iudicandi in porta. Obeth in porta iudicauit; Absalon in porta iudicium ambiuit: Iudicat etiam in hac porta Ecclesiæ filius Obeth Iesse Iesus, in qua quandoque vnguenta, quandoque virgam, quandoque ignem pro qualitate demeritorum, super vulnus imponit humanum. Beatus qui intelligit, vt venientem Medicum, qui & Iudex, potius quam Iudicem, qui amplius non Medicus, experiatur. *Non confundetur, cum loquetur inimicis suis in illa porta,* in qua Virga Vigil omnes excutit, omnes explorat, ne aliquod onus *inferant in principio sabbathi* æterni. Dicet talis quod est in Psalmis. *Cur timebo in die mala? An iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Finio. *Vigilate* monet Christus *vos omni tempore, vt digni habeamini fugere mala omnia quæ futura sunt, & stare ante* Scium, iustum, *Filium hominis*, regnantem in secula. Psal. 48.

Amen.

CONCIO II.

Et tunc videbunt filium hominis. Lucæ 21. c.

Cur Filius hominis ad iudicium veniet.

SAcerdos Mosaicus, non vno amictu indutus. Sed neque vno, Pontifex Melchisedechianus Iesus. *Tunicam* coloratam, & *linteam* decolorem gestabat ille, ex vestiario magni Dei: & Iesus noster, *habitu inuentus vt homo*, auet colorari, & decolorari; atque aliam *stolam in vino* candoris abluere, aliam autem vestem *in sanguine vuæ* lemniscare. Candidatus apparuit ex vtero virgineo; lemniscatus olim veniet à throno suo; tunc *cum videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna & maiestate.* Sed cur filius hominis, non alius veniet? Ad hoc scabellum pedũ eius adorantes, requiremus, & mysteria magna aperiemus. Exod. 23. Phi. 2. Gen. 49.

Geminus Christi amictus decolor & concolor.

Binum amictum assignauit Iacob Patriacha futuro Messiæ, *Stolam & Pallium.* Illam candidam, strictam, exrugam; hoc rubricatum, diffusum, sinuosum. Sponsa forte ad has vestes aspiciens, dixit, *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Ruber in pallio, candidus in stola. Sed audiamus, quid de ipso Patriarcha moriturus, vaticinatus est. *Lauabit*, inquit, *in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Audis stolam? audis & pallium? Bino itaque amictu cinctus. Audis lauacrum vini, & sanguinis vuæ? Decoloratum itaque & coloratum suspice, nec inquire; quid thermis inalbantibus, cum purpurissantibus? cum vides geminum Iesu ornatum, Stolam & Pallium. Illam inalbauit in vino innocentiæ, hoc rubricabit in sanguine nocentiæ. Pro stola candidanda, ipse *Botrus Cyprii in vineis Engaddi:* pro pallio cruentando vinea Sorech, quæ pro *vuis fert labruscas.* Cant. 5. Gen. 49. Cant. 1.

Botrus Cyprius quid.

Botrum Cypri nuncupauit illum sponsa, *in vineis Engaddeis*, in typo translatum ab exploratoribus terræ Sanctæ. Bini istum in vecte gestabant, & illum gemelli populi aspiciunt, in Cruce appensum, Promulsis

ille, terræ fluentis lacte & melle, noster Iesus in Cruce, melligo indulcorans, ad suauitatem cellæ cælestis, vinariæ. De super vineis translatus Iesus ad nostrum Engaddi, se sibi subiecit, & seipsum tanquam botrum proculcans, ex seipso vinum candidum, pellucidum, flauescens, sanguinis sui expressit: &, ô me felicem! seipsum illibatum pro me sordidato, ex illo grano, flagris contuso, spinis perforato, clauis cōfosso, lancea terebrato, in vino sanguinis innocentissimi profluuio dealbauit. O me beatum, si mihi detur, sub hac bysso retorta occultari, aut ô vtinam, & candidari! Felices illi, *qui lauerūt stolas suas in sanguine Agni*. Millies deplorandi illi, in quorum vua sordidabit pallium suum. Sed hoc aperio, & causam assigno; cur filius hominis, non alius, ad iudicium veniet. Nempe Prophetiæ huius implendæ causa.

In vino stolam lauare quid.

Cur Christus ad Iudicium veniet.

1. *Causa prophetiæ implen.*

Habet quam plantauit ipse, *vineam electam*, sed in qua multi, quorum *vua, vua fellis & botri amarissimi*; expressio autem ipsa, *vinum eorum fel draconum, & venenum aspidum insanabile*. An & inter nos non multi tales botri? Sed nondum torculari subijcio. Veniet tempus, quando *Angelus exibit de altari, & clamabit voce magna ad eum qui habet falcem* iustitiæ & iudicij *acutam dicens; Mitte falcem tuam acutam & vindemia botros terræ, quoniam maturæ sunt vuæ eius*. Veniet tempus, quādo veniet Angelus testamenti, qui *mittet falcem suam acutam in terram, & vindemiabit vineā* TERRAE, *& mittet in lacū iræ Dei magnum, & calcabit lacū extra Ciuitatem, & exibit sanguis de lacu vsq; ad frenos equorum, per stadia mille sexcenta*, vt est prænunciatum ab Apocalyptico Ioanne. Beatus est qui intelligit verba Prophetiæ huius, seq; ipsum custodit, ne sit fellea vua, & botrus amarissimus, qui sanguine suo olim tingat pallium Iesu. Veniet, veniet, dies vindemiæ extremæ, quando *in furore suo calcabit impios*, sanguine eorū inebriabit terram & in fætido *sanguine vuæ, lauabit pallium suum. Dies enim vltionis in corde meo* (respondebit) *annus retributionis meæ venit. Non est mihi auxiliator; ego ipse conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terrā, virtutem eorum*. Veniet dies, quando, vt Dauid præmonuit, *Deus noster manifeste veniet, Deus noster & non silebit*. sed *Aduocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum*. Hæc sunt vaticinia Prophetarum, quæ futurum Dictatorem Orbis prænunciarunt; quæ ne falsa sint, nō alius, sed filius veniet ad iudicium. Neque enim alius est tam maxime Deus noster, vt ille. Noster, quia nostram carnē assumpsit: noster, quia inter nos ex nobis natus, apud nos visus atq; conuersatus est: noster denique, quia nobis se totum dedit, nascens socium, conuescens in edulium, moriens in pretium, regnans vero in præmium.

Deut. 32.

Apoc. 14.

Isai. 63.

Psal. 49.

2. Altera causa est cur ipse filius hominis veniet ad iudicandum, quia ipse est constitutus à Deo, Rex & Iudex viuorum & mortuorum. Æquitas obtinuit, vt iudiciū serui, ad proprium non alienum Dominū pertineat. Quum enim iudicis munus sit, innocentes vindicare, nocentium vero audaciam comprimere, atque sceleribus demeritas assignare pœnas; temere sibi iudicium vsurparet alienus, qui neutra manu, scilicet neque dextera ad euincendum, neque sinistra ad vincendum, potens esset. Christo vtraque manus concessa est. *Ego autem*, inquit ipse *constitutus sum rex ab eo super Syon montem Sanctum eius*. Namque illi dictum est, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. Ideoq; illi tanquam regi regum & Dominatori orbis de iure naturæ, conuenit iudiciaria potestas.

Quia ipse Rex & Iudex.

Psal. 2.

Vidit hoc longe ante Daniel, cum apparatum extremi iudicij præuidit, *Throni* (ita refert) *positi sunt, & antiquus dierum sedit: tunc aspiciebam, ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum; & dedit ei potestatem & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei. Potestas eius potestas æterna, quæ nō auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur*.

Dan. 7.

Vidit & Ioannes Agnum accipientem librum, soluentemq; *septem signacula eius*, Nimirum, scientiam omnem iudiciariam

Apoc. 5.

iuris

iuris & facti exactissime consecutum, atq; ideo adeptum virtutem, Diuinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam, & potestatem. *Vidi*, inquit, *thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cuius cõspectu fugit terra, & cælum, & locus non est in eis. Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni. & libri aperti sunt; & alius liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum, & dedit mare mortuos, qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant: & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Et qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Apoc. 20.

Quis sit iste sedens super thronum candidum non est ambigendum, quod ille candidus & rubicundus, electus ex millibus Iesus, cui datum est aperire librum: imo qui & ipse liber est, in quo omnes nos descripti sumus. Perspicit ille in verbo, an quod per ipsum in tempore creatum est rectum & perfectum, in ea perfectione & rectitudine persistat, an vero deflexerit. Ideoque cõfert ad ideam primogeniam omnia quæ fecit, an congrua vel incongrua perseuerent ad suam normam. Beatos illos, qui nec latum vnguem à similitudine & imagine verbi variarint; Miseros, qui in hac imagine pertransierint ad Dæmonis effigiem. Illos enim sibi in æterna fælicitate sociabit; hos autem Angelis tenebrarũ in gehenna pariabit. Potestatis iudicariæ, nonnulla indicia iam ante præmisit, dum singularibus subsellijs aliquos damnauit. Quis enim (vt Chrysostomus quærit) totum orbem inducto diluuio stagnauit, ac graue illud naufragium, omnimodamque generis nostri perditionem effecit? Quis fulmina telaque flammantia super terram Sodomorum demisit? Quis vniuersum Ægypti exercitum in mari demersit? Quis sexcenta Israelitarum millia in eremo consumpsit? Quis synagogam Abyron combussit? Quis subter eos qui Core & Dathan adhæserunt, telluris os aperuit, deuorareq; iussit? Quis septuaginta illa millia, propter Dauidis peccatorum multitudinem, vno temporis momento peste occidit? Commemorabone & eos, qui priuatim puniti sunt? An Cain illum continuo traditum supplicio? An lapidatum cum omni suo genere Charmen? An eum, qui propterea sabbatho ligna collegisset, idẽ quid passus est? An quadraginta illos pueros à bestijs consumptos, quibus neque propter ætatem parcitum est? Si vero eadem etiam post gratiam videre volueris, perpende quanta Iudæi perpessi sunt, quomodo liberos suos comederint mulieres, illæ quidẽ assantes, istæ verò alias consumentes: quomodo extremæ fami bellisq; varijs & grauibus traditi omnes, superiores tragædias calamitatum suarum abundantia superauerint.

Christus præmisit nonnulla indicia Iudicariæ potestatis hom. 25. in ep. ad Rom.

Genes. 6. & 7.
Ibid. 19.
Exod. 14.
Num. 14.
Ibid 16.
2. Reg. 24.
Gen. 4.
Iosu. 7.
Vide Ioseph. de bel. Iudaico.

Quod autem ista omnia Christus judicauerit, & intulerit, non vana suspicione motus, dixit Chrysostomus. Hoc enim ipsum Iudas in sua Canonica docet. *Commonere*, inquit, *vos volo, scientes semel omnia, quoniam Iesus* non Naue, cum iste Angelos de cœlo nunquam exturbarit; sed Filius hominis; *semel de terra Ægypti saluans, secundo eos qui non crediderunt perdidit: Angelos vero qui non seruauerunt suum Principatum, sed reliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit: sicut Sodoma, & Gomorra & finitimæ Ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pænam sustinentes.* Hanc ipsam potestatem facto singulari demonstrauit, dum in cruce pendens duos adeptus latrones, non eisdem dignatus est: sed hunc quidem in Paradisum induxit, illum vero in gehennam deiecit: vt intelligerent omnes, quia postmodum veniet, & bonos à dextris in gloria collocabit, malos autem ad sinistram in inferno deputabit. Si præludia tam horrenda, quid ipsum judicium, cuius illa indicia? quam verendam? quam timendum?

Tertiam assigno rationem, cur Filius hominis ad judicandum veniet. Asserendæ, nimirum, Diuinitatis suæ causa. Plurimi vecordium, hanc illi abrogabant. Iudæis scandalum fuit, meus Iesus; Græcis, stultitia; Pseudochristianis, Deus non Deus. Quamobrem vt est in Psalmo. *Deus ipse manifeste veniet, Deus noster & non silebit, sed aduocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum.* Binos tunc

3. Volet Diuinitatem sibi innatã demonstrare, quã multi illi abrogan. Psal. 49.

popu-

populos, in quos desæuiat, sibi designabit, scilicet: *Sanctos qui ordinabant testamentum eius super sacrificia*, & quosdam sub titulo peccatoris currentis cum fure, & cum adulteris portionem ponentis.

Sanctos intelligo, gentem illam electam Israëlis, cuius erat Sacerdotium, sacrificium, leges, promissa, & omnia. In istos tali voce detonabit. *Audi populus meus, & loquar Israël, & testificabor tibi, quia Deus Deus tuus ego sum.* Q. d. Equidem, si noluisses ad meam lucem conniuere, satis datum tibi esse puto argumentorum, ex quibus poteras cognoscere me Deum de Deo genitum fuisse. Noluisti intelligere. Cessit mihi natura, nec poterat repugnare, cum de virgine intaminata nascebar. Non dixit, partum non expedio, non didici ex vtero virginis partum producere, neque noui matrem facere sine patre, sed suis cessit finibus: me enim Dominum agnouerat. Tu non cognouisti; licet *bos & asinus cognouerint præsepe Domini sui.* Cessit mihi natura, dum infirmos tuos curabam, eijciebam Dæmones, vndarum tumorem & furorem ventorum reprimebam, super aquas sicco vestigio procedebam, famelicos multiplicata annona saginabam, cæcos perluminabam, surdorum aures aperiebam, mortuos à tumulo suscitabam, atque alia eius generis innumera documenta Diuinitatis meæ commonstrabam; ex quibus facile conijcere potuisti, me Deum esse, Deum tuum. Noluisti, immo *in Principe Dæmoniorum* me Dæmones eijcere blasphemasti; quinimo insuper, tanquam Diuinæ maiestatis reum, morte turpissima condemnasti. Cessit etiamnum mihi natura, meque Deum esse agnouit. Dum enim vos in mea laniena oculos & animos pasceretis, Solis iubar caligauit, terra succutiebatur, scindebantur rupes, velum templi ruptum est, sepulchra Patrum dehiscebant, manes ex inferno gregatim currebant, vestram vesaniam demirantes. Tu tamen *non cognouisti tempus aduentus mei*, sed me Seductoris loco habuisti. Audi ergo nunc, quin & vide, quia *Deus Deus tuus ego sum.* Ita quidem ille ad Hebræos, qui, vt Zacharias ait, *videbunt in quem pupugerunt, & plangent se super eum sicut planctum vnigeniti.* Eodem trisulco fulmine exanimabit & sciolos, quibus aliquando visus est fuisse stultitia; & Pseudochristianos diuidentes Christum, quibus nunc est, Deus non Deus.

Iudæos & gentiles & Pseudochristianos quos coarguet.

Isai. 1.

Zach. 12.

Peccatori autem dicet Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentũ meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinã, & proiecisti sermones meos retrorsum: Si videbas furẽ currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersum filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti & tacui. Q. d. Professione, Christianum te vocari audio; at feralem animum & opera belluina aspicio. Christũ ex ore fatentem; at Dæmonem ex manibus agnosco. Itane & vos magis cum illo, quam vnà mecum? Siccine cum videres furem, meam maiestatem clepentem, & tu currebas pari gradu cum ipso? Sub pallio Christiano? sub titulis & vexillis meis? Itane existimastis, me vobis fore assimilem, quando facti ad meam imaginem, his flagitijs teterrimis vos effinxistis?

Christianos vocales quomodo percellet Christus.

Fecisti hæc, & ego tacui. Sed nunc ego quoque arguam te, & statuam contra faciem tuam, vt sempiterna ignominia suffusus, coram tot cœlitibus erubescas. Dilecti, Quis poterit audire vocem tonitrui huius? Quis non toto corpore & animo contremiscet? Populus Israël sustinere nequiuit vocem, leges Condentis: sed timore perculsi dicebant omnes Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*, & non expauescent ad vocem legum transgressores arguentis? iudicantis? Paulus tanto tremore concussus fuit, dum vocantem audiuit, cum diceret; *Saule Saule quid me persequeris?* Durum est. quid facient *vasa iniquitatis bellantia*, dum videbunt Christum, quẽ olim contempserunt, blasphemarunt, linguis nequam & operibus pessimis iterato in se crucifixerunt, sic acerbe in ipsos detonantem? Paulum quidem suauiter à via intrita, per quam amens currebat, auocare volebat; vitam illi, qui in necem Sãctorum pergebat, donare gestiebat; salutem, beneuolentiam & gratiæ participium huic, qui

Tremenda vox Christi iudicantis.

Exod. 20.

Act. 9.

Gen. 49.

qui perniciē & minas atque cædes in Sanctos spirauerat, offerebat: tamen ille admirandam & satis blandam vocem eius ferre non valens, tanquā fulmine ictus cecidit in terram, & cæcus, & imbellis, semique mortuus, toto triduo neq; cibum, neq; potum gustauit: quo angore putas excruciabuntur illi, quos non blanditijs, sed minis, non amoris indicio, sed districto gladio, omni genere ærumnarum imbuto, excipiet?

Clementem non fert Paulus: iratum ferent? Misericordiæ aspectus vix non examinat; quid iustitiæ terribilis vultus? Lumine resplendens facies diuidit animam à corpore, quid iracundia candescens, furore scintillans?

Narratio de quodā religioso. l. 4. vit. Pat. Est in libro vitæ Patrum narratio de quodam religioso. Is volebat nuncium remittere seculo, sed prohibebatur à matre sua. Tandem multum resistenti eidem obnitens, relicta ea, abijt in eremum, vitæ sanctioris cupidus. Factus itaque monachus, non ea diligentia, quæ suo instituto par debebat esse, sed sub negligentia vitam suam expendit. Contigit autem vt mater sua moreretur, & post tempus aliquantum etiam ipse infirmaretur. Raptus ad iudiciū Diuinum in excessu mentis, inuenit ibi matrem suam inter iudicandos. Illa autem vt aspexit eum, obstupuit dicēs, *Quid est hoc Fili? Et tu in hunc locum condemnatus venisti? vbi sunt sermones tui quos dicebas: saluare volo animam meam?* Confusus autem in his quæ audierat, ipso dolore stupidus factus est, & stabat, nesciens quid matri respondere posset. Iuxta dispēsationem autem Dei misericordis, posteaquam vidit, reductus ad se euasit ab illa infirmitate, cæterum reputans secum, Diuinitus sibi obiectam visionem, reclusit se in cella, pœnitens & plorans ea, quæ prius egerat: Tantam autem vbertatem lacrymarum profundebat, vt multi eum rogarent indulgere sibi paululum, ne forte excæcaretur. Ille autem nullo modo voluit consolari dicens: *Si improperium matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi & Angelorum eius aduersum me confusionem potero in die iudicij sustinere?* Ita quidem iste sero & serio conuersus.—— Sed ah nos dementes, qui istorum nullum pensum habemus, cum maxime super omnia cogitare debemus, duo hæc verba. *Hæc fecisti & tacui.* quādo intonabit. Ego vidi tot enormia tua scelera, tot blasphemias, tot furta, latrocinia, vsuras, rapinas; ego audiui tot gemitus pauperum, lamenta viduarum, pupillorum fletus, quos tu oppressisti: ego aspexi aridam mentem, orationes vagabūdas, Sacramentorum abusum, contemptum clauium. Sed non enumero, quæ tunc ille numerabit ingeminans ad singula: *hæc fecisti & tacui.* Nec amplius tacebit, sed accinctus virtute, torcular solus intrabit, & vindemiam malignantium, calcabit, *lauabitque in sanguine vua pallium suum.* *Gen. 49.*

Intelligite hæc, monebat Psaltes, *omnes qui obliuiscimini Deum, ne quando veniat rapiat, & non erit qui eripiat.* Iesu auerte, qui patienter ad pœnitentiam vocas & expectas, Amen. *Psal. 49.*

CONCIO III.

Tunc videbunt filium hominis venientem cum maiestate. Luc. 21. c.

De Christi ad iudicium venientis Maiestate & potentia.



Quemadmodum venturus sit iudicare viuos & mortuos, iudex orbis Iesus, ipse denunciauit apud Ioannem dicens, *Ecce venio, vt fur.* Furum consuetudinem nostis. *Apoc. 16.* Illi dum ad quæsituram prorepunt, nocte illuni, sine arbitris, sine strepitu passus lentos mouent: hac deinde atque illac, aure arrecta & oculo lynceo, attendunt ne à quo deprehendantur: tum ad ianuam, vel fenestram assilientes; ne motus cardo, aut clauis, vel lima crepitum faciat summopere cauent. Obseruant interim si aliquis vigil in domo, & an omnes somno oppressi. Mox cum aliquid clepserint, præ pauore palpitantibus præcordijs, se in tenebras cum præda abdunt, omnia clam facientes. Si itaque veniet, *sicut Fur*, ille qui orbem iudicabit Christus: quomodo igitur videbunt eum venientem cum Maiestate & potestate magna? Furum aduentus clancularius, & magno timore

more concussus: Christi erit cum illustri maiestate, & præsigni potestate. Veniet enim innumera multitudine Angelorum & Cœlitum stipatus, neminem verens, nullũ reuerens, vt percutiat impios virga oris sui, quomodo itaque irrepet sicut fur? Si vt fur; quomodo cum maiestate: & si cum maiestate, quomodo velut fur? Nodum istum dissoluo, & Christi ad iudicium venientis Maiestatem denuncio.

Tempus & modus, discernunt inter furtiuum & magnificum Christi aduentum, vt veniat, & tanquam fur clancularie, & tanquam Rex cum Maiestate. Si tempus aduertis? apparebit inopinatò. Omnes enim velut quinque fatuæ illæ lethargo oppressi dormient, cum *media nocte clamor* vehemens inaudietur; *Ecce sponsus venit, exite obuiam ei.* Si modum consideras? licet tunc cum nihil cogitabunt de eo veniet, non tamen sine maiestate magna & potestate.

Matth. 25.

Vtrunque insinuauit cum alias dixit: *Sicut fulgur exit ab oriente, & relucet vsque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Fulgur enim & in momento emicat, & tamen vt apparuit, omnibus conspicuum est; propter, licet subitaneum, tamen illustrem lucem. Ita & Filius hominis, licet veternum dormientes inueniet, non tamen sine magna pompa iudiciaria incedet, idque partim ad solatium proborum, partim ad terrorem reproborum. Duplicem istam causam assigno Aduentus Christi ad iudicium, quare cum maiestate & potestate præsigni veniet.

Christus veniet vt fur & vt Rex.

Et quidem cum olim nostra mortalitate amictus, ex virgineo vtero processerat in orbem, ijsdem de causis aduenerat; Nimirum consolandis pijs, & conculcandis impijs: cæterum quia non omnes, aut potuerant, aut voluerant irradiationem maiestatis, & fulgurationem potestatis ipsius vereri, & reuereri, apparebit, in finem non iam in mediæ noctis densissimis tenebris, sed in luce longe fulgentissima, non vno aut altero, sed omnibus exercitibus cœlitum stipatus, non in tugurij sordidi vili præsepio vilibus fascijs inuolutus, inque medio duum potentium brutorum super duro stramine repositus, sed in medio axe deuexi cæli, supra solium eleuatum residens, amictus lumine sicut vestimento, cinctus vtrumque latus duodeno Apostolorum choro, viginti quatuor seniorum corona, & innumerabili caterua ceu stellarũ illustrissimarum, sanctorum Regum Cælestium. Curuabuntur sub eo gloriosi Atlantes Orbis Cherubini, super quos residet. Mirabuntur sidera, quando, vt Abacuch prænunciauit; *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan, atque operiet cœlos gloria eius, laudisque eius plena erit omnis terra. Splendor eius vt lux erit, & cornua in manibus eius. Ante faciem eius ibit mors, egredietur Diabolus ante pedes eius, stetit & mensus est terram.*

Duplici ex causa veniet cum maiestate, & potestate.

Abac. 3.

Veniet ab austro, & splendor eius vt lux erit, ad solatium proborum. Namque sciebat electorum, quam de se conceperant, existimationẽ, quod sperarent illum quandoque regnaturum, illosque ad suam felicitatem assumpturum: Tali spe innixa mater filiorum Zebedæi, duos ex se genitos illi concesserat: ideoque & audierat illam sceptra, sedes, & regna obsecrantem. Eadẽ spe illecti Apostoli, reculis & delitijs relictis, se illi mancipauerant, ideoque dicebãt: *Ecce nos reliquimus omnia; quid ergo erit nobis? Domine an in hoc tempore, restitues regnum Israël?* Q. d. Nunc ad pericula, forum, tribunalia nos destinas, contumelias, cruces, mortes nobis denuncias; regna beata, scimus, nescimus: quæ & quam ampla, quam diuturna nobis dispondes; horum nihil dum adhuc videmus; ecquando fidem tuam liberabis? putas in solio regni tui constitues?

1. Causa ad proborum Solatium.

Matth. 19.
Act. 1.

Promulsidem non vnam, nec semel, deliciarum futurarum illis licet propinauerat, quibus eos certos reddiderat, se Regem Regum esse, potentem ipsos beate in Regno sidereo; tamen tunc magis pro illorum cõsolatione, ab Australi sede Paternæ dexteræ procedet. Splendor eius vt lux erit, diadema inadspectabile gestans in capite. Vidit hanc eius futuram gloriam Ioannes, & nobis reuelauit. *Vidi,* inquit, *Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat sicut Sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis, & habebat in manu sua libellum apertum.* Oculi autem

Apoc. 10. & 19.

autem eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Tam splendidum, tam potentem cum intuebuntur, tunc regnum ipsius non esse caducum, sed stabile, neque vt terrenum multis ærumnis refertum, sed cæleste, bonis & felicitate inenarrabili repletum prædicabunt. Dicent, non frustra se illi adhæsisse, non vane in illum credidisse, illum amasse, illi obtemperasse, pro illo omne quod in sensu aut delicijs fuerat insuper vitam & animam, non in ventum, gratiæ cuiusdã impendisse. Videbunt tunc non mera figmenta pollicitationes illas; *Sedebitis super mensam meam in regno meo,* Vos autem qui *reliquistis omnia & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël.* quando eleuabuntur simul cum Christo in aëre, & ab his ad regna felicitatis ex libello aperto in quo descripti vocabuntur *Venite benedicti Patris mei; percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio.* Quis illo tempore, felices curas, labores, operas, quas propter Christum Iesum olim fecit, aut sustulit non iudicabit? Quam ineffabili tunc lætitia sancti exultabunt. Primum quidem, Quod Christus ipse regnũ vniuersi Orbis perfecte adeptus est; deinde quod ipsi quoque Regni ipsius Ciues & bonorum participe effecti sunt. *Exultabunt sancti in gloria; lætabuntur in cubilibus suis.* Beati autem illi seniores, agmen totius collegij cælestis ducentes. procidẽt ante sedentem in throno, & adorabunt viuentem in sæcula sæculorum.

Matth. 19.

Matth. 25.

2. Causa ad reproborum terrorem & confusionem.

Veniet deinde cum maiestate & potestate magna, ad repoborum terrorem & confusionem: Vt nubis illa columna, quæ in fuga ab Ægypto, inter filiorũ Israël & Ægyptiorum castra media incedens, Ægyptijs quidem tenebrosa atque exitiosa, Israëlitis vero fulgida & salutaris fuerat: Namque illos tenebris terefaciebat, inuoluebat, & cæcos in præceps ducebat, hos vero splendore illuminabat, recreabat & in tuto margine ponebat; ita & illo die Maiestas Domini pios miris modis exhilarabat, quod in eo salutem & beatitudinem suam repositam cognoscent; impios vero maximo angore conficiet, quod ab eo vitæ suæ damnationem prominere intuebuntur. Videbunt enim illum quẽ antea contempserant in tantam celsitudinem elatum, vt mortis in eos habeat & exerceat potestatem. *Ante faciem eius* siquidem *ibit mors, quæ depascet in inferno* infeliciter *viuentes.* Agnoscent illæ oues in inferno positę agnum olim mansuetum, quem flocci pendebant, in leonem esse ferocientem conuersum, qui nullius expauescens personam in perniciem singulorum improborum se accinget, diabolumq; à dextris suis sibi astitem habebit, cui tradat torquendos peruicaces. Videbunt, quod Ioannes præuidit, quia *de ore eius procedet gladius ex vtraque parte acutus; vt in ipso percutiat Gentes, & ipse reget eas in virga ferrea, & ipse solus calcabit torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis:* tunc se miseros pronunciabunt, quod eum aliquando linguis & manibus abominandis pupugerunt. Apoc. 19.

Diuus Chrysostomus repræsentabat Iudicis maiestatem, ad eam formam. Quemadmodum, inquit, cum publice sententiam iudices prolaturi sunt, velamina statores contrahunt, vt ab omnibus videantur; sic in solio suo dicentẽ vniuersi cõspicient. Aderit iudicio vniuersum genus hominum, quos ipse per seipsum non per aliũ alloquetur. Et alijs quidem dicet, Venite benedicti patris mei: contra vero alijs, itę maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. Et hos quidem bipartito scindens tradet tortoribus; hos vero manibus & pedibus ligatos, in tenebras iubebit detrudi interiores. Non erit opus tunc Chirographis, non argumentis, non testibus: omnia enim hæc, in ipso iudice sunt. Ipse testis, ipse argumentorum radix; ipse iudex; & omnia nuda & clara sunt apud oculos eius. Non diues, non pauper, non robustus, non imbecillis, non sapiens, non insipiens, non seruus, non liber aliquis ibi videbitur, sed his laruis contritis operum solummodo erit ibi scrutatio.

Hom. 31. Matth. & 22. ad popul. Antioch.

Tunc impij videntes tantum fulgorem beatorum, & tantam Christi maiestatem, plangent se super se; agnoscentes tandem, sed sero, quod propter futiles & fugaces mundi voluptates, tam excelsum Dominũ irritauerint, seque talibus bonis indignos fecerint. *Videntes* ait sapiens, *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus dicentes intra se.* Hiccine est cuius voluntatem contempsimus? cui semper contumaces fuimus? cuius regnum à nostris ceruicibus depulimus? Et hi, nonne sunt illi, *quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij?* O nos insensatos, qui *vitam* & illius, & istorum, *æstimabamus insaniam, & finem sine honore,* & ecce ille quomodo constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum? & isti, *quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est?* Nobis autem quid *profuit superbia? aut diuitiarum iactãtia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, nos autem in malignitate nostra consumpti sumus.*

Sap. 5.

Damnatorum voces in inferno.

Talia dicent in inferno, hi qui peccauerunt; quando vt inquit idẽ Sapiens, *accipiet armaturã zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Ipse autem induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea, iudicium certum; sumet scutum inexpugnabile æquitatem; acuet vero duram irã in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur. Et à petrosa ira plene mittentur grandines, excãdescet cõtra illos aqua maris, cõtra illos stabit spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos, & malignas sedes euertet potentium.* Tãtus erit fragor à maiestate & potentia venientis.

Memoria diei extremi iudicij.

Quamobrem monebat idem Sanctus: memento, *inquit*, horrendi multum & tremendi illius diei, in quo omnes Christi throno assistentes, rerum his gestarum rationem reddemus; quando extremi iudicij ante omnium peccata nostra ponentur; & reuelabuntur, & ignorantibus ostendentur actiones. Vbi ignis fluuius & insopitus vermis; vbi omnia nuda & præcipitata. Vbi cordium nostrorum libri aperientur, & in medio manifeste legentur etiam occulta nocturna & diurna, ex ignorantia & obliuione facta. Cogita igitur, quod omnino nos hinc ad infallibilem migrare iudicem oportet, vbi non tantum actiones, verum & verba & cogitata iudicantur. Vbi terribiles etiam eorum, quæ parua esse videntur, pænas dabimus. Præuide Angelorum millia & myriadas tunc iudici assistentes: & vocem tubarum clangentium, *surgite mortui ad iudicium*, præexaudi. Cõsidera hos excludi à ianuis post multa virginitatis certamina; alios abdicari post varia perpetrata miracula: illos qui prophetarunt, qui dæmones eiecerũt, qui linguis Angelorum loquebantur, & insuper istos, qui in sartaginibus torrebantur sine charitate, sempiterno supplicio condemnari. Attende hunc quidem de intempestiuo risu iudicari; ab hoc de ocioso verbo pænas exigi; illum quod fratrem vel affecit iniuria, vel scandalizauit facinore in gehennã deturbari; alium de mala sententia iudiciũ subire, hunc propter conuicium regno eijci, illum propter seruatam iram intolerabilia patientem, alium alijs propter diuersa peccata supplicijs deputari. His igitur sic se habentibus, quales nos oportet esse, vel quales emittere lachrymas & dicere: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte?*

In quo etiam minutiora quædam peccata & qui magni videbantur iudicabuntur.

Ierem. 9.

Sed vt expectatam effugiamus pænam, venite, faciem Domini præoccupare, & vitæ emendatione, propitiationes Domini inuocate. Et quidem cum reliqua alia duplicia, vtpote duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes nobis dederit, vt altero eorum læso per alterũ adiuuemur: animam tantum vnicam singulis infudit, si hanc perdiderimus, quanam viuemus? Huius igitur prouidentiam facere opus est, in tempore: ne sero tandem, socordiæ pænas luamus, nemine nobis tunc opem ferente. Tunc enim *frater non redimet*, imo neque amplius *redimet*, quin potius magis condemnabit ille singularis Homo. Vide non indutum veste nuptiali, ex nuptiali domo eiectum, & neminem pro ipso intercedentem, quin ipsum Regem clementissimum, diris omnibus hunc miserum deuo-

Nemo pro damnatis intercedet.

deuotionem. Vide talentum habentem creditum,& non negotiatum; & quomodo pro eodem supplicat nemo Regi irato, qui omnia quæ habebat secors, iubet ab illo auferre, partemque ipsius ponere cum his qui nullius frugi. Respice quinque virgines exclusas,& æquales pro ipsis non deprecatas, & Christum in illas valde succẽsum, qui & stultas nuncupauit: quoniam post calcatas voluptates, post extinctam concupiscentiæ fornacem, post ieiunium & lectum humi stratum & vigiliam, tunc stultæ sunt inuentæ cum spõsus veniebat: Propterea quod seruato magno virginitatis munere, magnam charitatis, & pusillũ humilitatis mandatum non custodierunt. Vide Magnum iudicem à dextris oues cõstituentem, & sinistrorsum hædos in tenebras occisionis depellentem,& eiectis posse succurrere neminem; sed omnes inclamantes: *Ecce homo, & opera eius.* Audisti quomodo ille diues nunquam Lazari misertus, in vltionis loco tostus, stillam aquæ postulauit? Cognouisti, quomodo nec ipse Abraham in supplicijs tormẽta lenire aut potuit, aut voluit? Melius est hic per continentiam à malis, animam arescere, quam ipsam humidam seruare,& illic rorem cõcupiscere,& non accipere, sed immortaliter torreri. Trium horarum febrem hic non toleramus; Iudicum pænas cernẽtes obruimur, quæ nocentes mox extinguunt: quomodo ignes? quomodo furorẽ Christi tribunalis sustinebimus, qui in perpetuas æternitates. *Virgam vigilantem* expauescimus, qua ad modicum flagellamur; quomodo *ollam succensam* in infinita secula animam & corpus, depascentem non horremus? Lego in vita Patrum, Stephanum quendam in monte Sinai sanctorum vitã professum, cum ad extrema vitæ peruenisset, in extasi raptum vigilantem virgam aspexisse: Ad dexteram enim lectuli partẽ, & sinistram intendens oculos, quasi ad reddendam rationem à quibusdam exactus, astantibus dicebat, audientibus cunctis, quandoque namque sic, *veritas est, sed confessus sum & ieiunaui tantis temporibus pro isto*, quandoque vero, *nequaquam, sed mentimini: istud non feci.* Et iterum. *Ita, vere istud sic, sed plorani, & ministraui.* Et

Virga vigil sustinen. ne in lebetem incidamus.

rursus, *vere calumniatis me.* In quibusdam vero, *ita vere; & ad hoc aliquid dicere non habeo, sed in Deo est misericordia.* Eratque horrendum audire irremissibilis rationis exactæ executorium. Tam est districta virga vigilans, vt illam, is qui leopardos cicurauerat vix sustinebat. Quid nos miseri eandem? quid vero sartaginem flammantem?

Eia nunc tempus, *præuenite manus Deo.* Nunc tempus est placationis; tunc damnationis. Nunc si voluerimus in gratiam eius redire, non difficile est: tum iustitiæ seueritatem mitigare, impossibile. Nunc licet sublimis in maiestate resideat, ipsum adire & compellare permittitur; tunc clausa ianua, nec precibus pulsare, nec lacrymis adamantem illius emollire, concedetur. Tolletur impius à facie Dei, ne videat gloriam & maiestatem regnãtis in secula.

Narratio de Stephano anachoreta agonizãte.

DOMINICA SECVNDA Aduentus.

Cum audisset Ioannes in Vinculis opera Christi, Matth. cap. 11.

CONCIO I.

Cur Ioannes in Vinculis.



NImis fors intempestiue, an insolenter Sotades Cretensis Poëta, Ptolomeo Philadelpho Arsinoem sororem in vxorem ducenti, dixit illa memoranda: *Ne sanctam contingito, neue incestum committito* Ideoq; fors, licet iniustè, tamen non intempestiue neque insolenter, à rege in vincula coniectus, mærore & squallore contabuit, *vt author est Plutarchus.* At noster Ioãnes, & tempestiuè,& permodestè, Herodi rapiẽti vxorem fratris sui,& sibi eandem iuganti, dixit illud auro dignum: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, tamen conijcitur in vincula. Cur? Id erit propositum Concionis hodiernæ.

Sotades in vinculis propter verbum liberius.

Facetum, at plusquam verum de veritate, à spiritu mendacij prolatum oraculũ, memini me legisse in Genticis annalibus. Rem narro. Quoddam delubrum, duo simulachra habebat, responsis ferendis. Si cui enim aurum, vel quippiam aliud sub-

Qui vult vt caput ei frangatur, loquatur verum.

cractum esset, ab illorum altero tanquam à sacra cortina, quærebat clepens: indicabat malignus: hic rem suam repetebat. Audaculus & versutus quidam, cum non minimam rem cuidam clepsisset, mox ad delubrum profectus, pandenti simulachro latera contundere cæpit, quod reuelaret: atrociora comminatus, si pergeret indicare. Mox vocalis statua obmutescens, non amplius responsa ferebat. Mirantibus idololatris, & causam profundi silentij percontantibus: quod scilicet neque voce, neque digito significaret clancularios: tandem hoc sermonis extorserunt. *Tempora pessima sunt, & homines in dies fiunt deteriores, & si quis loquatur verum, caput ei frangitur.*

Veritatis mysta quid passi.

Nimis ex vero. *Veritas enim odium parit*: ex veteri diuerbio. Hæc Micheam prophetam in maxillam percussit: hæc Eliam Thesbithem in exilium egit: hæc Hieremiā in cisternam coniecit, & tandem morte damnauit: hæc Zachariam inter templum & altare necauit: hæc Stephanum lapideo imbre compluturn trucidauit: hęc Saluatorem Orbis in cruce suffixit: hæc eadem Ioannem in vincula, carceres detrusit, atque tandem capite imminuit: Cū enim velut alter Elias, repręhenderet Herodem; non licet tibi habere vxorē fratris sui; compedibus illigatus atque capite plexus est. Quamobrē si quæritis causam, cur Ioannes in vinculis? Veritatem assignauit, quam, *si quis loquitur, caput ei frangitur*, vel etiam tollitur.

Ioannes in vinculis propter veritatem.

Mirum forte vobis est, qui fiat, vel veritas, quam, vt puer Babylonius Dario proposuit, *omnis terra inuocat, & quam cælum ipsum benedicit, atque omnia opera Dei tremunt & mouentur per eam* à mortalibus non solum despiciatur, sed etiam odio habeatur? Mihi non mirum, dum corruptelam humani generis considero; *Acetum in nitro*, dicebat Sapiens; *qui cantat carmina, cordi pessimo.* Acetum quippe, vt exponit Diuus Gregorius, si mittatur in nitro, feruescit nitrum protinus & ebullit. Et peruersa mens quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem bona ei suadentur, de correptione fit deterior: & inde in murmurationis iniquitate succenditur, vnde debuit ab iniquitate compesci.

Prou. 25.

Veritas practica cur mortalibus inaudita.

Hom 9. in Ezech.

Sed placet penitius inspicere naturam similitudinis Salomonicæ, de nitro & aceto, ad repræhensionem & correptionem eius qui pessimo corde, appositæ. Nitrum, auctore Plinio, *non multum à natura salis abest*, originatione, corporatione, & acrimonia. Sal quoddam est fossile, quoddam aquatile: sic & nitrum hauritur ex lacubus, & foditur ex antris. 2. Sal aliud lapidum spissitudinem habet, aliud arenæ minutiam: itidem & nitrum, reperitur in glebas saxeas duratum, & in puluerem comminutum. 3. Acrimonia porro licet inest vtrique, maior tamen vredo nitro, quam Sali; cuius indicium est, quod in nitrarijs nihil terra gignit aut alit, cum in salinis herbæ gignantur, & in maris salsedine tot animalia, frondes, floresque reperiantur. Plinius refert vitrum ex nitro & arenæ cōmixtione produci, cui tanta sit acies, vt dum liquatur citra vllum sensum ad ossa vsque consecet, quicquid afflauerit corporis. Addit. *in Clytis Macedoniæ lacum esse introrsum*, satis admirandum propter hoc, quod *exiliente in medio eius dulci fonticulo, & scatebra fonticuli semper emicante, lacus, nec augetur, nec affluit. Ijs quoque diebus quibus nitrum gignitur, salsius nitrum dulces aquæ pluuiæ conficiunt. In lacu autem Ascanio & quibusdam circa Chalcida fontibus, summas aquas dulces esse potarique, interiores nitrosas.* Nitrum potest esse symbolum cordis pessimi, imprimis propter duritiam lapideam; qua in malo ita aliquis obduruit, vt posuerit *faciem suam quasi adamantem*, & frontem suam chalybeam fecerit: tum deinde propter amaritudinem salsugineam, in quam velut aliqua vxor Lothi quispiam conuersus est, vt cor suum intinxerit *felle draconum, & veneno aspidum insanabili*, sitque eius animus vua, *vua fellis, & botrus amarissimus*, ab omni mellinio Diuinæ dulcedinis abhorrens. Huic tali nitrosæ lacunæ, etiamsi in medio penetrali saliat scaturigo fontis vitæ, non dulcescit, cum obsurduit: quinimo si insuper imbre ignito eloquij suauissimi perpluatur, non desalsuginatur, sed magis salsescit. Vt flumina per se dulcia cum in mare venerint salesc-

Nitri considerationes ad reprobos significand.

Plin. li 36. Hist. Nat.

Plin. 31. c. 10. Hist. Nat.

Deut. 32.

lescunt, sic tullij aquæ salientis in vitam æternam, si in talem. Citius mare salsum indulcoratur, siue à profluentibus fluminibus, siue à deciduis imbribus, quam vir corde pessimo à torrente voluptatis Cœlestis. Cæterum si aliquis feruidus Helias, nitrum hoc perfuderit aceto mordaci, statim exiliet, *Tange montes, & fumigabunt*, vt inquit Propheta. Si vero ignito aliquo eloquio perusserit, in mortale vitrũ liquabitur amaritudo nitrosi cordis, quod Prophetas, ferris medios diuidet, alios vero gladio detruncabit. Aceti liquore liquantur vniones; & saxea montium iuga rumpuntur, eliquatas bibit margaritas Cleopatra, & præruptos aceto silices transiuit Hannibal Pænus: sic & verbi Dei acore liquescunt illæ animæ, quæ gemmeæ, vel quæ petreæ: quæ autem salsedine nitrosa constantes, aceti vredinem non ferunt, sed feruent furore, statimque exiliunt in cædes, vt non immerito dixerit sapiens. *Acetum in nitro, sic qui cantat cantica cordi pessimo.*

Psal. 143. *Verbi Dei efficacia.* *Prou. 25.*

Sic alibi Psaltes væsaniam male suadorum, & pericula quæ ab eis imminent Verbi præconibus insinuauit. *Furor illis, secundum similitudinem serpentis. sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Incantator qui præstigijs suis adoritur serpentem, vt euenenet venenatum, & efferum cicurem reddat, sæpe pro beneficio quod ferali belluæ cõfert, aculeum eius excipit, & percussus occumbit: sic & istis qui in draconem infernalem demigrarũt, *furor ad similitudinem* eiusdem septicipis hydræ, vt pro beneficio maleficium reponant, suæque vitæ seruatores à vita tollant.

Serpentũ furor ad reprobos. Psal. 57.

Inter gentiles lego Cambysen Persam, cum à Præxaspe Satrapa audiuisset, Persas de eo propter temulẽtiam malè loqui, ira percitum, hoc modo sæuisse in monitorem: Præxaspis filium pocillatorem in medium produci iussit, & arcum intendens, sagitta cor eius transfixit. Conuersus deinde ad Præxaspem: *Abi*, inquit, *& Persis refer, vel temulẽtum regem munere suo probe functum, filijque sui cor medium, non frustrato ictu transfixisse.* Idem cum propter crudelitatem à Cræso rege captiuo reprehenderetur, quodque patris vestigijs non insisteret, coargueretur, arcu correpto eum confixisset, nisi fuga sibi consuluisset Cræsus. Iubet deinde ministris Cræsum occidere. Hi autem quibus eius interficiendi data erat potestas, hominem abscondunt. Eundem rursum cum Cambysem facti pœnituisset, producunt. Cambyses lætus, quod Cræsus adhuc superesset, ministros tamen propter inobedientiam morte affecit.

Cambysis furor. Herodot. lib. 3.

Inter fideles autem, Hanani Propheta, quod regem Asa coarguisset, ab eodem in neruũ missus est. Zacharias Ioiadæ filius, quod nõ dubitauerit Ioas regem Iuda palam repræhendere, lapidibus obrutus interijt. D. Chrysostomus, quod Eudoxiam Augustam verbis acrioribus ausus fuisset perstringere, in exilium deportatus occubuit. Odiosa lux est oculis lippiẽtibus, quæ puris est amabilis: sic & repræhensio improbis exosa, quæ iustis est desiderata.

1. Paral. 16.

Bene Iobus de illis qui vel alienæ pudicitiæ, vel rei nõ suæ insidiantur, *Si*, inquit, *subito apparuerit aurora, arbitrantur eam vmbrã mortis, & sic in tenebris, quasi in luce ambulant.* Quasi diceret sicuti flagitiosi homines, cum in tenebris fœdum aliquid operantur, maximæ iniuriæ loco ducunt, si quis eo tempore lucernam adhibeat, quę eorum facinus prodat, ita plane improbi omnes, veritatis eius prædicationem molestissime ferunt, quæ velut accensa quædam facula, eorum turpitudinem atque fœditatem detegit.

Iob. 24.

Non sic iustus, apud quem, vt refert Sapiens, ille *qui corripit hominem, gratiam inueniet, magis quam ille, qui per blandimenta linguæ decipit.* Insuper dicet, quod vnus ex gregalibus suis dicebat, *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Prou. 28. 1. *Reprahensiones ferre proprium sponsæ.* *Psal. 140.*

Inter opprobria sponsæ est illud quoque apud Ezechielem: *& non es sale salita.* Sic inter probra animæ, hoc apud nos quotidianum, *Tu vero odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.*

Ezech 16. *Psal. 49.*

In mundo muliebri sponsæ ponebatur à Psalte. *Omnis gloria filiæ regis, ab intus,*

Psal. 44.

intus. Diuus Hieronymus legebat, *à cogitationibus*, pro *ab intus*. Interpretabatur Didymus. Rex, *inquit*, cogitationum iustorum Dominus est. Itaque gloria filiæ Tyri quæ laudatur, non aliunde nascitur, quam à rege cogitationum; dum anima æstimat admonitiones, quas ille instillat. Septuaginta interpretes Vaticani pro *ab intus*, legunt, *Esebon* seu *Hoseb*, quod à radice *Chosab* deriuatum, significat contexturam ingenij artificiosam, factam ex speciebus intelligibilibus, instar operis varij, aut vestis polimitæ. Erit igitur gloria suprema sponsæ Diuinæ ab *Esebon*, seu à Rege texturæ intimæ, quam pertexit in anima, hac mulcendo, hac corripiendo, hac increpando; siue cum per se *secretam gannit in aurem*; siue cum per *Samaritam* mordax *vinum* vlceri infundit; siue denique, cum vnguibus pererrat vulnus, per aliquem Leonem, tunc cum lubens exaudierit, *quid in me loquatur Dominus Deus*.

Gloria spō sa abintus quid.

2. Necessarium est cuilibet ferre, qui vult audire, *sponsa Christi*. Cum enim Christus in hoc sibi nos coniunxerit, vt sibi exhiberet Ecclesiam formosam, sine macula & sine ruga, nec habentem aliquid eiusmodi quod eius aspectum dedeceret, in volutabro autem luti indies versantis, ô quis est tam fœlix, qui possit semper meminisse eius quod sponsa, *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* cuius non sordes in pedibus eius? qui non septies in die cadat? Quis est quem vel non *decoloret* iste *Sol* amoris proprij, vel etiam nō in eam sortem deducat, vt clamet, *Aruit tanquam testa virtus mea*.

Necessariū sponsa ferre repre-hensiones.

Cant. 5.

Psal. 21.

Necesse est itaq; animam vel sordibus maculatam, vel rugis deformibus striatam, lauacrum *herba Borith*, imo *Spiritum iudicij ardoris*, in quo abluit Deus *sordes filiarum Syon* sustinere, & ablutam, vecte fullonio complanari atque derugari.

Narratio de Nicetio & S Ambrosio.

Laudatus hac in parte Theodericus rex apud Baronium, qui Nicetium indigetauit Episcopum, adiecto illo memorabili verbo, *Hic solus quod personam non respicit, dignus dignitate*. Sed nec illaudatus Arbogastes Gallus, qui à Galliæ principibus rogatus: *An Ambrosium Mediolanen. Episcopum nouisset*, se nouisse, & se ab eo amari, respondit, scilicet à tanto vitiorum Censore. Magis tamen laudati illi Principes qui subintulerunt: *non mirum*, inquientes, *si nos bello vicisti, qui Ambrosij amicitia vteris: nam si stare Solem iuberet, dicto is esset habiturus audientem Solem*. Tantopere illis placuit parrigia Ambrosij.

3. Vtile insuper est animæ reprehendi, easque correptiones libenter suscipere. *Non vides*, ait Seneca, *quemadmodum teneram liberorum infantiam, parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium, diligenti cura fouent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt, & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad vltimum, audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoque, ac iam potentibus sui, si remedia, metu aut intemperantia reijciunt, vis adhibetur ac seruitus*, eorum maximo bono. Nam hæc omnia *beneficiorum maxima sunt, quæ à parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus*. Ita & nobis summi beneficij loco censendum esset, quod à Domino, aut à Domini Manumisso corripimur.

Vtile est reprehendi li. 6. de ben. c. 24.

Meliora sunt vulnera, ait Sapiens, *amici diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis*. Inimicum, *inquit Chrysostomus*, ne laudantem quidem probo; amicum vero & reprehendentem amplexor. Ille & si me osculetur, insuauis est; hic & si vulneret, amabilis. Illius osculum suspicione plenū est, huius vulnus, medicamentum habet. Osculatus est Dominum Iudas, & prodidit: Paulus vulnerauit Corinthium, & seruauit. Et quomodo vulnerauit? Tradatur, *inquit*, Satanæ ad interitum, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Deceptor aliquando dedit osculum Adæ, & vulnus inflixit; Omnipotens autem frameam euaginatam ostendens, eundem sanauit. Ille quidem dixit: *Eritis sicut Dij*, & osculum impressit: hic autem, *Terra quidem es, & in terram reuerteris*, & gladium vibrauit. Ille immortalitatem promisit, Deus mortem comminatus est, atqui ille è Paradiso eiecit, hic vero in cœlum euexit. Vides quomodo, *meliora vulnera amici diligentis, quā fraudulenta oscula illusoris*?

Prou. 27.

Sed nos insensatos, qui linctū scorpionis

nis præeligimus, linctui *canum, ex inimicis ab ipso.* Quis est ex nobis Lazarus, qui vulnera & vlcera animæ, ab his canibus delingi, lubens patiatur? An etiam in nos non rectè dicitur illud Prophetæ: *Odio habuerũt corripientem in porta, & loquentem perfecte abominati sunt?*

Amos. 6.

Vos videritis, qui sicut equus effrenis in præceps ruitis, decusso sessore. Cæterum vos alij quibus incũbit, siue ex officio, siue ex amore, proximum sanare vel soluere mordaci isthoc aceto, ne neglexeritis. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius. Qui sciens & volens contempserit repræhendere quem debet, audiat quid Deus decernat, *Anima tua pro anima illius.* Nihil timueritis, si vel ipsum caput vobis, à filijs vel familia frangatur. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

3. Reg. 39.

Matth. 5.

Nihil etiam metueritis, ne modum in corripiẽdo excedatis: Lubet adducere doctrinam D. Gregorij hac de re pulcherrimam, quam habet dum explicat illud Dei edictum, *Si quis abierit cum amico suo simpliciter ad ligna cædenda, & lignum securis fugerit manu ferrumq; lapsum de manubrio, amicum eius percusserit & occiderit, hic ad vnam supradictarum vrbium fugiet & viuet: ne forte proximus eius cuius effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur, & apprehendat eum, & percutiat animam eius.* Ad syluam, *inquit*, cum amico imus, quotiens cum quolibet proximo ad intuenda delicta nostra conuertimur: & simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia, pia intentione resecamus: Sed securis manu fugit, cum sese increpatio, plusquam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrũ de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior procedit; & amicum percutiens occidit, quia auditorem suum prolata contumelia à Spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens, repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatione plusquam debuit, addicit. Sed is qui incaute lingua percutit, & proximũ extinguit, ad tres necesse est vrbes fugiat, vt in vna earum defensus viuat: quia si ad pœnitentiæ lamenta conuersus, in vnitate Sacramenti, sub spe, fide, & charitate abscondit, reus perpetrati homicidij non tenetur; eumq; extincti proximus & cum inuenerit, non occidit, quia cum districtus iudex venerit, qui sese nobis per naturæ nostræ consortium iunxit, ab eo proculdubio vindictam de culpæ reatu non expetit, quem sub eius venia, spes, fides & charitas abscondit.

Deut. 19.

Sed recensebo exemplum cuiusdam mulieris prudenti repræhensione saluantis maritum. Hierosolymis Porterij principis viri seruus Phanias, filiæ eius amore captus, quoniam potiundæ spes nulla esset, magos consuluit. Et isti maligni spiritus, eam illi vxorem fore dixerunt, si ipse se diaboli seruũ ascripsisset cõtempto Christo; Conditioni assentiens chirographum dedit, & nuptias cum ea quam adamauerat inijt. Post hæc deprehendit mulier, nihil prorsus Christiani moris inesse viro, non orare, non ad Ecclesiam ire, non crucis signum facere. Denique causam curiosius ab eo sciscitans plane didicit: hortatur ad mentem redeat, orat, increpat, & demum Basilio Episcopo rem defert. Accersitum Basilius monet vt reuerti vellet, vnde per præuaricationem recesserat, & credere, & confidere in Domino. Conuersum, secum domi retinuit, ac pro illo orauit, & post quadraginta dierum ieiunium, multasque interea Sathanæ insultationes eduxit, vt purgatum reconciliaret Ecclesię. Ibi frequenti clero plebeq; vrbis astante, voces terribiles auditæ, frementium dæmonum aduersus Basilium quasi raptorem alieni serui: Sed eo iubente, etiam chirographum inuiti restituunt. Quo discisso, apparuit deletũ esse Phaniæ crimen. Ita per mulieris fidelis repræhensionem, vir infidelis saluatus est. Facite & vos ô religiosæ Matresfamilias, si quę viros peccato deditos nactæ estis, hoc sale defricate.

Narrat. de Phania pœnitent.

Faxit Deus, ne vos pessimum Herodis exẽplum imitantes correptores odio habeatis, sed veritatem amplectentes in terris, ad illam quam omnis terra inuocat, & quam cœlum benedicit veritatem veniamus.

Amen.

CONCIO II.

Euntes autem renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, &c. Matth. 11.

Miraculorum operatione Christus se esse Deum probauit.



Exod. 4. MOYSES Dei nuncius, non alio magis argumento, se probauit esse Dei Legatum, quam mirandorum opificio. Iturienti in Ægyptum cum Deus apparuisset, hanc certissimam tesseram indidit. *Si,* inquit, *non credent tibi, credent signis*, quæ in coram illis ostendes: cum virgam in serpentem transformabis, & hunc rursus in baculum demutabis: tunc deinde cum manum sanam lepra inficies, & ab hac postmodum lepram discuties. Euenit vt Deus asseuerauit; namq; cum hæc & alia innumera magnalia in eorum aspectu patrasset, verum se Dei Missum asseruit. Eodem argumento Diuinitatem sibi innatam astruit Christus. Venientibus enim ablegatis ab Ioanne discipulis & percontātibus: Matth. 11. *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Ab effectis Deitatis se indicat, illum ipsum esse, olim à Deo promissum, & nunc recens missum, Deum, Dei vnigenam. *Euntes,* inquit, *renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, &c.* An hæc admiranda Saluatoris opera, ipsum esse verum Deum ostenderint, requiremus.

Apoc. 8. Supernorum ea consuetudo est, vt in inferioribus, cum ad ea delabuntur, admirabilia & insolentia operentur. Vidi apud Ioannem in Apocalypsi, quendam ex supremis spiritibus, accepisse thuribulū aureum, quod cum impleuisset de igne altaris, & in terram demisisset, stupēda aliqua virtute sua effecit: Nam facta sunt ab illo suffitu, *tonitrua magna, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus, & septem Angeli qui habebant septem tubas præparauerunt se, vt tuba canerent.*

Thuribulum aureū significat humanitatem Christi quæ miraculis præluſtris. Thuribuli aurei nomine, humanitatem Saluatoris nostri Iesu, intellexit Origenes, propter aurū Diuinitatis cui hypostaticè iuncta: & propter gratiæ thymiama quo abunde imbuta. Hoc thuribulum in vtero Diuæ Deiparentis à Spiritu sancto affabre elaboratum, cum ad terras illarum esset, magna quoque & miranda fulgura, voces, motus, sonitus, & alia id generis facinora dedit. *Fulgurationes tuæ*, inquit Propheta, *illuxerunt Orbi terræ; abyssus dedit vocē suam: altitudo manus suas leuauit.* Abac. 3.

Fecit tonitrua, vt *Filij tonitrui* prædicarent. Excitauit voces insolitas, vt *ex ore infantium & lactentium, perficeret laudem.* Fulgura irradiauit corruscantia, dum à radijs scientiæ Diuinæ, cæcorum mētes perlustrauit, & ab ignibus amoris inexhausti, mirandam singulis opem tulit. Ab hac chymica nostri Theophrasti, febriens socrus Petri incaluit: Ab eadem cæcus lumen, paralyticus robur, & claudus gressum recepit, huic Syro Phænissa grates agit, quod à profluuio stagnato sanata; eidem Chananitidis Filia, quod à Dæmone expulso liberata: ab eiusdē cura hydropicus detumuit, Centurionis seruus conualuit, filia Archisynagogi, filius viduæ, & Lazarus quatriduanus vitam habent reducem. Descendente Angelo Apocalyptico *factus est terræ motus magnus*: factus itidem multo maior nascente, conuersante, moriente, resurgente & in cœlorum axes redeunte Iesu. *Deus cum egrederis in conspectu populi tui, terra mota est,* (ita canit Psaltes) *etenim cæli destillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël.* Psal. 67. Motus est Orbis ad cēsum Pacis: ipso nascente; quia tacito sensu percipiebat, natum esse illum, qui *Princeps Pacis.* Mota est vniuersa Hierosolyma cū Herode, Scribis, atq; Pontificibus, eodem apparente; quia vel nolens indicabat, aduenisse illū, qui *Pater futuri seculi, Admirabilis, Cōsiliarius, Deus, Messyas* Isai. 9. Ipso Stellas in aëre creante, *Reges Tharsis, insulæ, Arabum, & Saba* commoti currebant cum muneribus; vt ijs oblatis donarijs faterentur illum esse, *Regem Regum terræ, & Dominū Dominantiū.* Porro conuersante eodem nobiscum, commota est vniuersa natura. Plastem suum agnoscens, moriente eodem *terra tremuit,* & sepulchris apertis mortuos emisit, resurgente autem atque ad cœlos ascendente, nouo iubilo intonuit,

nuit, cum noua eius vestigia sibi impressa accepit. Post eius in cœlos ascensum, & ad dexteram patris consessum, eodem Angelo, testamenti permouēte, duodeni Angeli, quibus datæ fuerant *tubæ argenteæ* eloquij mystici, præparauerunt se ad excitandos mortales, veternum dormientes. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ, verba eorum.* Tam magna & stupenda, hoc thuribulum aureum ad nos demissum, apud nos effecit, Diuinitatis suæ asserendæ causa. Quamobrem cum Iudęis sese verum Deum esse insinuabat, in Synagogam ingressus, ex libro legis sibi porrecto, ab hoc operationum mirandarum proloquio orsus est. *Spiritus Domini super me*, inquit, *propter quod repleuit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum & clausis apertionem.*

Psal. 18.

Luc. 4.

Ioanni quoque ab eodem argumento miraculorum, probat se esse verum Deum de Deo, dum iubet renunciare quia *Cæci vident, &c.*

Tria ego cerno in Christi miraculis; 1. Tesserationem, 2. Modum, & 3. Speciem Operum, ex quib. euinco ipsum esse Deū. Singula discutio.

1. Tessera veri Dei venturi miracula

Tessera veri Dei venturi, quem Prophetæ prædicebant, futura erant miracula. Ita lego apud Isaiam. *Deus ipse veniet & saluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut seruus, claudus; & aperta erit lingua mutorum*, & paulo ante, de potentia Messyæ in Dæmonem, idem Propheta vaticinatus est. *Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli mittet manum suam, & Iugum eius & sceptrum bellatoris eius superabit, sicut in die Madian.* Alio autem in loco, denunciat ipsum fore Principem totius Orbis, qui eundem subiugaret, non armis aut machinis, sed vt idem videbat, *pes pauperum calcabit eam, gressus egenorum*, Sciebat Ioannes, istos esse indices Messyæ, ideoque miserat ad Iesum, vt quæreret; An is ipse esset *qui venturus esset*. Ideoque & Christus ab eadem contesseratione se eundem existere demonstrat.

Isai. 35.

Modus præsertim quo Christus faciebat miracula, demonstrat illum esse verū Deum. Psaltes de nostro Sacerdote Melchisedechiano: *Tecum principium in die virtutis tuæ* Quasi diceret, Non equidem negamus. Magnos illos viros, magna gessisse, cum Moyses diuisit mare in diuisiones. Iosue retorsit fluuium ad fontes, Elias catarractas cœli conclusit, Iordanis fluenta sicco pede calcauit, mortuos ad vitam suscitauit. Fatemur hæc admiranda operum, ab illis patrata: non tamen eorū propria, sed à te concessa virtute. *Tecum* autem Messya *Principium virtutis tuæ*. Non opus est tibi virga ad mare pedibus substernendum: non baculo, ad mortuum suscitandum; non oratione, ad quoduis insolens operandum. *Tantum dic verbo, sanabitur puer* Centurionis. *Impera ventis*; & succedet tranquillitas. Iube puellæ, aut adolescenti, aut Lazaro, *Tibi dico surge*: vel *Lazare veni foras*, in momento illi iussis tuis parebunt. *Tecum enim principatus, in die virtutis tuæ*, tibi incorporatus à plenitudine Diuinitatis, quæ in te habitat corporaliter. Bene Diuus Thomas. Miracula, *inquit*, sufficienter demonstrabant Diuinitatem Christi, propter modum faciendi illa, quia scilicet ex propria potestate faciebat: non autem orando sicut alij, secundum illud quod de se apud Ioannem dicebat. *Quæcunque Pater facit, hæc & filius similiter facit: & sicut Pater suscitat mortuos, sic & Filius quos vult viuificat*, scilicet pari virtute & potestate.

2. Modus quo Christus faciebat miracula demōstrat esse verūDeū.

Psal. 109.

Ioan. 5. c.

Sed & species miraculorum quæ Christus fecit, illum esse verum Deum demonstrat. Si nullum aliud esset, præterquam mundi conuersio, quam etiam Ioanni insinuat, cum dicit. *Pauperes euangelizantur*, illa vel sufficiens esset tessera Diuinitatis Christi. Hoc argumentum præ alijs cæteris Diuus Chrysostomus vrgebat contra gentiles. Considera, *inquit*, & cogita tecū quid sit in tam breui tempore omnem sub Sole terram Ecclesijs impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos persuaderi, vt patrias leges irritent, consuetudinem stabilitam & radicatam reuellant: altaria, templa, statuas, sacrificia & prophana festa, & immundum odorem,

3. Species miraculorum Christi demonstrat esse Deum. Ecclesiæ fundatio & conuersio vbique gentium.

ſicut fimum aliquem aboleant,& excitent altaria vbique in regione gentiũ, Romanorum,Perſarum,Scytharum,Maurorum, Indorum & vltra orbem noſtrum.Sunt enim illic fundatæ Eccleſiæ, & erecta altaria.

2. *Quia à cõſuetis adducti ad inſolentia.* Magna res foret, & excellenter magnæ Diuinæque virtutis, ſi nemo perturbaret, eſſetque pax ſumma,& multis ſimul adnitentibus & reluctante nullo, poſſe intra tã breue tempus totum orbem à cõſuetudine mala, qua præoccupatus fuit liberari,& ad aliam induci. Verum hoc multo maius quod non ſolum in aliam inducitur ſed in multo difficiliorem, non ſolum enim diuerſa conſuetudo erat,ſed & voluptate firmata.Duo hæc erant violenta.Quæ acceperant à patribus, auis & proauis,alijſque Superioribus progenitoribus, & Philoſophis, & rectoribus,ea reſpuere docebantur,quod ſane difficillimum erat. At difficilius nouam accipere conſuetudinem, quæ irrepſerat, illamq; valde laborioſam. Abduxit enim Chriſtus à voluptate,& induxit ad ieiunium: abduxit ab amore o-

3. *A Suauibus ad amara & laborioſa.* pum,& induxit ad amorem paupertatis;à luxu,ad temperantiam:ab ira,ad manſuetudinem;ab inuidia, ad benignitatem;à via lata & ſpatioſa, in viam anguſtam & præruptam.

Perſuaſit autem non duobus,aut viginti,aut mille; ſed omnibus ferme ſub Sole

4. *Per Idiotas paucos.* habitantibus.Et per quos perſuaſit?Per viros duodecim illiteratos,priuatos, ineloquentes, obſcuros, pauperes, patria,facultatibus,robore corporis,præcellentia gloriæ,dignitate progenitorum carentes, per piſcatores,per pelliones,per barbaros.Neque autem eadem illis & auditoribus vox;

5. *Diuerſi Idiomatis.* ſed extraneum plane & peregrinum ſermonem à linguis eorum, quibus prædicabant ſortiti erant, Hebraicum dico,atque per hoſce ædificauit Eccleſiam hanc, quæ à finibus vſque æd fines extenta eſt.

Porro hunc ſermonem etiam irrationabilia audiebant. Narrabo rem miram

Narratio de Regulo Epiſcopo. Regulus Epiſcopus Ioannis Apoſtoli diſcipulus,in Gallia cæleſtis frumenti granũ diſſeminabat. Cæterum cum apud quendam vicum in magna virorum ac mulierum celebritate ſuggeſtum concionaturus aſcendiſſet, ranarum ex proxima lacu coaxantium ſtrepitu prępediebatur, ne commodè audiri poſſet. Igitur vt ſilerent imperauit, atque, *Ambroſio teſte*, illæ in momento, ſacræ deferentes reuerentiam iuſſioni quieuerunt. Quid mirum ſi homines eius doctrinam ſecuti ſunt, cuius iuſſis irrationale animal acquieuit? Ranæ obmutuerunt, & homines confiteri Chriſtum cæperunt. Silent paludes, *inquit Ambroſius* & homines non ſilebunt? Irrationale animal per reuerentiam recognoſcit, quod per naturam ignorat; hominum vero in audiendo verbo Diuino tantam eſſe immodeſtiam?Sed omitto increpare.

Neque hoc ſolum mirabile, quod priuati, pauperes, illiterati, & exotici,totius orbis correctionẽ attentarunt,ſed & quod ad longe difficiliora opera ipſum ducere iuſſi,non hoc in pace fecerunt,ſed infinitis bellis hinc inde excitatis. Nam in vnaquaq; gente & ciuitate: & quid dico gente & ciuitate?in ſingulis domibus gerebatur bellum. Radicata enim hæc doctrina, puerum ſæpe à patre diuiſit, & nurum à ſocru, & fratrem à fratre, & ſeruum à Domino, & ſubditum à Principe, & virum à muliere, & patrem à filijs. Neque enim omnes ſimul crediderunt. Ad hæc quotidianas inimicitias,continua bella,multaſque illis mortes attulit,& fecit, vt Apoſtolos quaſi communes hoſtes, & inimicos, plerique auerſarentur, abigerentque eos à ſe omnes,reges,principes,priuati, liberi, ſerui, populi, vrbes.Et non ſolum ipſos, ſed & quod grauius, nouitios in fide qui ab ipſis inſtruebantur.Eodem enim bello premebantur,& diſcipuli, & magiſtri. Videbatur enim doctrina hæc cõtraria præceptis regijs, & conſuetudini & patrijs moribus; quandoquidem exhortabatur ab idolis abſtinendum eſſe; deſpectui habenda altaria,quæ patres progenitoreſque eorum coluerunt; deſiſtendum à prophanis præceptis, ridendas ſolemnitates, reſpuenda ſacrificia, quæ omnia illis maximè horrenda videbantur,& pro quibus animas potius expoſuiſſent, quã vt crederent in natum ex Maria,ductum ad tribunal præſidis,conſputum,crucifixum, & ſepultũ,præſertim quia omnia quæ ad paſſionem

6. Tempore belli non tantũ ciuilis, ſed & familiaris.

7. Ex quo inimicitiæ & mortes ipſis.

8. Et nouitijs in fide.

9. Occa ſione crucifixi.

sionem pertinebant omnibus manifesta
10. erant, vtpote flagella, colaphi, alapæ, spu- *Cuius passiones nota gloria non omnibus.*
ta, crux, irrisio, probra quæ in eum iacta-
bant, & sepultura quæ partim beneficij
loco existimata est: at miranda quæ gessit
in vita; & resurrectio à morte, non item.
Veruntamen & illa, & hanc dicendo per-
suaserunt, sicq; Ecclesiam ædificauerunt,
quo pacto, & qua ratione? Virtute eius, qui
iussit. Ille enim præscius & præuius omnia
faciebat, reddens facilia, etiam quæ dura.
si non fecisset? Nequaquam hæc aut prin-
11. cipium, aut præludium habuissent. Sed *Ille tamen dixit & qui facta sunt, fundauit Ecclesiam.*
qui dixit, *fiat cœlum*? & monstrauit opus.
Fundetur terra? & illa emersit. *Fulgeat Sol*?
& apparuit astrum; omniaq; verbo opera-
tus est, ille idem cum primum dixit, *Ædi-
ficabo Ecclesiam meam*, fabricatus est Ec-
clesiam. Nam sicut cum dixit *germinet
terra herbam fœni*, & omnia mox hortus e-
rant, & omnia pratum, terraque manda-
tum suscipiens infinitis ornabatur plãtis:
12. sic & nunc vbi dixit, *ædificabo Ecclesiam* *Obnitentibus Tyrannis.*
meam, multa acceleratione facta est, etiam
contra illam Tyrannis se armantibus, &
militibus arma mouẽtibus, & populis plus
valido igne insanientibus, & obluctante
consuetudine; etiam oratoribus & sophi-
stis, & diuitibus, & principibus insurgenti-
bus, sermo Christi velut ignis validus ad-
ueniens spinas consumpsit, agros repurga-
uit, seminauit verbum prædicationis.

Et licet hi qui crediderunt; in carceri-
bus seruarentur, depfectui essent, amitte-
13. rent substantias, occiderentur, traderentur *Sæua morte deficientibus Sanatoribus.*
igni, submergerẽtur aqua, & omne genus
tormentorum sustinerent cum summa ig-
nominia, vt hostes publici; tamen plures
succrescebant, nõ solum nihil ex afflictio-
14. nibus aliorum facti segniores, sed & mul- *Tamen succrescentibus magistris & discipulis, idq; spõte.*
tum alacriores, ad pulchram hanc pisca-
tionem assiliebant; sicque à piscatoribus
capiebantur non coacti, nõ vim passi, sed
sponte accurrentes, gratiamque habentes
adducentibus. Et quamuis viderent flue-
re torrentes sanguinis credentium, feruẽ-
15. tiores tamen reddebantur in fide & fiden- *In mortes euntibus.*
tiores. Et non discipulis solum, sed & ma-
gistris vinctis, fugatis, flagellatis, aliaque
mille mala passis, discipuli plures fiebant,
& magis studiosi,

Quamobrem Paulus clamat dicens, 16. *Mortis ab ipsis mortibus aliorum.*
*Atque adeo plures fratres freti in Domino
vinculis meis, vt abundantius audeant im-
pauide sermonem loqui*. Et alibi iterum. *Vos* *Phil. 1.*
imitatores facti estis Ecclesiarum Dei, quæ *1. Thess. 2.*
*sunt in Iudæa, quia eadem passi estis quæ &
nos à cognatis proprijs, prohibentibus nos lo-
qui gentibus, vt saluentur*. Alijs quoq; scri- *Hebr. 10.*
bens sic dicit. *Memores estote dierum pri-
stinorum, in quibus illuminati, graue passio-
num certamen tulistis, scientes meliorem ha-
bere substantiam in cœlis, & manentem*. Vi-
des virtutis excellentiam, quæ tanta ope- 17.
rata est? Nam qui tanta patiebantur, non *Quas gaudentes subibant.*
solum non ægre ferebant, vel deficiebant,
sed & gaudebant, gestiebant, exultabant.
Et de discipulis quidem dicit, quod *publi-
cationem substantiæ cum voluptate accepe-* *Act. 5.*
rint. De Magistris vero, quod *iuerint à cõ-* *Coloss. 1.*
*spectu concilij gaudentes, vtpote digni habiti
pro nomine Iesu contumeliam pati*. At de se-
ipso ait Paulus. *Gaudeo in afflictionibus
meis, & adimpleo quod reliquum afflictionũ
Christi in carne mea*. Et quid miraris, quod
in passionibus gauisus fuit, cum & moritu-
rus non solum gaudebat, sed & discipulos
ad communionem lætitiæ suæ vocabat,
quod signum excellenter lætantis animæ *Philip. 2.*
erat. Sic enim ait. *Gaudeo & congratulor
omnibus vobis, idipsum etiam vos gaudete,
& congratulamini mihi*. Quid autem fa-
ctũ sit, quod tanto gaudio impletur? *Ego
enim*, ait, *immolor, & tempus meæ resolutio-
nis instat*. Sic igitur ædificabant: alioqui
nullus ædificare potest parietem vnum,
quem lapidibus & calce extruit, si impe-
diatur & fugetur; illi autem etiam Eccle-
sias in toto orbe vbique extruxerunt, licet
ligarentur, persecutionem ferrent, fuga-
rentur, proscriberentur eorum bona, fla-
gellis cæderentur, occiderentur combure-
renturq; vna cum discipulis; & ædifica-
bant tamen non lapidibus, sed animabus
& institutis, quod plane multò difficilius
est. Non enim par est constituere sensibi-
lem parietẽ, & animæ tãtis temporibus à
dæmonibus irretitæ persuadere, vt ab in-
sania illa desistat, & ad tantam perueniat
temperantiam, nihilominus hoc potuerũt
nudi illi & calceis carentes, vna veste ami-
cti, perq; vniuersum mundum currentes.

Habebant enim adiutricem & comitantem virtutem eius qui dixerat *super petrã hanc ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Numera quot tyranni ab illo tempore aduersus ipsam instruxerunt acies; quot grauissimas persecutiones mouerunt; quomodo toto priore tempore, quando nouitia erat fides, & nuper plantata, teneræque hominum mentes; gentiles regnabant, Tiberius, Caius, Nero, Vespasianus & Titus, & post illum omnes vsque ad Constantini tempora, & omnes illi alij minus, alij sæuius infestabant Ecclesiã, infestabant tamen omnes. Quod si qui ipsorum visi sunt mansueti, hoc ipsum quod ipsi Reges manifestè in impietate erant, materia aliqua bellorum erat; cum aliqui eius adularẽtur, alij satagere, vt aduersum Ecclesiam bellũ susciperent. Veruntamen insidiæ & machinationes illæ omnes, leuius quam *aranearum tela* discerptæ sunt, & ea quibus nos inuadebant, & quibus insidiabantur, citius fumo dissoluta, puluere præterierũt infirmiora. Magnum enim nobis numerum implerunt, immortalesque illos thesauros Ecclesiæ reliquerunt, & columnas, & turres, & eos qui nõ solum viuentes, sed & mortui posteris magnæ vtilitatis materia facti sunt. Vides Christi robur contra quod *& portæ inferi non præualuerunt*? Ab his & de futuris crede, quod nullus obsistet. Si enim cum ex paucis cõstaret & nouæ sectæ opus esse videretur, nouaq; haberetur doctrina, ac tot bella, tot pugnæ vbiq; committerentur, nõ præualuerunt, neq; obstiterunt; multo magis cum vniuersum orbem, omnem locum, omnes montes, valles, terram, maria, gentes quæ sub cœlo sunt comprehẽderit. Quo pacto ergo tale ac tantum negotium, nisi Diuina quædam Christi virtus fuisset, quæ & hoc prædixisset & perfecisset?

18. *Et tyrãnos extinguebant.*

Quod ergo pauperes euangelizantur eousq;, quod illi qui à natiuitate cæci vident, quod mortui resurgunt, quod leprosi mundantur, quod claudi exiliunt; quod Christi discipuli, virtute à Christo deriuata, maiora fecerũt, faciũt, & facient; quod sicut pater miranda patrat, parili potentia & Christus patrat, argumentũ est insigne eius Diuinitatis. Facessat & obmutescat impij impia vox Arij, qui hanc illi abrogabat. Facessat & obmutescat impia lingua, omnium quotquot sunt præfectorũ, qui Ecclesiam Catholicam suggillant. Quod illa sexdecim numeret sæcula, eadem constantia perseuerans, deq; hostibus trophæa referens, signũ est eam esse à Deo Iesu fundatore, cui laus in secula Amen.

CONCIO. III.

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, &c.

Matth. 11. c.

Aduentus Christi effecta.



RAPHAEL Archangelus magno honore habitus fuit à Tobia vtroque quod alterum per viam inuiam deduxisset, à pisce immani eripuisset, & sponsam ei conciliasset; alterum autem cæcutientem perluminasset, à pauperie extrema vindicasset, & tot bonis locupletasset. Non mirum si & Saluator noster per Ioannẽ Baptistam, honestissima legatione ornatus esset; cum longe Diuiniora beneficia mortalibus ægris, atque inprimis ipsi Ioanni, & parentibus eiusdem contulisset. Sterilem Elizabetham matrem effecit, mutum Zachariam loquentem fecit: in claustro vteri materni Ioannem cæcutientem & infantem, disertum, & videntem reddidit: tum deinde alios cæcos perluminauit, claudos in pedes erexit, leprosos mundauit, mortuos redanimauit, nec tantum corporeis, sed etiam spiritualibus beneficijs diuitauit. Hæc sunt Diuini Aduentus effecta, hæc beneficia, quæ diduco & enumero.

Supremi Archiatri Dei, ea bonitas est, vt nõ corporibus tantum, sed & animabus medeatur humanis. Cum etenim anima longe præstantior sit corpore, & animi morbi perniciosiores sint quam corporis; Deus cum hominem misere ægrotantẽ inuisere dignatus est, non corporum tantũ, sed animarum curam suscepit. Videat Ioannes in toto Orbe, varijs detentos languoribus passim iacere: Alium hydrops cupi-

Christus archiater corporũ & animorũ.

cupiditatis immensæ distendebat; alium albugo errorum Dæmonis occæcauerat; hunc libidinis æstus exurebat; illum depetigo variorum flagitiorum defœdauerat; alios alia carcinomata & morbi diuexabāt. Quamobrem pietate motus intra se dicebat, *Putasne venit iam Angelus, ad probationis piscinam, vt moueat aquam, vitalemque medicinam elementis affundat?* Cum autem vidisset Christum, magnis miraculis clarum indies euadere, mittens duos ex discipulis interrogat; *Num ille esset, qui non modo corporis, sed & animi ægros sanaret?* Christus autem virtutis suæ conscius respondet dicens, *Cæci vident*; & corporis videlicet & animi oculis. Cæcus enim natus atque à mea luce illustratus, lucem Diuinitatis in me aspicit & credit, dum confitetur *Credo Domine, te esse filium Dei.* *Ioan. 9.*

Languidus tricenarius super piscinam à me persanatus, gressus fidei formans exilit; quia abijt ad Iudæos, & prædicauit eis quia *Iesus esset qui fecit eum sanum.* Paralysi resolutus, non à visibili tantum, sed etiam ab inuisibili grabbato exurgit, dilaudans suum seruatorem. Alienigena, à lepra mundatus, non pergit ad Sacerdotes vt se eis ostendat, sed reuertit ad suum medicum *laudans & magnificans Deum.* Surdis & mutis, vtraque sensoria, extima scilicet & intima; reserata; qui tanto magis prædicant, omnia me *bene fecisse,* quanto magis illis, ne factum propalarent prohibebam. Mortui non ad corporis tantum, sed & ad animæ vitam redeunt; neque à marmoreo aut terreo tantum, verum etiam ab adamantino obstinatæ mentis sarcophago, ad meliorem frugem resurgunt & redammantur.

Peccante primo homine (aiebat quidam Sanctorum Patrum,) totus vitiatus est mundus: labes peccati tota inoleuit, concupiscentia in hominibus augmētata est, ideoque labiles facti eramus & infirmi: Medico indigebat generatio hominum. Ille igitur de sinu Patris missus, qui semper fuit, & non fuit quando non fuit, vnam cum Patre habens substantiam, sanauit morbum quem prothoplastes infuderat menti humanæ: fecit de superbo humilem, de edace parcum, de iracundo mansuetum, de adultero castum, ex impio pium, ex ebrioso sobrium, ex discorde concordem, ex tenaci largum, ex inquieto quietum; ex odiente, charitatem habentem, & ex infido fidelem; ex inobediente, præceptis obedientiæ colla subijcientem.

Sex in vniuersum morbi, acciderant animæ nostræ à peccato Prothoparentum. 1. Cæcitas intellectus, 2. claudicatio volūtatis, 3. lepra errorum, 4. surditas obdurati cordis, 5. os elingue confessionis, & tandē ad extremum, 6. funus mentis. His omnibus depellēdis, sex beneficia attulit Christus in suo Aduentu. Et vt à primo, quia is cæterorum est origo incipiam. Cæci nunc vident, qui olim ophtalmia laborabant. *Sex ægritudines animæ depulit Christus.*

Olim ab Angelo figurante se in Angelum lucis, ita cæcutiebant mortales, vt vero Deo, qui *lucem habitat inacessibilem* relicto; Diuinitatis honorem scelestissimis hominibus ascribere nō dubitauerint: Sic antiquitas Iouem, Iunonem, Martem nefandis flagrantes amoribus, in cælestium sedibus collocauit, Diuinosq; eis honores attribuit. *Alius,* vt Sapiens recenset, *acerbo luctu dolens, cito sibi rapti filij fecit imaginē, & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & cōstituit inter seruos suos, sacra & sacrificia: deinde procedente tempore, conualescēte iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta. Alter per scientiam suam figurans lignum, & simile exsculpens imagini hominis, aut alicui ex animalibus perliniens rubrica, fecit ei dignam habitationem in pariete, non erubescebat loqui cum illo, qui sine anima est.* Aliorum vero in tantum erat *obscuratum insipiens cor eorum,* vt Paulus ait, *vt gloriam immortalis Dei in similitudinem volucrum, & quadrupedum, & serpentum commutarint.* Nonnulli enim tauros, dracones, crocodilos, scorpios, quin audi & ride: & cæpe, & alliū & reliquas omnes nugas in cœlum subuexerant. Cæci? stulti? væcordes? An nō summa cæcitas, hominem Principem Orbis, reptili vel alio adgeniculari; An non extrema stultitia, à Dæmonibus, optare bona, qui malorum fontes? An non væcors væcordia *1. Cæci vident.* *1. Tim. 6.* *Sap. 13. 14. & 15.* *Idololatriæ origo.* *Rom. 1.*

cordia, ad cœlum natum, sese infra cænũ deijcere? An non Cymmeriæ tuæ tenebræ ô homo, quod *Deum qui te* (ita Deus in aliquos complorat) *genuit reliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui*; & mãcipasti te *Dijs quos Patres tui non nouerunt, neque coluerunt? Dijs qui non dabant tibi requiẽ die ac nocte*. Et hæc quidem cæca illa nocte, ita se habuerant, donec veniret ille cui *nomen est Oriens, & subter eum ortum est, lumen in tenebris recto corde*. Hic splendore gratiæ & doctrinę suæ discussit tenebras, albuginem oculorũ detersit, Principeque tenebrarum profligato *eduxit* ad vsuram veræ lucis, illos *qui in tenebris & vmbra mortis desidebant*. Docebat enim vnicum Numẽ, Patris & suum & Spiritus Sancti, nóscendum, colendum, & incenso amore diligendum. *Hæc est*, inquit, *vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*. Q. diceret. Magna vestra cæcitas est ô mortales, non supra cœlos, ad cœli conditorem, attollere vultus. Delectat aliquid, vel speciosum vel vtile in rebus creatis, propter quæ illa apud vos in opinione Diuinitatis: Longẽ hæc diuitiora sunt in ipsis thesauris totius bonitatis Diuinæ, mea, Patris, & Spiritus Sancti essentia. Obstupescere aliquem vestrum facit lux Solis, & admiraris eius multiplicẽ vsum, & quia vides radios illustrantes, Deum esse censes? Non hic subsistas, sed attolle te ad creatorem; quia si factura tam admirabilis est, & supra omnium opinionem & intellectum, quantus est qui ipsam vnico verbo produxit? Vides terram floribus ornari, & sicut vestimentũ, varia herbarum segete tegi? Ne adscribas Soli, Lunæ, & Stellis, sed Deo qui dixit, *Producat terra herbam virentem* & mox omnis terræ spacium inclaruit. Vides iumenta, & volucres, & fruteta, & herbas, tantorum tibi bonorum copiam subministrare? Ne attribuas creaturæ, sed creatori, qui ex inhausto fonte bonorũ per illas tibi suppeditat varietatẽ. Quapropter in hunc credere opus est; hunc venerari, hunc ex totis præcordijs diligere.

Deut. 32.

Christus cæcos illuminauit.

Ioan. 17.

Gen. 1.

Ioan. 1.

Talia suadens mortalibus, tandem persuasit, & ad veri Dei cognitionem, inpalpabilibus tenebris tegentes illustrauit: *erat enim lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Herpes deinde atque depetigo horrenda, habuerat vniuersum genus humanum ab ophtálmia & diutino situ in tenebris: *A planta pedis* ita Archiater vidit, *vsque ad verticem capitis, nulla in eo sanitas*. Sed quã abominanda? quam contagiosa hæc lepra peccatorum, quæ omnes violata Numinis maiestate infecerat? Audi & iudica, ex pœnitudine cordis Diuini, qui videns quod omnis caro corrupisset viam suã, & quod multa malitia inundasset in terra, tactus dolore cordis intrinsecus ait, *Pænitet me fecisse hominem*. Tam abominanda lues defœdarat omnes quotquot fuerant, vt illi eluendæ, parum essent aquæ diluuij, ignes sulphurei, & illa horribilia caustomata à profluuio iræ Diuinæ. Sed forte desideras intelligere naturam & contagiem eius lepræ? Produco ex sapientiæ penu. *Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insania plenas vigilias habentes, neque vitam, neque nuptias mundas iam custodiunt, sed alius alium per inuidiam occidit, aut adulterans contristat, omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & periuriũ, tumultus bonorũ, Dei immemoratio, animarũ inquinatio, natiuitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio machiæ & cõcupiscentiæ, & impudicitia. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium, & finis*. An tales Paulus repererit Orbem peragrans? Audite quæ ipse testatur. *Faciunt ea quæ non conueniunt repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidiæ, homicidijs, contẽtione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum parentibus non obedientes, insipientes incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia*. O quanta malorum sanies! Christus tam fœdos, tam vlcerosos sanauit: & quidem non lauacro Iordanis, neque herba Borith, aut malagmate aliquo Mosayco: putidæ hæc, & euanidæ, sine virtute medicaminum pixides. Sed sanguine suo pretioso, quem abunde profudit in remissionem peccatorum, & ablutionem sponsę Eccle-

2. Christus leprosos mundauit.

Isai. 1.

Genes. 6.

Morum corruptela ab idololatria.

Sap. 14.

Rom. 1.

Ecclesiæ, vt sit sine macula, sine ruga, & sine aliquo eiusmodi carcinomate.

3. *Christus claudos erexit.* Qui nocte illuni, præsertim ignarus itineris ambulat, vel in foueam labi necesse habet, vel impingere in obicem, atque exinde claudicare: Sic qui die nō die, inerrat per numina, varios sibi subinde fingens & refingens Deos, non sæpe sed semper labitur in præceps affectu claudus. Vide quid in gentem dilectam ipse Deus. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Helias autem in eosdem, quam vehemens? *Vsquequo*, ait, *claudicatis vtroque pede? Si Dominus, Deus est, sequimini eum: Si Baal, sequimini eum.* Cupis scire causam mutationis affectus? Infandorum idolorum culturam habe. Extincta enim veri Numinis cognitione, & mente cæcis quibusdam errorum tenebris obscurata, fit vt anima Diuinæ legis, decoris naturæ & suæ dignitatis oblita, nihil amet, nihil expetat, nisi quod cū turpitudine coniunctum est, proinde cum se affectibus varijs permiserit, & velut equus habenis fractis, vel cymba gubernatore demerso, ventisque furentibus in omnem scopulum lata, sese cæco impetui dederit, non potest non cespitare, non palpitare, non offendere. Subsecíua claudicationi spirituali est surdities, os elingue, & animæ præmors, vt qui *in profundum venerit, contemnat*, audire *vocem incantantis sapienter*, & aperire os suum *saliua* vitali, quę & fibras gutturis ad confessionē sceleris dissolueret, & nonnihil melioris spiritus *insufflantis in animam viuentem* reciperet. Ante Christum natum, totus fere orbis scatebat ista illuuie morborum. In Scotiæ Coij prouincia prostat saxū, quod à proprietate surdum nuncupant: mirum si in vno latere fiat fragor, aut sonitus etiam ingentis bombardæ, non exauditur alio latere ex aduerso. Ad eum modum obdurueat & obsurduerat orbis humanus ante Christi aduentum. Illuxerant corruscationes Dei orbi terræ, fundamenta mōtium commota fuerant; solo homine surdo persistente. Venit tandem Archiater noster, & verbo virtutis suæ proclamans, *surdi audite, cæci intuimini ad videndum*, & hos prælumінauit, & illis audientiam cōciliauit, & multorum linguas vocales fecit, & putentes in sepulchro concupiscentiæ redanimauit.

Psal. 17.

3. Reg. 18.

Surdos & elingues sanauit, mortuos suscitauit.

Saxum surdum in Scotia.

Et vide quam pulchram sanitatem à pennis suis inauratis contulit mundo, ille qui *est Sol iustitiæ*, apud Malachiam, *& in cuius pennis sanitas.* Dixit, *Illuminamini*: & illi qui vix creperum lumen aspiciebāt: nunc in lucem inaccessam aciem figunt. Dixit, *Volo, Mundare*: & hi qui nec hominum aspectu digni, nunc candidati, inter angelicas mentes recipiuntur. Iussit, *surge & ambula*: at hi qui antea cespitabant, ceruos velocitate superantes, pernici affectus & amoris cursu, cœlos ipsos supergrediuntur. Intonauit voce grādui, tibi, dico *surge, veni foras*: & hi qui olim in vmbra mortis, inter mortuos, non omnino liberi stertebant, fascias, scilicet peccatorum occasiones, in sepulchris relinquunt, nouamque sanctitatis vitam viuere incipiunt: Miram mutationem.

Mira mutatio à Christi aduentu. Olim flagitijs omnibus obruti, squallebant; nunc virtutum cunctarum splendore fulgent. Pridem rapiebant aliena: nunc virtutum cunctarum splendore fulgent. Pridem rapiebant aliena; nunc elargiuntur propria. Antea fornicati sunt; nunc à legitimo quoque abstinent coniugio, & perpetuam continentiam meditantur. Antea iniurijs omnes afficiebant; nūc benedictionis verbis iniurias rependunt. Antea vulnus vulnere vindicabant; nunc percutienti alteram maxillam exhibent, & persecutores officijs placare contendūt. Delitijs & temulentia olim diffluebant: nunc ieiunio & aquæ potu vtrumq; compensant. Antea & reginæ in conuiuijs virorum saltabant, sicut filiam Herodiadis fecisse legimus; nunc vero Christi edocta spiritu famula, vix dignatur hoc facere. Antiquitus gentis Persarum filij, parentibus sociabantur connubio, & soror fratri iungebatur impunè, nunc vero virginitatē appetunt. Ante hoc, quoties in Britannia humanis vescebantur carnibus; nunc ieiunijs reficiunt animas suas. Massagetæ miseros putabant, qui ægrotatione moriebantur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venissent iugulatos deuorabant; rectius esse dicentes, vt à se potius

tius quam à vermibus consumerentur? nunc vero post aduentum & prædicationē Christi abstinentia & castitate deuote militant Christo; & prope omnes gentes paratæ sunt pro nomine Domini fundere sanguinem suum. Ante hoc impij & persecutores erant reges; nunc vero ad cælos efferunt pietatem, & ingredientes limen Ecclesiæ deponunt coronam, & Crucem Christi depingunt in suis frontibus. Ante hoc omnes Diabolo genua inflectebant, & eius mendacia oracula auscultabant; nunc vix Angelum de cœlo descendentē de cœlo audire dignantur. Ante hoc vniuersa terra repleta erat impietate; nunc autem non solum ciuitates religione florent, & fide Christi, sed etiā eremus in nomine Christi gloriatur. Christus enim Dominus tanquā nouus iustitiæ Sol, mundo oriens, tenebras discussit, morbos depulit, sanitatem restituit, iustitiam cōtulit, impiam superstitionem extinxit, Principemque huius mundi foras protrusit.

Vtinam nos tales, quales plastes noster Deus formauit, reformauit, sanauit. Sed vereor ne recidiua peccati, inidipsum laboremus. Discussit quidem ille nostras tenebras, radio aureo sapientiæ: quotus quisque est, qui ad hoc lumen non conniuet? non lucellum in vano quærit? Emaculauit à lepra? ah si descenderet & dispiceret, quātos & quam innumeros illa reoccupauit. Vide mihi depetigene laborātem auarū, —superbum, —Sed —Oro per vestram vos ipsos salutem, ne hanc cōtemnamus. Cæcitatē illustrauit? tenebras abhorreamus. Lepram expurgauit? carcinomata peccati euitemus. Claudos erexit? Ne amplius offendamus, neue palpitemus. Mortuos redanimauit? Ne mortem nobis manibus nostris accersiamus, neue ad profundum peccatorum properantes, sepulchra præaperiamus, sed vitali spiritu gratiæ inspirati, *abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, iuste, & sancte viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.* *Tit. 9.*

Quidam ex Sanctis senioribus, *vt refert Nicephorus*, præclare gloriatus est, *nō scio*, inquit, *eadē in re bis à Dæmonibus deceptum me esse.* Et nos quot vicibus ab eodem in eadem re seducimur? Caueamus oro hanc recidiuam peccati, si optamus regnum viuentium, neque vnquam cadentium, viuenti in secula, Amen.

DOMINICA III. ADVENTVS.

Miserūt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? Ioan. 1. cap.

CONCIO I.

Inquisitorum summa necessitas in Ecclesia.

LAVDATVS Iosue, qui non temere credulus, *Cum esset*, vt refert scriptura, *in agro vrbis Ierico leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentē gladium*: Diuinumque quiddam in eo perspiciens, non statim credidit, sed pergens ad eum inquisiuit. *Noster es, an aduersariorum*; Docuit omnes, quibus oculi tam acres, vt spirituales aspiciāt; ne temere cuilibet apparenti credant, sed, *probent Spiritus an ex Deo sint.* Fecerunt id summi Principes Ierosolymitani: Cum enim viderent Ioannem, nouam in terris vitam viuentem, & antiquata dogmata innouātem, nec non, vt est in prouerbio, veteribus pannis, nouas assuentem: scilicet, veritatē per illum, qui *via, veritas, & vita est* propalatam, Vaticinijs prophetarū congruere edissetentem insuper & vitia, quasi ancipiti gladio perstringentem; ita vt ex his indicijs suspicarentur, illum esse quēdam terrestrem Angelum ad se demissum. Qui, non satis creduli, inquirendo hodie non aliquem de numero vulgi, sed *Sacerdotes & Leuitas* in lege Dei peritos mittūt, vt in vitā & doctrinā inquirerēt; An partiū Mosaicarū esset, nec ne. Ideo interrogāt. *Tu quis es?* Cui bono Inquisitores Fidei, olim & nūc fuerint, in præsēti dispiciemus.

Iosue 5.

Nouatores inquirendi.

Non nuper, sed olim instituti à Deo fuerunt, Fidei Quæsitores. Summi Pōtificis, in legi veteri hoc muneris erat, multico lorem hæresum lepram, vbi vel locorum vel partium enascentem, inquirere, dignoscere,

Summorum Pontif. munus inquisitionis.

ſtere, & expurgare. Cum etenim homines rationem habeant à natura menti inditã, vigentem, ſagacem, & celerrime multa ſimul agitantem: eadem vero natura ingenerauerit cupiditatẽ homini veritatis nouitiæ peruestigandi: ſub ſpecie autem veri, ſimplicis ac ſinceri, plerumq; plurima vana, falſa & fallentia occulte ſubliteſcunt: ideo ne omnibus promiſcue quippiam in religione nouare liceret, ſummo Hierarchæ id demandatum fuerat vt ſi quid tale inſolens, præter id quod à maioribus traditum eſt, emergeret, ius inquirendi, cognoſcendi, & cenſendi haberet. Tabulas triumuirales profero, *Labia Sacerdotis custodient ſcientiã & legem requirent ex ore eius, Angelus enim Domini exercituum eſt.*

Malach.3. Functi ſunt munere iniuncto ſummi Pontifices, ſi alias, ſemper ſerio & ſedulo, magis tamen cum Ioannes pœnitentiam & baptiſmum innouaſſet. *Miſerunt* enim *ad eum Sacerdotes & Leuitas, qui inquirerent;* An Elias, vel Hieremias, vel aliquis antiquorum Vatum rediuiuus ſurrexiſſet? Cur tingeret? cur nouam rationem viuendi iniret? Cur ſectam à lege Moſaica diſſectam faceret? Quam acriter ſe geſſerint, in officio delegato, non eſt neceſſe explicare. Ego ſane optarem, vt pari vigilantia & ardore animaduerterent in nouatores, hi qui audiunt in Republica Chriſtiana, Veritatis au[illegible]tæ, & publicæ Salutis Conſeruatores: Feliciſſime enim actum fuiſſet de Catholico Orbe, ſi Luthero vel Caluino, vel alio quouis Pſeudoapoſtolo, ab inferis emergente, ab eis inueſtigaretur, *Tu quis es?* Cuias? Cuius Eccleſiæ? doctrinæ? A quo docendi munus? Videremus ſiquidem proculdubio veterem religionem, à Chriſto, Apoſtolis, & ab Apoſtolicis viris, & ab eiſdem nobis per manus patrum traditam, miraculis roboratam, ſanguine martyrum lemniſcatam, auctam, florentem, & perennantem: Si deinde maiores noſtri paulo vigilantiores eſſent in illo, quod eis di-

Cant.2. ctum. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas?* non leſſos Dauidicos

Pſal.79. ploraremus. *Exterminauit eam aper de*

Pſal.78. *ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* & illud lugubre, *Deus venerunt, gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum Sanctum tuum, poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam,* non accineremus: Scilicet non tot ſectas diſſectas; non tot, neque tam turbulentos regnorum motus & occaſus; non tot euerſas vrbes, populos mactatos, Regna opulentiſſima ditioni Tyrannicæ ſubacta, vel ſciremus, vel oculis aſpiceremus: Hæc enim bona, & quidem permaxima eſt vtilitas, à nouitatum diſtricta inquiſitione; ſcilicet, Veteris Religionis pura & integra conſeruatio; & Pacis Publicæ, quæ cum iucunda, tum ſalutaris eſt, & propagandæ, & conſeruandæ optimus modus.

Primam neceſſitatem Inquiſitorum in Eccleſia conſtituo, *propter Veteris Religionis Conſeruationem*: Cuius vel modicum in Sacris literis verſato, conſtat, Deum nihil magis exoptare, quam religionis antiquæ, Diuinitus traditę, ſumma conſenſione populorum receptæ, & clariſſimis indicijs confirmatæ, progreſſum, incrementa & robur perenne. Eam ob rem iubet cauere, nouitios prophetas, ſomniatores, ſigna & portenta iactantes: *Si,* inquit, *aliquis ſurrexerit, non audies,* ſed Domini Dei mãdata ſemel tradita cuſtodies. Propter eandem cauſam præcipiebat Moyſes, vt legem Domini, etiam in fimbrijs veſtimentorum aſſutam geſtarent; ne ſcilicet *ab eo quod traditum eſt* deflecterẽt. Hæc *ſunt,* inquit, *præcepta, & cæremoniæ atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus veſter, vt docerem vos vt faciatis ea in terra ad quam transgredimini poſſidendam, vt cuſtodias omnia præcepta & mandata eius, quæ ego præcipio tibi ac filijs tuis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ:* Vides quomodo morte parentum non vult intercidere tradita ſemel, ſed in filios, & in ſeram nepotum ætatem iubet eadem conſeruare. Apertius autẽ hoc idem ipſe Deus per Hieremiam præcipit dicẽs; *State ſuper vias,* Regias, tritas, directas nõ autem ſuper auios meandros; *& interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigeriũ animab. veſtris.* Paulus vero rogabat Romanos, *Obſeruetis,* inquit, *eos qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam accepiſtis faciunt, & declinate ab illis.*

1. Neceſſitas Inquiſitorum propter veteris religionis conſeruationem.

Deut.13. & 16. & 17. quam Deus iubet.

Hier.6.

Rom.16. Hæretici nouant.

Huiuſcemodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentiũ. alios autem monebat, *ne ſint ſicut paruuli fluctuantes, ne circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumuentionem erroris.* Alijs autem præcipit, *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci; optimum eſt enim gratia ſtabilire cor.* Alios porro miratur *quia tranſlati eſſent ab eo, qui illos vocauit in gratiam Chriſti, in alıud Euangelium*: Iiſdem proinde ſub anathemate interdicit, ne etiã ab Angelis nouum quid recipiant. *Si,* inquit, *nos ipſi licet, aut Angelus de cœlo euãgelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis Euangelizauerit, præter id quod accepiſtis anathema ſit.* Tam ſtudioſi fuerunt ſemel traditæ fidei conſeruandæ veteres, quia ſi ſemel permiſiſſent licentiam mutandi, cuiq; pro lubentia licitum eſſet nouare: de qua nouatione tandem ſuccederet illud, quod ſuo ſeculo deplorabat Hilarius. Tot nunc exiſtunt fides, quot voluntates, tot doctrinæ, quot mores; tot cauſæ blaſphemiarum pullulãt, quot vitia ſunt; dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus; aut ita intelliguntur. Et cum ſecundum vnũ Deum, & vnum Dominum, & vnum Baptiſma, fides etiam vna ſit, excidimus ab ea fide, quæ ſola eſt, & dũ plures fiunt ad id cæperunt eſſe, ne vlla ſit.

Epheſ. 4.
Hebr. 13.
Galat. 1.
Ad Conſtantinum lib. vlt.

Non eſt difficile demonſtrare, Hilarium quaſi ex tripode pronunciaſſe: Vide quam ingentia blaſphemiarum plauſtra à nouatoribus excogitata fuerint, fidei ſubruẽdę cauſa. Caluino blaſphematori, Deus eſt auctor peccati, ſuggerens, iubens, operans. Eidem Chriſtus ſiue in horto ſudore ſanguineo madidus, ſiue in Cruce extenſus orans, ſenſu damnationis cohorreſcit, inq; inferno nihilominus gehennam, ô blaſphemiam, guſtat quam animæ damnatorum. Luthero, Bucero, Illirico, Kemnitio, Imago Dei in homine deleta; poſt peccati lapſum, libertas titularis; gratia Dei, nec purgans, nec illuminans, nec dictans, ſed peccata non imputans; Panis Euchariſticus, purus putus panis; quo quis ſceleratior, tanto vicinior gratiæ: omnia bona opera peccata: Soli recte participant cænæ Dominicæ, qui triſtes, afflictas, perturbatas, confuſas, erraticas apportant conſciẽtias; Purgatorium figmentum; Inferni ſupplicia fabulę Virgilianæ, O monſtra! monſtra! tamen iactantur, audiuntur, moribus recipiuntur, tandemq́ue eo venitur apud Nouatores, dum plures fiunt, nulla fit. Nã illæ plures, vel ad Mahumetiſmum, vel ad Atheiſmum Duces.

Blaſphemiæ hæreticorũ ſternunt viã Atheiſmo.

In Synodo Seleuciæ, Acacius, Antiochenus quiddam nouabat: Cui Sophronius Paphlago Pompeiopolitanus Epiſcopus, audite quid reſponderit, *Si,* inquit, *quotidie voluntatem ſuam exponere, fidei formulam edere eſt, deſtituet nos veritatis ipſa certitudo.* Sed & illud præclarum eſt quæſitum à Baſilio Macedone Imperatore, Photinianis nouantibus propoſitum. *Vnde eſtis? E cœlo? An è terra? Quatuor Patriarchæ vos damnant, quo ibitis?* O ſi cenſores fidei, veterno non fuiſſent ſepulti, ſed à Nouatoribus indidem quæſijſſent, *Tu quis es?* non illa tam tetra & horrenda audijſſemus probra; neq; tot animas Chriſti luce illuſtratas ad Mahumetiſmum, vel Atheiſmum defeciſſe, ploraremus.

Sophronij aureum dictũ.
Niceph. lib. 9. cap. 43.

Eſt & altera neceſſitas inquiſitorum in Eccleſia, *Pacis publicæ conſeruatio.* Extra controuerſiam eſt, nulla re quam auita religione, atq; eius vnitate, in vnius corporis ſocietate cõtineri liberos homines: nihil vero eos magis ſeparare, ac in pugnas excitare, quã in religione diſſidium, proinde nihil magis pacem publicã turbare, quam Nouatorum contentiones, præſertim, ſi illi ſuperiores Catholicis, ad quorum oppreſſionem & internecionem nati. Legiſtis apud Lirinenſem, vel Baſilium, quas cædes patrarint hæretici? Illas prætereo recenſere, Noſtra tantum commemoro, quæ nuper, vel in matris noſtræ gremio, vel alicubi apud vicinos facta. Non minus certe (*ita reliquit Hoſius*) nunc infelix eſt & calamitoſus ſtatus, quam olim fuit. Graue piaculũ viſũ eſt Baſilio, quod *clauſa tum fuerunt domus orationum*: At nunc à paucis illis, partim priuatorum domicilia factas, partim in horrea & equorũ ſtabula commutatas, partim prorſus euerſas; & quod horrendum eſt dictu, vix etiã apud

2. Neceſſitas inquiſit. propter Pacẽ pub. conſeruandã.
Quam Nouatores turbant dũ opprimunt Catholicos.

apud posteros credibile futurum, crucem in quam furti, aut alicuius sceleris condē-nati aguntur, in eo ipso loco vidistis collocatam, vbi crucis qua redempti sumus, & mortis Christi, iugis repræsentatio, recordatioque fiebat. Altaria tum spirituali cultu vacabant: Nunc diruta sunt & confracta, vt in plerisque locis, ne vestigium quidem illorum supersit vllum. Olim temeratæ erant coniuges, prophanatæ virgines: Nunc etiam de locis sacratis, sacræ Christi sponsæ, violenter abductæ & violatæ. Tum sacra prophanaq; omnia, priuata ac publica commixta; affinitates, cognationes, amicitiæ, domus, vrbes, populi, nationes, Imperia, concussa atq; funditus cōmota sunt, tum sanguine omnia respersa. Quid in multis locis nunc etiam actum sit & agatur audiuimus. Qui violenti insultus? Quæ cædes, quæ facinora, quæ coniurationes vulgi? quæ intestina bella? quæ effusiones sanguinis? quæ multa alia tetra & inaudita crudelitatis genera, in sacra & sacros homines? vos ipsi quotidie percipitis.

Nam seditiosi & turbulenti.

Fallar prorsus & errem, si apud nos, multo plures essent, & si nos potentia, viribusque superarent, non diuturnam nobis fore Pub. Pacem. Seditiosum & insolens hæreticorum genus est. *Excussa est*, ita eos delineat Parens eorum Erasmus, *ab eis obedientia Episcoporum, sed ita, vt ne prophanis quidem magistratibus pareatur. Magna olim Senatus fuit reuerentia, populi magna obedientia, nunc eo res recidit, nulla vt sit Senatus auctoritas populi vero summa licentia. Olim Christiani sub Ethnicis Principibus quiete viuebant, studiose cauentes, ne quam seditionis occasionem darent, exhibentes honorem cui debebatur honor, vectigal cui vectigal, tributum, cui tributum, hortabantur Christo initiatos, vt idololatris, etiam magistratibus obtemperarent, proque incolumitate eorum quotidie Deum orabant. At iste populus, tam Euangelicus, etiam Turcarum Principi dicitur esse detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos enim subinde tumultus non excitat? Quoties de causis leuibus non procurrit ad arma? Quot millium rusticam contra Magistratus commouit turbam?*

In epist. contra Pseudoeuāgelicos.

Erasmi encomium in suos hæreticos.

Nec vana temeritate, hæc in suos Erasmus. Nonne in Germania superioribus annis innumera pene millia plebeiorum, arma contra imperatorem corripuerunt? Nonne idē anno postelapso moliti sunt? Geneuæ, simul vt ibi regnum sibi Caluinus vsurpauit, nonne Principis iugum excussum, magistratus Ciuitate pulsus, nobiles & populares, omnia sursum deorsum subuersa? Lugduni & Rothomagi, quas eadem occupauerat secta, nonne iudiciorum subsellia erant fracta, tabulæ incensę, Curiæ nomen abrogatum? Quid nuperi motus & turbæ Praganæ, contra Rudolphum? Quid apud Vratislauienses nuper Diui Adalberti Basilica violata? Statuæ Diuorum igni vstę? Diuinissimum Sacramētum in cloacam proiectum? Sacra suppellex distracta, dilapidata, lacerata? per vim? per seditionem?

In libello de adoran. Trinitate.

Iurarunt, *si creditis Hosio*, hæretici, vt cum primum liceret coniunctis viribus cōcurrerent, ad tres, vt dicunt isti, pestes exterminandas, nimirum Pontificiam Ecclesiā, Nobilitatē, & Iuris disciplinam. An istud alibi faciant vidistis. An illud ausuri quādoque apud nos ex augurio animus horret. Et ista pericula, vos quibus interest, non mouebunt? Si quem videretis (ad vos ô amplissimi Patres Patriæ, sermonem contraho) ignem manibus ac ligonem gestantem, vt hanc Diui Tutelaris ædem demoliatur adnitentem, nonne fieret vt ab omnibus vobis, qui rem fortasse spectaretis tanquam Sacer homo piaretur? Et hanc subruerent hæretici, si plures essent; tamen præter hanc, Ecclesiasticæ religionis pietatem & doctrinā, à maioribus Diuis per manus traditam eradicatam esse cupiunt, & non vos opponetis? Non illud quod Aphraates insigne facinus audebitis? Sed narrabo ad exemplum.

Aphraatis zelus.

Niceph. l. 11. cap. 25.

Valens Imperaror magna calamitate afflixerat Ecclesiam: Huic, ex eremo Antiochiam aduolās Aphraates multo senio confectus, fit obuiam: A quo increpitus, Atqui, *inquit*, domi te, qui leges Monachorum sequeris, manere, ibique quiete considentem hoc facere oportuit. Tum senex. *Recte tu quidem ô Imperator, dicis me id facere debere, faceremq; id adeo libenter, si pax omnibus Christi esset. Sed cum multa quadam*

insania caligo, loco omnia occuparit, & maximus insuper subrepat timor, ne plurimo imminente periculo, à foris oues dilanientur, necessitas quoq; mihi incumbit, vt vigilem, omnemq; funem mouea̅, ne quod grex Christi capiat detrimentum. Age enim ô Imperator, si puella essem domi in conclaui abdita, fusos manibus tractans, & lanificium meum curans, atq; alicunde conspicerem flammam exortam, & omni ex parte paternæ domui circumfusam, fœdo incendio, iamiam co̅sumpturam, quid me facere oporteret? dic, te per Deum oro. Vtrumne me sic sedere, & penates patrios conflagrantes despicere, ignemq; proserpentem exspectare? an co̅claui statim relicto, sursum & deorsum currere, aquam in manibus habere & modis omnibus flamma̅ extinguere conari, oporteret? Satis scio, dicturum te faciendum mihi esse, quod & sagacis & saxæ mentis puella faceret. Idipsum vero nunc quoque fieri debere existimo. Cum tu enim quasi fulmen quoddam in paternam domum nostram incideris, & veriore̅ pietatem, peius quam igne vastes, vndiquaq; circumcursamus flammam gliscentem extinguere satagentes.

Vtinam vos tales, in amouendis saltem ministellis, qui Fax dissidiorum.

Quos facillimo negotio, à caulis vestris abigeritis, si Quæsitores Fidei institueretis, qui in nouellum aliquem Nouitium, nouas & peregrinas doctrinas dissemina̅tem inquirerent, *Tu quis es? Noster es*, an ex *nobis? Romanus*, an Geneuensis? *Orthodoxus*, an VVittembergicus? *Ab Austro*, an ab Aquilone? Si hi inuigilarent, atque ad obrussam auricrepatores examinarent; & auitam Doctrinam incontaminatam, haberemus, & Pace publica perpetuo frueremur. Per hos, Italia, Sicilia, Hispania, antiqua dogmata illibata retinentes pace florentissima orna̅tur. Hi enim sunt qui ab istis religosissimis Regnis hæresiarchas profligarunt, errores depurgarunt, seditiones & tumultus quosq; vel exoriundos præcauerunt, vel exortos composuerunt. Hos ergo, licet lupis renitentibus in vestras Ecclesias introducite; co̅silia & vires eorum Legibus innouatis, tum deinde Regis potestate iuuate. Hoc ex lege Dei vobis incumbit, hoc postulat Regni tranquillitas; hoc extorquet Ecclesiæ atq; Fidei ca̅dor: hoc exemplum Christi Iesu requirit, *Tenet ille ventilabrum in manu sua vt emundet aream*, & secernat paleas à tritico. Tenete & vos; & integritate̅ Fidei, atque Pacis publ. conseruate. Amen.

Allusio ad illud ex nobis exierunt, & ab Aquilone omne malum.

CONCIO II.

Et confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Ioan. 1. c.

Arrogantia vitanda



AMos Propheta, ab Amasia Sacerdote Bethel dum sugillaretur, quod contra Ieroboa̅ Rege̅ Israël prophetaret, siue vt inuidia̅ effugeret, siue vt humilitate̅ profiteretur, ita Sacerdoti respondisse fertur. *Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ: sed armamentarius ego sum, vellicans sycomoros*. Dixerat quida̅ Ethnicorum. *Inuidiam & fascinum lætis rebus insidiari, & plurimum interuenire*. Siue igitur inuidiæ declinandæ, siue fascino superbiæ, per demissionem fugiendo, no̅ sibi arrogauerit, quod erat; præclarè, & in exemplum virtutis fecit. Imitatus est Ioannes. Cum enim à Sacerdotum collegio rogaretur, An esset Christus, vel aliquis Prophetarum? licet esset, quo nemo maior inter natos mulierum, tamen vel inuidiæ vitandæ, vel arrogantiæ detestandæ causa, respondet, vt & Amos: Non sum Propheta, non sum Christus, No̅ sum Helias. Exemplo istoru̅ docebo, *Arrogantiam esse vitandam*.

Amos, 7.

Amos Propheta humilitas comparata humilitati Ioannis.

Pythagoræ illius, quem Valerius Max. perfectissimum opus sapientiæ, & omnis virtutis appellauit, dum symbolica legerem præcepta, cogitabam, quid insinuaret illo abstruso? *In annulo Dei imaginem, ne gestato*. Puto, quod non sacrorum numinum reuerentiam: horum enim imagines, non tantum in annulis, verum & in nummis æreis, aureis, argenteis antiquitas percutiebat, inque statuis, tabellis, & simulachris, fingebat, pingebat, colebat. Existimo quoque, quia non Diuinæ pulchritudinis imitandæ, studium: Cum enim Deus ad

In annulo imaginem Dei ne gestato, quid.

ad imaginem similitudinemque suam hominem formasset, & vigore mentis ornato, virtutum semina inseuisset, quibus se Deo, quam proximum efformaret; non inuidebat, istam venustatis formam nostris animabus Pythagoras, cui studium erat, symbolicis præceptis, hominē, vt par Deo cōsurgeret, figurare. Quid ergo; *In annulo Dei imaginem ne gestato?* Censeo, *Arrogantiam vitandam docuisse* tam præclaro symbolo; Aperio, & explico.

Arrogātia quatuor species. Annulus, ornamentum est digitorum: Digitorum officium est, vel iudicare, vel operari: Dei imago significat, similitudinē Diuinam, quam in annulo non gestare, nihil aliud est, quam vel non vsurpare sibi, quod à te non habes; vel si quid à Deo habes, neq; sibi deputare, aut plus quā est concessum aut sibi singulariter concessum arrogare. *Quatuor sunt species,* ait Gregorius, *quibus omnis tumor arrogantium demonstratur; cum bonum 1. aut à semetipsis habere se æstimant; 2. aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant, 3. aut certe cum iactant se habere, quod non habent, 4. aut despectis cæteris singulariter videri appetunt habere, quod habent.* Ex his doceo, quid sit in annulo imaginem Dei non gestare. Imaginem inprimis Dei in annulo gestat ille, quē arguebat Paulus dicens: *Quid habes, quod non accepisti?* Deinde & illi quos psaltes memorat, qui iactabant *manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* Tum deinceps omnes, qui siue naturæ, siue fortunæ, siue ingenij dona sibi à se, non autem à Deo opifice naturæ, neque à largitore munificentissimo inesse putant. Stulti, qui originationis sui obliti, non meminerunt, eius quod Iob de omnibus fatetur; *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* & quod *nihil intulimus in hunc mundum,* vt alter commemorat; & quia diuites cum dormierint somnum suum, *nihil inuenient in manibus suis.* Si qui autem tales reperiuntur vecordes, illi proculdubio ingrati in opificem suum, quid non tentant? quas nō erigunt cristas? quomodo non omnia sibi licere putant? Origo enim & fons omnium vitiorum est, putare, se, à se esse:

Greg. lib. 23. Moral. cap. 7.

1. Cor. 4.

1. Species putare se à se esse.

Iob 1.

Ideo qui talis, censet quoque se ex legem esse; Ideoque, vt Cassianus docebat, vniuersitatis creator & medicus Deus, causam, principiumque vitiorum superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit, vt scilicet ea quæ & per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent. Dicit Superbus, *ero similis Altissimo*: Iesus autem *cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, humiliauitque se factus obediens vsque ad mortem.* Ille dicit, *In cœlum conscendam*: Iesus autem; *humiliata est in terra anima mea.* Ille inquit, *Super astra Dei exaltabo solium meum*: Iesus vero: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde* Ille dicit: *Nescio Dominum, & Israël non dimittam*: Iesus autem profitetur, quia *noui eum,* inquit, *& mandata eius seruo, & si nō noui, ero similis vobis mendax.* Ille iactabundus omnia sua esse autumat: *Mea sunt flumina, & ego feci ea*: Iesus vero licet Omnipotens sit; tamen ait; *Non possum ego à meipso facere quicquam, sed Pater meus in me manens, ipse facit opera.* Ille sibi vsurpat dicens, *Mea sunt omnia regna mundi, & gloria eorum, & cui voluero do ea*: Iesus vero in quo sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei absconditi, & qui non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, *pauper,* inquit, *sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Ille dicit; *Sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret & ganniret*: Iesus autem meus vix mutit, iuxta illud, *Similis factus sum pellicano solitario, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto* In summa; ille cum à Diuina similitudine desciuerit, imaginēque Dei in se expressam, varijs sordibus obscurauerit, tamen illud quod emicat *luminis* in *facie signati ex vultu Diuino,* totū sibi arrogat: Iesus autē cū esset imago bonitatis Diuinæ, & character substātiæ eius, omnem habens virtutem, nihil tamen earum diuitiarum sibi ascribit, sed omnia se à Patre accepisse, ingenue fatetur: nimirum vt nos doceret, omnia nostra ad Patrem luminum referre, à quo omne donum perfectum deriuatur,

Li. 12. instit. cap. 8.

Isai. 14.

Antithesis Iesu humilis, & arrogantis hominis.

Philip. 2.

Psal. 43.

Matth. 11.

Exod. 5.

Ioan. 8.

Ioan. 14.

Isai. 10.

Psal. 103.

Gestant

Gestant & illi *in annulo, Dei imaginem,* qui Deum debitorē sibi suum cōstituunt; quasi ipse non ex beneplacito voluntatis suæ, sed ex præuijs operibus, prædestinauerit eos *conformes fieri imaginis filij sui.* Miseri qui nesciunt, quod de Iacobo & Esau scriptum est: *Cum necdum aliquid aut boni aut mali egissent, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi; Esau autem odio habui.* Bene Paulus nos admonet humilitatis nostræ, vt meminerimus, quod inquit, *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Ipse autem de seipso pronunciabat, *qui prius fui blasphemus & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum*: quibus verbis apertè testatus est, quia prima gratia, non pro meritis tribuatur, dū ex seipso docuit, & *quid de malitia meruit, & quid de beneuolentia accepit,* vt D. Gregorius declarauit.

Rom. 8.
Rom. 9.
Ephes. 2.
1. Timoth. 1.

3. Species arrogātiæ iactare quod non habet.

Gestant in tertia classe, *Dei imaginem in annulo,* qui iactant quod non habent, sicut de Moabo per Prophetam dicitur. *Superbiam eius, & arrogantiam eius, ego noui, & quod non sit iuxta eum virtus eius.* Talis & ille fuit Diues Apocalypticus, quem Iesus increpat dicens, *Quia iactas quod diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus?* Talis & ipse Rex super omnes filios superbiæ, qui ausus Christo polliceri Regna & imperia. *hæc omnia,* dicens, *dabo tibi, si procidens adoraueris me.* Cum tamen miser, nihil aliud hæreditarit in inferno, præterquā *operimētum vermes,* & substerniculum, *tineam,* viscera eius dies noctesque in perpetuum depascentem. Eiuscemodi diuitum, qui animæ suæ gratulantur, *habes multa bona,* cum omnium sint longe egentissimi, hæreditas in profundo inferni. Audite quid ad Moabum arrogantem Propheta dicat, ex Dei ore. *Ideo super Moab eiulabo. Erit enim Moab in derisum, & in exemplum omnibus in circuitu suo: pauor, & fouea, & laqueus, super habitatores Moab. Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam: & qui conscenderit de fouea, capietur laqueo: quoniam contra Dominum, gloriatus est.*

Hierem. 47.
Apoc. 3.
Matth. 4.
Vbi sup.

Placet insuper ex Ezechiele Propheta enarrare, quam seuere alterius Principis Tyriorum, punierit Deus arrogantiam. Ita eum alloquebatur: *Pro eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris; cum tamen sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei; ideo hæc dicit Dominus Deus, eo quod eleuatum est cor tuum quasi cor Dei, ecce ego adducam super te alienos, robustissimos gentium, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient & detrahent te, & morieris in interitu occisorum, in corde maris. Nunquid dicens loqueris corā interficientibus te, Deus ego sum? cum sis homo, & non Deus, in manu occidentium te? Morte incircumcisorum morieris; in manu alienorum, quia ego locutus sum dicit Dominus.* Sic vltus est Deus, temere sibi vsurpatam ab eo Diuinitatem, quam non habebat. Non est necesse commemorare supplicia innumera, quæ Deus irrogauit tū Lucifero, tum Adamo: illi quod se putaret æqualē esse Altissimo; huic vero & nobis, quod Diuinitatem falso promissam arrogauerit. Lucifero insultat dicens eousque. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* Adamo vero olim improperans, *Ecce,* inquit, *Adam, quomodo quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Eiecit itaque illum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est, inque dolore & sudore vesceretur pane suo, donec reuerteretur in cineres, ex quibus plasmatus fuit.

Ezech. 28.
Isai. 14.
Gen. 3.

4. Species arrogātiæ, singularis opinata.

Extremum genus est eorū, qui *in annulo, imaginem Dei gestant,* hi qui sibi dicunt, *singulariter sum ego, donec transeam,* qui scilicet, vt Gregorius expressit, despectis cæteris videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Talis Pharisæus orans in templo, qui idcirco absq; iustificatione descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti Publicano se prætulit. Sancti autem Apostoli, ab hoc vitio elationis reuocantur, qui de prædicatione redeuntes, cum elati dicerent: *Domine in nomine tuo, etiam dæmonia nobis subiecta sunt*: Ne de hac miraculorum singularitate gauderet, illicò

Luc. 18.
Luc. 18.

illicò eis respondit Dominus dicens: *Videbam Satanam, velut fulgur de cœlo cadentem.* Ipse quippe singulariter elatus dixerat; *super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; similis ero Altissimo.* Et mire Dominus, vt in discipulorum cordibus elationem reprimeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse Magister elationis accepit: vt in authore superbiæ discerent, quod de elationis vitio formidarent. In hac itaque arrogantiæ quarta specie crebro humanus animus labitur, vt id quod habet, habere se singulariter glorietur. In qua tamen similitudini Diabolicæ vicinus appropinquat: quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis Angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & Altissimi similitudinem superbe appetens, & iniquum desiderium, quasi ad quoddam culmen conatus est singulariter erumpere. Talis Eliu coram Iobo, quia & si à Domino dari sapientiam confitetur, in hac tamen elationis specie labitur, vt sapientiorem se cæteris gaudeat, & quasi de singulari bono sese inaniter extollat, dicēs, *Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium, ideo dicam: Audite me, ostendam vobis & ego meam sapientiā. Expectaui enim sermones vestros, audiui prudentiam vestram donec disceptaretis sermonibus, & donec putabam vos aliquid dicere, considerabam.* Quis non vestrum ridet, si modo aliquis sciolus inter vos surgit, qui eodem tumore mentis inflatus quo Eliu, cæteros præ se contemneret, ipsum autem se dignum cathedra Salomonis venditaret?

Isai. 14.

Iob 32.

Scitus est apologus de rana æquiparante se bobus, tantisper donec inflata rumperetur; quæ si se bobus anteposuisset, an non magis ridenda? seu potius miseranda? Ridendi & miserandi sunt omnes illi, quibus parum est pariles esse magnis, nisi ambulent in magnis & mirabilibus super se, magnos & excelsos viros prę se despicientes cum dicunt. *Non sum sicut cæteri, velut etiam hic.*

Luc. 18.

Senecio quidam apud veteres fuit, ingenij confusi ac turbulenti, qui cupiebat grandia dicere, adeo vt nouissime huius rei morbo, & teneretur, & rideretur. Nam seruos nolebat habere nisi grandes, & argentea vasa nonnisi grandia, eoque peruenerat insania eius, vt calceos quoque maiores sumeret, ficus non esset nisi mariscas, concubinam ingentis staturæ haberet, omnia grandia probaret, summis quoque digitis quia grandior esset insisteret. Ideoque ab omnibus cachinnis exceptus vocabatur Senecio Grandio. An inter nos non multi tales qui——&c. Ridendi & miserandi qui se supra se tollunt.

Arrogātes stulti.

Nihil certe arrogantia atque superbia peius esse, docebat aureum os; quæ mentis quoque vires natura hominibus, concessas ita deijcit, vt amentes ex prudentia, ac animo stolido efficere videatur. Nam quemadmodum, si quis cum statura cubitus sit, instar montium, imo altiorē etiam se putet, ac ideo seipsum quasi montes excessurum erigat, nullum aliud argumentū insaniæ suæ quæremus: sic cum inflatum videris hominem qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur, nullū iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tanto quippe rediculosior is est, qui natura insaniunt; quanto ipse sponte hunc sibi morbum iniecit: nec hac re solum miser, verūetiam, quia in miseriæ fundum se detrusit, vt nihil sentiat. Quando enim is peccata sua, vt oportet cognoscet? Quando nimiū se delinquere sentiet? Quando studebit, melior indies euadere? Certe quasi vile mancipium & miserum captiuum Diabolus eum adduxit, agitatque verberibus & mille contumelijs, quocunque velit, vt iacturam omnium virtutum quicunq; est talis patiatur. Ideo recte Cassianus, arrogantiam, pestem esse vniuersarum virtutū asseuerauit. Nullum, inquit, vitium est aliud quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctaque iustitia & sanctitate hominem spoliet ac denudet, vt superbiæ malum, tāquam generalis quidam ac pestifer morbus, non vnum membrum partemue eius debilitare contentus, sed solidum corpus lethali corrumpit exitio, & in virtutū iam fastigio collocatos, grauissima ruina deijcere ac trucidare conatur. Omne namque

Chryso. hom. 59. in Matth.

Arrogātes omnium virtutum iacturam patiuntur.

vitium suis est terminis, & fine cōtentum, & licet contristet alias quoque virtutes, contra vnam tamen principaliter tendit, eamque specialiter opprimit & impugnat. Et vt hoc ipsum, quod diximus, clarius possit intelligi, gastrimargia, id est, appetitus ventris seu concupiscentiā gulæ, temperantiæ rigorem corrumpit; castitatem libido contaminat; ira patientiam vastat; vt nonnunquā vni quis deditus vitio alijs virtutibus non penitus destituatur, sed illa tantum virtute truncata, quæ è diuerso æmulo sibi vitio repugnante succumbit, reliquas possit vel ex parte retinere, hæc vero cum infelicem possederit mentem, vt quidam sæuissimus Tyrannus sublimissima capta arce virtutum, vniuersam funditus Ciuitatem diruit atque subuertit; excelsa quondam sanctitatis mænia vitiorū solo coæquans atque permiscens, nullam deinceps imaginem libertatis animæ sibi subditæ, superesse concedit. Quantoque cæperit ditiorem, tanto grauiore seruitutis iugo subditum, vniuersis virtutum facultatibus crudelissima deprędatione nudabit. Nec enim medicores tantum paruosque tentat, sed maxime in fortitudinis culmine consistentes. Ita enim de hoc spiritu propheta commemorat: *& cibus eius electus.* Ideoque beatus Dauid, licet tanta circumspectione cordis sui custodiret arcana, vt ad eum quem secreta conscientiæ suæ non latebant, audenter proclamaret: *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me, nisi humiliter sentiebam*: & iterum, *Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam*: Sciens tamen quam difficilis sit etiam perfectis ista custodia, non de sua tantum præsumit industria, sed orans Domini implorat auxilium, vt huius inimici telum possit insauciatus euadere dicens. *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me.* Pauens ac metuens ne in illud incidat, quod dicitur de superbis, quod eis Deus aduersatur: & quod *ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.* In hac arena cecidit Lucicifer, Prothoparentes corruerunt, Babelis structores *disperierunt in Endor, facti sunt vt stercus terræ.* Imaginis Diuinæ indicatores vel arrogatores superbi, non potuerūt subsistere in hoc puluere, expulsi sunt, & in inferiores partes depulsi. Tu quisquis es, si sapis, *In annulo imaginem Dei ne gestato*: Arrogatione donorum bilem Deo, hominibus vero splenem ne moueto: Nam ille *superbis resistit, humilibus autem* consummatum gratię fructum tribuit de cœlis, Amen.

Arrogātia summos vertices tentat.

Habac.1.

Psal. 130.

Oratio Dauid contra superbiam.

Psal. 100.

Psal. 35.

Psal. 88.

CONCIO III.

Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. Ioan. 1.

Cur Ioannes Christi aduentum præcesserit.

TEMPORE quo placuit Deo *in Idumæam* mortalitatis nostræ *extendere calceamentum suum,* adlibuit ei non sine prodromis venire: *Dixit Deus, ex Basan conuertam*, vt est apud Psaltem, *conuertam in profundum maris*, scilicet, iam satis est quod in genus humanum durior hucusque fuerim, & misericordiæ meæ viscera, intra siccitatis cancellos roboreos (id enim Basan significat) continuerim: placet ex hoc querceto Basan exilire, profundumque bonitatis meæ oceanum in mortales aridos effundere. *In Idumæam itaque extendam calceamentum meum; vt intingatur pes* meus *in sanguine* assumpto. *Viderunt istos ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, regis mei qui est in Sancto,* quando in Virginis vterum descendens processit rubicundus, tanquam sponsus de thalamo suo: non tamen sine anteambulonibus: *Prauenerunt* (vidit Dauid) *Principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum. Principes Iuda Duces eorum; Principes Zabulon & Principes Nephtali.* Antecessit Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, primi Vatum. Subsecuta cohors duodecim Prophetarum, singuli emblemata Principi Principum præferentes. Hos deinde consecutus, ille quo nullus maior inter natos mulierum, Ioannes, præiuit ante ipsam faciem eius, qui medius inter nos steterat; cuius corrigiam calcea-

Psal. 67.

Dei aduētus non sine prodromis.

Psal. 67.

menti soluere indignum se esse profitetur. Cur aduentum Christi præcesserit inquiremus.

Statua Mennonis. Lib.52. ca. de loto. Inter admiranda antiquitatis monumenta, prostabat apud Æthiopas insignis quædam statua, index Solis orientis & præco. Meminit illius Pierius in suo Hieroglyphicorum libro; *Mennonis*, inquit, *statua sedens, nigro è lapide, magna religionis celebritate in Æthiopia visebatur. Erat ea diei aduenientis indicium, vt auroræ filius maternum officium imitaretur. Eo autem artificio fabricata erat, vt Sol primo statim ortu radios suos in os eius eiacularetur, ac veluti plectrum aliquod, ibi sonum excitaret, vocaliq; significatione iam adesse diem nuntiaret.* Index itaque fuit illa statua Solis orientis, excitans homines ad surrectum, & hinc ad cultum sideris, cui gens Æthiopum inclinis. Fuit insuper, & præco eiusdem astri, cui artificioso motu fibrarum gutturis, & hinc sonitu vario excitato, aduentum gratulabatur, & radios diffundentem Phæbum consalutabat, cum gentilibus huius mirandi artificij inuentoribus.

Cæca nox præcesserat Christi aduentum, postquam Prothoparentes nostri percussi fuerant ab illo, qui transfigurat se in Angelum lucis. In his tenebris atque vmbra mortis sedentes nostri maiores implorabant, & exspectabant ortum Diuinæ lucis. Pollicebatur Deus, *orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen Sol iustitiæ*, tamen nōnihil differebat; donec *vmbræ horologij Achaz*, retrocederent, implerentur scilicet *hebdomadæ* nocturnæ à sanctis Vatibus prædictæ. His exactis cum destinasset iam emergere, & terras deumbrare; voluit præformare ex sterilis Elizabethæ vtero, quasi statuam vocalem Ioannem, qui index esset & præco lucis veræ, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Hunc vero tam docto pollice figurauit, vt dum adhuc primogenitos, ex vtero Mariæ parentis, in orbem eiacularetur radios, primo in os Ioannis apertum conijceret: quibus ille ictus, illustratus, & incalefactus, fibras gutturis, in vtero conclusus aperuit, & linguam infantem, oraque tacentia soluit, ad ortum *Solis iustitiæ* indicandum & prædicandum. Sensit Elizabetha diffusiles radios veri Solis, dum adhuc *in Sole posuisset tabernaculum suum.* *Psal. 18.* namque mente à Spiritu mota; *Ecce*, inquit; *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* *Luc. 1.* Quasi diceret, Ecce vt per te suam baiulam Sol iustitiæ irradiauit in domo mea, & aurei luminis micantes radios vix diffudit, percepit eius fulgoris vim nondum perfecte efformatus index eius; & licet nondum laxatis fibris gutturis potuit, resonare tamen cæpit corporis motu, signaque futuri eius aduentus insolito gaudio dedit.

Vmbræ horologij Achaz quid innuunt. 4. Reg. 20.

Ioan. 1.

Sic etiam, dum ad perfectæ ætatis statum adoleuisset Christus, & iam non scintillam, vel radiolum, sed totum doctrinæ & gratiæ lumē huic nostro diffundere cogitabat, primo in os Ioannis testificaturi de lumine, lumen suum eiaculatus est; vt sicut ex Virgine conceptum, conceptus ex sterili; & conclusum in vtero Solem, conclusus velut lucerna antecedebat; ita meridiano quoque fulgore irradiaturum, tanquam sidus fulgentissimum præcederet. Hoc radio Solari excitus Ioannes, tam vehementes edidit clamores, vt & in deserta solitudine, & in circumiacentis regionis, pagis, vicis, vrbibus, audiretur: Nemo erat qui non impleretur illis vocibus, *Pœnitentiam agite, appropinquauit vobis regnum cælorum.* Vniuersorum enim mentes percellebat, omnes ad aduentum magni Dei paratos esse iubens. Hæc causa est, cur Ioannes, aduentum Christi præcesserit. Sed eandem magis discutio.

1. Index Christi in cōceptione. Isa. 7. & 9. Præcessit Christum Ioannes, inprimis in vtero; vt conceptus de sterili, conceptum de Virgine indicaret. Verū est, quod Esaias longe ante prædixerit olim Virginem cōcepturam ac parituram filium, cui nomen esset, *Deus, pater futuri sæculi.* Cæterum, cum ea res insolens esset, nec ab omnibus, aut crederetur, aut expectaretur; præstruendæ fidei Ioannem indicem præmisit: qui natus ex effæta, probaret partum ex intaminata Virgine Deipara non impossibilem fore.

Hom. 49. in Genes. Diuus Chrysostomus quærebat. Quid sibi, inquit, vult ille sterilium chorus? Non solum

ſolum Rebecca ſterilis fuit, ſed & mater iuſti Sara, neque mater eius ſola, ſed & nurus, Rachel vxor Iacob. Omnes iuſti, omnes virtute præditi, omnes à Deo teſtimonium habentes: Nam de ipſis dicebat: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Beatus autem Paulus: *Ideo non confunditur*, inquit, *Deus, vt vocetur eorum Deus.* Multę ipſorum laudes in nouo, multæ in veteri: vndiq; clari & nobiles, & omnes ſteriles habuerunt vxores, multoque tempore caruerunt liberis. Sed dicamus cauſam propter quam mulieres illæ ſteriles fuêre: Scilicet, vt cum videris Virginem noſtrum Dominum parientem, ne ſis incredulus: Exerce enim hic tuos ſenſus, inquit, in conceptu ſterilium, & cum didiceris ligatam, & emortuam vuluam, Diuina virtute, ad procreationem aperiri, inde copioſis argumentis acceptis, non admireris audiens quod Virgo pepererit; imo admirare & obſtupeſce, ne ſis incredulus miraculo. Quando igitur; dicit tibi Iudæus, *quomodo peperit Virgo?* Dic ei. *Quomodo peperit ſterilis, & vetula?* Duo impedimenta tunc erant, & ætas intempeſtiua, & natura vitiata. In Virgine autem vnum impedimentum fuit; quod eſſet expers concubitus. Sterilitas igitur iam parebat virginitati. Et vt ſcias, quod propter hoc ſteriles prius fuerunt, vt credatur virginitatis partus; audi verba Gabrielis, quæ ad Virginem dixit. Poſtquam enim venit & dixit: *Concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum*: obſtupefacta eſt & admirata, ac dixit: *Quomodo erit mihi iſtud quia virum non cognoſco?* Quid igitur Angelus? *Spiritus ſanctus ſuperueniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Ne quæras, inquit, naturæ modum & ordinem, quando ſupra naturam ſunt quę fiunt. Ne ſpectes coniugij dolores, quando maior, quam in nuptijs natiuitatis modus eius erit. *Et quomodo fiet iſtud*; inquit, *quoniam virum non cognoſco?* Atqui propter hoc ipſum fiet, quoniam virum non cognoſcis. Nam ſi cognoſceres virum, non fuiſſes habita digna, vt huic miniſterio ſeruires. Itaque quam ob rem dubitas, eam ob rem crede: non quia malum nuptiæ, ſed quia melior virginitas. Hunc autem ingreſſum noſtri omnium Domini, digniorem oportet eſſe, quam noſtrum: Regius enim fuit introitus. Oportebat autem partim cum noſtra natiuitate communicare, partim alienum eſſe: & vtraq; hæc fuerunt. Et quomodo? Audi. Nam de vtero prodire; commune habet nobiſcum: abſq; nuptiali autem congreſſu naſci, ſupra noſtram eſt natiuitatem. Naturale eſt conceptum fieri in vtero: ſupra naturam eſt abſque commixtione eſſe prægnantem. Et propterea vtraque, vt & excellentiam, & communionem quam habet tecum, diſcas. Conſidera autem, quanta Sapientia hæc facta ſint: Neque eminentia obfuit aſsimilationi & affinitati ſuæ nobiſcum; neque noſtra affinitas & ſimilitudo, eius obſcurauit excellentiam: ſed operibus vtraque oſtenſa ſunt, & alia perfecte habuit nobiſcum, alia non habuit, ſed ab eis totus liber fuit.

Hebr. 11.

Sterelium chorus præceſſit, aſtruendi Partus virginei cauſa. Matth. 1.

In Chriſti natiuitate aliquid cõmune nobiſcum, aliquid alienum.

Concordia maxima maxime diſcordium.

Verum, vt dixi, propter hoc ſteriles fuerunt iſtæ, vt credatur virginitatis partus; vt ipſæ nos manuducant ad fidem promiſſionis: Audi enim quid Angelus dicat ei. *Spiritus ſanctus veniet in te, & virtus Altiſſimi obrumbabit tibi.* Sic, inquit, poteris parere. Totum enim operatione Spiritus fiet: Ne igitur ſpectes ad terram, de cœlis operatio venit. Spiritus gratiæ eſt, quod fit, ne quæras naturæ modum, neque iuxta nuptiarum leges intelligas. Verum quoniam maiora ſunt verba hęc, quam vt illa homo capiat, vult, & aliam ei præbere demonſtrationem. Tu autem, obſecro, attende, quomodo ſterilis iſtam manuducat, ad fidem partus. Quoniam prior demonſtratio erat maior cogitatione virginis, audi quomodo & humiliorem ſermonē affert, per ſenſibilia ipſam manuducens. *Et ecce*, inquit, *Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi quæ vocatur ſterilis.*

Matth. 1.

Vides quod ſterilis propter Virginem? Quoniam cuius gratia alioqui retuliſſet partum cognatæ? Cuius item gratia dixiſſet, quæ vocatur ſterilis? niſi vt per omnia manuduceret eam ad credendum annunciationi? Ioannes itaque præceſsit, vt eſſet index, & aſſertor conceptus, & partus Virginei. Propterea non vulgatur ex domo Zachariæ partus Saræ, Rebeccæ, aut Rachel,

chel, ſed ipſius Elizabethæ, quæ effæta concepit tam inſignem Prophetam, vt Prophetarum conditoris natiuitas, ex recenti miraculo patrato, non impoſsibilis eſſe videretur incredulis.

2. Ioannes index & præceſſor Christi in doctrina. Præceſsit deinde Ioannes Saluatorem noſtrum, vt index eſſet Doctrinæ eius admirandæ: Medicorum conſuetudo eſt in ophtalmia ſananda, quam aliqui horrendo carcere concluſi contraxerunt: vt non primo eos permittāt aſpicere plenum Solis fulgorē, ne magis cæcutiant; ſed in cubiculo tenebroſo, primum lumine candelæ, deinde modico ſplendore Lunæ, aut Solis, paulatim oculos attemperant: ſic & lux mundi Chriſtus, non primo immenſum ſplendorem ſuum mundo irradiauit, *Ioan. 5.* ſed ante ſe Ioannem, qui erat *lucerna ardens & lucens*, præaccendit: vt eius ſanctimoniæ atque doctrinæ radijs aſſuefacti, *Ibid.* ferre poſſent aſpectum illius, quem *vidimus plenum gratiæ & veritatis.* Præſertim vero quoad vitæ integritatem inſolētem: Namque Saluator noſter cogitabat, omnigena virtutum perfectione, mundum contaminatum imbuere. Ideo ne talem ſanctitatis ſplendorem impoſſibilem eſſe dicerent homines in homine, præmiſit ante ſe Ioānem, qui virginitatem Chriſti illibatam, ſuo celibatu, patientiam, tolerantia; quadragenarium ieiunium quotidiana abſtinentia; fortitudinē & tolerantiam, martyrio conſtantiſſimo credibilem demonſtraret. Tum deinde vt perſonam Saluatoris Meſſiæ in ſcripturis adumbratam, velut candela admota deumbraret atque oſtenderet. Et ſane id præſtitit abunde. *Abſconditum Deum*, olim prædicebat Iſaias, qui vt alter ait, inter nos conuerſaretur: Hunc Ioannes indicauit dicēs; *Medius* veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, qui ante me factus eſt. Orabant antenati, vt emit- *Iſai. 16.* teret Meſſiam *Agnum dominatorem terræ?* Hunc Ioannes oſtendit, *Ecce*, inquit, *agnus* *Ioan. 1.* *Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Spetabant quandoque Saluatorem iuſtum, vt lampada exoriturum: Ioannes *venit, vt teſtimonium perhiberet de lumine*, quod *lucet in tenebris, & tenebræ illud non comprehenderūt.* *Iſai. 11.* Iſaias prædixerat ſuper florem Ieſum requieturum ſpiritum ſeptiformem: Hunc ſuper verticem eiuſdem deſcendentem vidit Ioannes, & populis denunciauit.

3. Ioannes præceſſit index abrogatoris Sacramentorum veteris legis. Præceſſit demum Ioannes Sacerdotem Melchiſedechianum, vt index eſſet Antiquatoris Sacramētorum veteris legis. Nimis dura, & intoleranda fuerant. Quamobrem placuit renouatori veterum, noua facere omnia. Non tamen ſine præambulone, ne forte populus ille veteribus cerimonijs addictus, non tam facile iugum leue ſuſciperet, antiquo aſſuetus. Præcede tu Ioannes, inquit, & abrogata circumciſione, vitalis lauacri, prælotionem inſtitue. Inſtituit, & inſolita ablutione baptiſmatis, limitem ſe conſtituit, circumciſionis & baptiſmi; veteris & nouæ legis; cerimoniarum & Sacramentorum.

Votum, vt Ioannem ſequamur. Vtinam vel in hoc Præceſſorem Chriſti ſubſequamur. Abluti in baptiſmate, ſcitis quid dixerimus? Abrenuncio tibi Sathana. An recordamur elementorum vitæ, quibus initiati? Ingreſſi in porticum, & ſtantes verſus occidentem (Cyrilli Hieroſolymitani verba applico) mandari vobis audiſtis, vt protenſa manu tanquam præſen- *Abrenunciatio baptiſmatis expenditur.* ti Satanæ renunciaretis. Dixiſtis, *Renuncio tibi Sathana.* tibi, inquam, ſcelerato & ſæuiſſimo tyranno. Non amplius metuo vires tuas; diſſoluit enim eas Chriſtus, ſanguinem mihi ſuum & corpus communicans: vt ſuis paſſionibus & morte, mortem opprimeret, vt ne perpetuo eſſem obnoxi- *In mores.* us ſeruituti. Renunciauimus illi ſerpenti callido & impoſtori, qui ſub ſpecie amicitiæ, omnem agitat iniquitatem, qui maiores noſtros ad defectionem induxit, qui eſt totius improbitatis opifex & miniſter. Renunciauimus, non ſolum ipſi, ſed *Cultus dæmonis quis.* *& omnibus tuis* (ita dicebamus) *operibus.* Opera Sathanæ ſunt, cuiuſuis generis peccata, quibus te renunciare neceſſe eſt; vt cum aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare ſtudet. Omne igitur genus peccati ſub hoc operum Diaboli nomine compræhenditur: Quæ diximus, non ignores, illa præſertim formidabili hora, ſcripta ſunt in libris Dei abſconditis; vt ſi quid deinceps aduerſus illa pronunciata patrauerimus, tanquam præuaricatores iudicemur.

Renunciauimus inſuper, *& omni pompa illius*

illius. Pompa diaboli est, in theatris spectacula. in——sed supprimo———Renunciauimus, vt manu extenta iurabamus, *& omni tuo cultui*. Cultus Dæmonis, est peccatum. *Quid mihi prodest*, inquit, Origenes, *si genua corporis mei ad orationem veniens flectam Deo, & genua cordis flectam Diabolo? Si enim non stetero firmus aduersum astutias Diaboli? flexi genua mea Diabolo. Et si non constanter stetero aduersum iram? flexi genua mea iræ. Similiter & si non constanter libidini restitero? flexi libidini genua cordis mei. Et in singulis quibuscunque quæ contraria sunt Deo, hoc facere videbor, nisi fortiter & constanter stetero, sicut & illi fecerunt, qui coluerunt Baalim.*

Bene alter: Non est tantum in eo seruitus idoli, si quis duobus digitis thura in bustum aræ iaciat, aut haustum pateræ poculo fundat merum. Neget auaritiam esse idololatriam, qui potest triginta argenteis Dominum venditum appellare iustitiam, neget sacrilegium in libidine, sed is qui membra Christi & hostiam viuam placentem Deo, cum publicarum libidinum victimis nefaria colluuione violauit. Neget fraudem idololatriam esse, sed similis eorum qui in actibus Apostolorum ex patrimonio suo, partem pretij reseruantes præsenti perierunt vindicta.

Narratio de militibus Iuliani.

Apud Nicephorum lego, quosdam milites, quum post sacrificium communiter in conuiuio hilares epularentur, quod in compotationibus fieri consueuit, propinantes inter se Christum in poculis nominatim aduocasse. Ibi ex conuiuijs vnus, *Perfacete hercle facitis*, inquit, *qui Christum nunc inuocatis, quem paulo ante, cum vos Imperator muneraretur, & thura in aram imponeretis abnegastis*: An non etiam abnegat ille quisquis se sanguine, vel——contaminat?

Et nos quidem his omnibus abrenunciauimus, in baptismate. An vero meminerimus eorum, quæ iurauimus & statuimus custodire? Secum quisque potest iudicare. Præiuit Ioannes vt initiatione, sic & initiationis obseruatione, sequamur Præducem, si Beato consedere cupimus in cœlis, Amen.

DOMINICA QVARTA ADVENTVS DOMINI.

Anno Quintodecimo, &c.

Luc. 3. cap.

CONCIO I.

Cur Deus hominis consortium exoptat.

CVIVSDAM matris stupendus amor erga filiolum, laudatur à Plinio, quem Apelles penicillo depinxit: *Huius*, inquit, *pictura est, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturq; sentire mater, & timere, ne emortuo lacte sanguinem puppus lambat.* Stupendus, inquam, huius matris erga puppulum amor; quæ etiam moriẽs, adrepentem illum papillæ non reijcit, sed admouet; interim autem veretur, ne pro vitali, mortalem sugat liquorem. Magis stupendus amor eius est, qui ait, *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*, erga genus humanum. Hoc inardescens ille optat, non tantum nos sibi adpectorare, profluuioque cœlesti inebriare, sed etiam medullitus nobis se insinuare, inq; seipsum demutare. Ideo nihil magis ambit, quam consortium humanum, summas reputans delicias, deliciari cũ filijs hominum. Huic rei conciliandæ, vt olim Ioannem, sic etiam nunc mittit suos præcones, qui inuitent, pelliciant, & moneant, *Parare viam Domino*, intra nostra viscera properanti. Cur autem nostrum tantopere exoptet consortium inuestigabimus.

Matris cuiusdam stupendus amor.

Isai. 66.

Quonam desiderio ardeat Deus in genus nostrum, cum peruestigarem, statim mihi occurrit Apocalyptica eius apparitio; cuius quot circumstantiæ, tot illices amoris, quo deflagrat in animas. *Vidi in medio septem candelabrorum aureorum, similẽ filio hominis, præcinctum ad mamillas zona aurea, vestitum podere. Caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquã flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco in camino ardenti, & vox illius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera sua stellas septem, & facies eius sicut Sol in*

Apoc. 1.

Illices & indices amoris Dei erga mortales.

virtute

virtute sua. Dixi quot emblemata esse huius apparentis, tot illices amoris, quo exæstuat in animas nostras. Titillat quem species? Quo speciosior nullus præ filijs hominum videatur, talem se demonstrat. Ambis aurum? Aurea zona præcinctus, auro diuitiarum quas communicat, ad se illigat. Honoribus illustrari desideras? Stellas dispergit, & stellis ornat vertices suorum. Similitudo, causa amoris esse atque dici solet; ideoque ipse similis nobis foris apparuit, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*, Quæ candida, amabilia: In eo omnia & caput, & capilli, & pectus, imo ipse totus candidus, & rubore roseo perfusus, vt totus esset desiderabilis. Vox aquarum multarum, pisces ad se congregat: Ipse vocem sibi efformabat, ad instar susurri earum, vt *facies hominum* quæ sunt, sicut aiebat Propheta, *vt pisces maris* ad se conuerteret, illis omnem ex se oblectationem exhibiturus. Sol propensione irradiationis, intimis quoque visceribus illabitur: Dei autem facies lucebat sicut Sol in virtute sua, vt declararet, se in extremos quoque recessus animæ illabi velle, summa cum animi voluptate. Et ne singula persequar; licet vt dixi, omnia huius Diuinæ apparitionis lineamenta sint indices immensi desiderij Diuini, coniunctionis cum homine, illud tamen præ cæteris, quod visus est habere *pedes similes aurichalco, sicut in camino ardenti*, amorem eius vehementissimum demonstrat. Sed quomodo? vt aurichalcum, in camino ardens, nunquam immobile permanet, sed huc atque illuc volutatur, cupidum velocissimo profluuio diffundi; sic & Dei sapientia, *mobilior omnibus mobilibus*, hoc vnum prætendit, vt *attingat ad finem à fine fortiter, & disponat omnia suauiter*: Sic, inquam, Dei verbum, Saluator Iesus, coniunctionis humanæ auidus, nunquam vno loco vel corde clauditur: sed huc atque illuc, vt flamma per nix discurrit, & omnibus sese insinuare, igneaque virtute Diuinitatis in Deos commutare omnes pertentat.

Philip. 2.

Sap. 7. & 8.

Explicatur locus. Psal. 59.

Hoc eius ingens desiderium lego apud Psalmē, *Deus locutus est in Sancto suo.* Quæris in quo Sancto suo? Aio, in illo, cuius nomen Iesus, quod *Sanctum Domino vocatum est ab Archangelo*: Namque in eo, *Deus erat reconcilians sibi, mundum.* Quid vero locutus est? Attende quam superbe videtur gloriari, quia nonnullos sibi conciliauerit; suique iuris fecerit: *Lætabor & partibor Sicehimam, & conuallem tabernaculorum metibor. Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei. Iuda rex meus, Moab olla spei meæ.* Credo non tam lætabatur Magnus ille Alexander, Persis, Bactris, Indis subiugatis, quantum exultat Deus, cum aliquod corculum possederit. Plorabat ille Magnus cum audijsset, alios esse Orbes, quos nondum suæ ditionis fecisset, ictus cupidine Imperij. Simile quid noster Maximus ambit, cui parum erat Moab, Iuda, Ephraim atque tot illustrium tribuum, *duodecim millia* ex singulis, *designati. Et plus*, inquit, *& vltra*, conandum est mihi, vt proferam fines ditionis meæ. *In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt.* Et vide quam flagranti desiderio ardeat, indipiscendæ possessionis: namque quasi extra se positus vociferatur; *Quis deducet me in Ciuitatem munitam? Quis deducet me vsque in Idumæam?*

Luc. 2.

Idumæam, Augustinus interpretatur, terrenam. Calceamentum in veteri lege, signum erat connubij: Nota est historia repudij Ruth Moabitis, quam cum nollet propinquus sibi coniungere, sed Boozo cederet iuri propinquitatis, calceo detracto confirmauit cessionem. Exsinuat se mihi hic amor Dei ardentissimus, in lutū nostrum, in quo vestigium pedum suorum imprimere, suo igni coniungere, & ex se & ex me vnum facere festinabat; vt esset Verbum caro factum, Deus & homo, Diues & pauper in vnitate hypostatica: & postmodum à deriuatione plenitudinis gratiæ in membra, vnum corpus nobiscum. Quamobrem cum optabat. *Quis deducet me in Idumæam vsque?* volebat dicere, *Deliciæ meæ sunt, esse cum filijs hominum*; quis meis diriget gressibus iter? Quē præcursorem mittam? Quis parabit viam pedibus meis succensis? *Terra scabellum pedum meorum est*; quis procumbens ad pedes meos, non dico, *corrigiam soluet calcea-*

calceamenti mei; nolo enim dissolui, sed magis connubium conciliabit inter me & relictam fratris mei, humanamque naturam magis arctè mihi illigabit, & terram hanc sanguinibus pollutam supponet figurationi meæ?

Deus propter bonitatem suam communicandam optat consortium hominis. Sed quæris tandem, cur tantopere consortium hominis exoptet? Causam non inquire: Bonitatem tantum exosculare, quæ mouit & mouet ad benefaciendum. Ignis calorem suum vnicuique suæ bonitatis spontanea inclinatione communicat, & quod perurit, in seipsum conuertit. Deus noster ignis consumens est; vapor virtutis Dei filius & emanatio quædam claritatis omnipotẽtis Dei sincera, sua sponte ignitis pedibus inambulans, ignire cupit animas, & in seipsum transformare, vt homo Diuinæ consors factus naturæ, vnum in spiritu, in charitate, in beatitudine, in diuitijs inæstimabilibus, inque Regni administratione siderei, sit cum ipso. *Similia. ignis. Deus.*

Mater. Mater distenta lacte vbera gestans; lactis illius non indiga, seipsum naturæ quodam instinctu, bono illo exonerare quærit, & paruulum ipsa præhensat, & vel inuitum trahit & papillis admouet, & ipsa plangentis, renitentisque ori mamillam imponit, exprimit, infundit; delicias reputans, si non tantum sua sed & seipsam paruulo communicare, & quasi quodam interno illapsu coniungere possit. Deus noster instar matris se esse erga nos testatur; quamobrem distentum bonitatis pectus præferens, huic zonam auream vniuersitatis vt quendam paruulum adcinxit & admouit, vt Orbem superum & inferum talibus ac tantis oneraret bonis. Et quia nescio quid lactis Diuini remanserat in eius papillis, cuius creatura inanimata incapax est, ipse circuit, & ad instar matris anxiæ quærit hominem paruulum, vt eum vberibus consolationis admotum, nexu insolubili coniungat, Diuinitate sua illum inebriet, & illapsu quodam ineffabili in eius interiora penetret.

Prou. 1. Vnde exiliens in plateas, omnes aduocat, *Vsquequo paruuli diligitis infantiam?* Quousque tandem mea refugietis vbera? Non sunt absinthio, aut felleo amarore uncta; non, sed mellinio suauissimo imbuta. Venite, gustate, quam suauis ego. Mater ego, non nouerca: Mater, & illa onusta bonis, Mater, & illa affectu ardentissimo vobis impertiendi exæstuans.

Sponsus. Sponsus amore sponsæ captus, eam sibi tam arcte agglutinare cupit, vt diebus & noctibus, domi & foris, in terra & in mari, & quocunque pergit, eam sibi in intimis, si fieri posset, visceribus connexam deferat; & quia naturæ tam intimos non nouit nexus, quod potest, in memoriam perennem vtrumque consociauit: Deus, *& ipse tanquam sponsus, procedens de thalamo suo*, nihil aliud in votis habet, hoc vnum cogitat, hoc quærit, hoc per Sanctos procurat, vt hominem sibi deuinciat & vniat. *Despõsabo te*, inquit, *mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.* Ipsi nostis, quo ardore vocarit illam præ cæteris amatam, *Aperi, surge, veni.* Sed nunquid eius aliquo commodo vocabatur? Ne minimo quidem. Colligo idipsum, ex verbis, quibus eandem pelliciebat, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Quo thyrso, quo iaculo? quo beneficio? Nullo prorsus. *In vno oculorum tuorum*, ait, *& in vno crine colli tui.* Quasi dicat. *Lana caprina* mihi est, quæ tui amorem in me accendit: hęc lana, non meum, sed tuum collum exornat: hoc vellus aureum, te, non me vestit: hic nictus ocelli, tuos pætos perficit, non meos, idq; mea luce, nõ tua. *Quid prodest Deo, si iustus fueris?* Amabo quid à prostituta peccatrice acciperet? quid ei à contaminata accederet? Tamen quam impense illam vocarit, scitis. *Si*, inquit, *dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virum alterũ, nunquid reuertetur ad eam vltra? An non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autẽ fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Saltem amodo voca me pater meus, Dux virginitatis meæ tu es: Nunquid irasceris in perpetuum, aut perseuerabis vsq; in finem? Nunquid solitudo factus sum tibi, aut pluuia serotina?* Vides non tantum nihil illi accessisse, aut accedere potuisse, ab ea, quæ exsors totius boni, quinimo hunc bonitate sua permotum, hanc sibi adiungere cupere, vt plurima

Psal. 18.
Ose. 2.
Amans nõ propter suum sed creatura bonum.
Cant. 4.
In vno crine, & in vno oculorũ, quando vulneratur.
Ierem. 3.

ma ei accessio fieret, à tam nobili, tam diuite, tam liberali sponso. Hoc enim indicat, quod nō fuerit illi solitudo infrugifera, sed omnibus bonis referta, & in posterum quoque talis ei futurus, qui vna secū omnia sua amanti communicaret. Dicit itaque. Reuertere tandem: ecce ego omne bonum tibi impertiri cupio: accede, coniungere. Si ornari velis, ornatum meum accipe: Siue indui, vestimenta mea: Siue vesci, mensam meam: Siue hæreditatem petere, hæreditatem meam: Siue patriam ingredi, ciuitatem cuius ego sum artifex & Creator: Siue domum ædificare, in tabernaculis meis: Siue armari, arma mea: Siue ambulare, viam meam. Ego pater, ego mater, ego frater, ego sponsus, ego domus, ego alitor, ego vestimentū, ego corona, ego conuiua, ego conuiuator. Quicquid vis, ego sum: Nullius indigeas, Ego quoque seruiam: Nam *& veni ministrare, non ministrari.* Ego & amicus, & membrum, & caput, & hæreditas, & regnum, & omnia propter te. Pauper & peregrinus propter te, in Cruce propter te, propter te in monumento, deorsum propter te ligatus, sursum propter te mediator. Omnia tu mihi, & frater, & cohæres, & amicus, & membrum. Quid vis amplius? Quid amantem auersaris? *Veni, reuertere.* Quid in mundo fatigaris? Cur ex *perforato dolio, hauris?* Veni, accede, fruere.

Christus nobis omnia.

Alteram flammantis huius Diuini desiderij exhibet causam Granatensis, quæ cum pulcherrima sit, eam adducendam censui: Non debet alicui mirū videri, *ait,* cur superna illa & infinita bonitas, in anima stabilem sedem figere desideret; cum anima iusti sit naturalis locus, & veluti cētrum, in quo Diuina mens requiescit: Videmus autem res omnes, quæ natura constant, vehementissimo impetu in sua propria & naturalia loca, hoc est, ad suum cētrū, in quo placidissime requiescant, ferri. Summus autem ille rerum omnium conditor, habet etiam suum centrum in quo quiescit, si tamen ita loqui de summa illa maiestate licet. Nec id quidem simplex, sed etiam duplex. Alterum quidē in seipso, in quo plenissime requiescit, omnibusq; Diuinitatis suæ delitijs fruitur. Alterū in *anima iusti, quæ sedes est sapientiæ,* in qua etiā mirifice oblectatur. Vnde *vnigenitus ille, qui in sinu patris* tanquam in centro suo placide cubat, suum quoq; habet in terris humile & exiguum centrum, in quo delicijs suis fruitur cū filijs hominum. Sicut enim Salomon post amplissimam domum, quam sibi in Ierusalē ædificauerat, aliam quoq; solatij domum in saltu Libani, quæ venationi seruiebat extruxit; ita verus Salomon Christus, alterā quidem domum in cœlesti Hierusalem non manufactam habet, alteram vero in hoc inferiori mundo delegit, hoc est, in hac ferarum regione, in qua nobiscum inhabitare dignatur. Vtrumq; autem centrum atq; domicilium per Isaiam insinuauit, cum ait, *Hæc dicit excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & cum humili & cōtrito spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.*

2. Causa cur Deus exoptat consortium hominis.

Salomonis dup. domus allegoria.

Isai. 57.

Vides ergo quam disparia sint duo hęc Dei nostra loca, quando alter incomprehensibilem comprehendit æternitatem; alter humani cordis angustijs continetur. Et tamen in hoc habitabat Deus, mirisq; in eo delitijs, *inter candida lilia,* candidior ipse sponsus pascitur & oblectatur. De qua indidem Isaias ait, *Non vocaberis vltra, derelicta, & terra tua nō vocabitur amplius, desolata, sed vocaberis voluntas mea in ea.* Hoc est, Ciuitas voluntati meę gratissima & iucundissima, in qua ad votum meum delubens demorabor. Castæ igitur mentes, simplicitatis & humilitatis, cęterarumque virtutum gemmis ornatæ, sunt veluti centrum, in quo Diuina mens, suauiter, tanquam in loco sibi cognato requiescit. Vnde facile colligere licet, quo studio, affectu, & ardore, summus ille puritatis & innocentiæ amator, ad illas venire & in illis habitare desideret. Si enim corpora grauia, tanta velocitate, in locum sibi à natura præscriptum feruntur: si aër terris violenter inclusus ingentes mōtes à sedibus frequenter suis euellit, & vastam terræ molē tremefacit & concutit, quo in superas euadat oras, quas ei ad habitandū naturæ cōditor pręfixit: si deniq; ignis sulphureo puluere excitatus, munitissimisque arcibus subiectus, ipsas tanquā leues stipu-

Ibid. 62.

Simile.

stipulas volitare per aëra facit, quo sedem sibi in supremo mundi loco positam occupet; qua quæso auiditate, quo desiderio, summus ille honestatis, simplicitatis & humilitatis amator & auctor, in eam mẽtem illabi contendet, quam ipse sibi sedem & veluti centrum fabricauit; propter quã cælum, terras, maria, naturamque vniuersam condidit & administrauit; quodq; mirabilius est, propter quam & homo fieri, & in Crucem tolli, & sanguinem fundere non renuit, quo illius pulchritudinem roseo sanguinis sui cruore illustraret, sibique hac ratione sponsam sibi exhiberet? Quo minus mirandum est, si immensa illa & infinita bonitas, tanto studio hoc sibi domicilium parari & exhiberi cupiat. Hoc enim illa eius verba apud Salomonem testantur, *Fili, præbe mihi cor tuum,* Ad quid obsecro cor nostrum postulas Domine? Nimirum vt in te meam sedem constituam, in te habentem, in te quiescam; in te lucis & ardoris mei splendidissimos radios effundam. Ego cor tuum feci, ego iterum reficere volo, Imo vero, quia illud ego cõstruxi, tu vero destruxisti, nec alius instaurare opificium potest, nisi qui formauit; trade illud formatori, vt quod tu vitio tuo deformasti, ego virtute & spiritu meo reformem.

Prou. 23.

Verum quæ vtilitas, ais, ex hac sermocinatione colligitur? Permaxima quidem. Inde enim patent nobis incendia Diuini amoris, cum ille nullius alioqui egens, nihil non fecit, vt nos sibi nexu ineffabili cõiũgeret, nihil omisit, nihil non est cõmentus, vt nos sibi perpetuo deuinciret. Ipse vocauit, accurrit, nos auersati sumus vocantem & vndequaq; allectantem. At nec sic quidem de nobis pœnas sumpsit, sed veniens ipse, atq; resistentes, fugitantesq; inhibuit: nos autem ab illius manibus elapsi ad Diabolum trãsfugimus. At nec sic quidem destitit ille, sed & Ioannem, & sexcentos rursus, qui nos ipsi coniungerent misit, Prophetas, Patriarchas, Angelos ipsos. Nos autem legationem pronuborum, non solum non admisimus, sed & nobiscum agentes, iniuria affecimus. Ille autem, nec per hæc quidem respuit, sed quod facere ij solent, qui vel cum vehemẽtissime amãt, negliguntur tamen, circumiens, ad omnes adijt, tum in cælo, tum in terra sese manifestans: & quã gehennam minitans; quã cœlorum regnum promittens, vt vel hac demum ratione ad sese nos illectaret, nosque sibi cõiungeret: nos autem adhuc veluti stupidi facti, nullum erga ipsum amorẽ exhibemus, neq; ad eum properamus. Quid hac feritate deterius? Si à rege aliquo terreno ad consortium vocaremur, nõne illi sæpissimè seruitutẽ addixissemus nostram? Deum autem nos sibi cõiungere velle anhelantem, auersabimur? O ignauiam! ô ingratitudinem! *Nunquid solitudo factus est nobis Deus?* Quid cupitis, quod ab eo non obtineretis? Quid vos in amorẽ rapit, quod non in eo inuenieritis? Forma? Ille speciosus. Genus? Ipse Dominus Dominantium. Opes? In manu eius diuitiæ & gloriæ. Honores? Quos amat, Reges Orbis cõstituit. Delitiæ? Inexplicabiles ministrat ab vbertate pectoris sui, illis qui recto ad eum sunt corde. Et ad tam pulchrum, tam liberalem, tam iucundum, non aduolabitis? O felicem illam quam D. Ambrosius proponit virginibus in exemplum. Sed narrabo. Puella, inquit, quædam nobilis (ego existimo illam fuisse desponsam Sigismundo Regi Burgundo, de qua id narrat Vincentius in Speculo morali) seculo, nunc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias à parẽtibus & propinquis, ad Sacrosanctum altare cõfugit: Quo enim melius virgo sacra, quã vbi sacrificium virginitatis offertur curreret? Nec is quidẽ finis audaciæ. Stabat ad aram Dei pudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens; nũc iustè impatientis moræ ad summum altaris subuecta, verticem de palla altaris contexit; *Melius me*, inquiens, *quam altare velabit. Quid agitis vos propinqui? Quid exquirendis adhuc nuptijs solicitatis animum? Iam dudum prouisas habeo. Sponsum offertis, meliorẽ reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, prædicate potentiam; habeo iam cui nemo se comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo. Si talem habetis? non refuto optionem. Si non reperitis? non prouidetis mihi, sed inuidetis.* Silentibus cæteris; vnus abruptius, *Quid si*, inquit, *viue-*

Pertinacia Dei in vocandis hominibus.

Narratio de spõsa Sigismundi Regis. lib. 5. de virginitate.

vineret pater tuus, innuptam te pateretur? Tunc illa maiore religione, moderatiore pietate; *& ideo fortasse defecit, ne quod mihi impedimentum posset adferre.* Quod ille responsum de patre, de se oraculum maturo sui probauit exitio: decidit enim & mortuus est. Puella vero tanto alacrius ad Christum properauit, quanto ardentius eum desiderauit. Beatam quæ Deum homini, Imperatorem militi, Beatum misero mortali præoptauit. Et vos si tantorum bonorum tenet cupido, oro. *Accedite ad eum & illuminamini.* Osculamini pedes ipsius, quos in luto nostro, demittere quærit: *Parate viam Domino,* vt ad vestri cordis reclinatorium declinans, vos in suos amplexus recipiat; nūc & in secula, Amen.

Psal. 33.

Luc. 3.

CONCIO II.

Parate viam Domino. Luc 3. c.

Præparatio ad gratiam vnde?

INSIGNE & illud est symbolū à Pythagora prolatum, *Volam pedis, ne ostendito.* Vulgatum est, ut fugaces desertoresque honesti, ne velut illi qui fugiunt quempiam, terga vertant Monitori & Auctori honestatis Deo. Quamobrem cum Sapiens pronunciabat, *Volam pedis ne ostēdito,* monebat, ne sit homo refuga formatori virtutis, sed se illi fingendum, ornandumque offerat & permittat. Id si à Gentilibus, Gentilis requirebat, multo magis à nobis exigit Christus, vt non refugiamus vocantem, sed manum porrigamus, tota die ad nos se expandenti, & *viam præparemus venienti.* Sed vnde & quæ sit ista paratura, in præsenti scrutabimur.

Volam pedis ne ostendito quid.

Non temere illud Pythagoræum, dictioni meæ hodiernæ, præsumpsi. Namque in eo, summam salutis nostræ censeo esse, si auscultauerimus, neque volaces fugacesque Deo nos vocanti fuerimus. Aperio hæc abstrusa difficiliaque: si tamen vos attentos habeo. Perspicuum est, omnes cuiuscunq; creaturæ actiones, à Deo omnia ad suos fines destinante, dependere: Quod enim terra à stabili fundamento reuulsa, sidit; quod aqua fluitat, ignis æthera scandit, cœlorum orbes perenni rotatione voluuntur & reuoluuntur: quod reptilia serpunt, aquatilia innant, animantia oberrant, volucres aëra sulcant; quod homo sensoria & intellectoria facultate præstans, videt, audit, loquitur, intelligit, amat; quod Angeli scalares operationes obeunt; omnia hæc à Deo manant, qui vnicuique virtutem agendi indidit, cui ipse intimo per omnia, lapsu cooperaretur. *In ipso enim,* vt Paulus denunciauit, *Viuimus, Mouemur, & Sumus:* Neque autem tantum hanc communem cum animantibus brutis, sed & propriam spiritualemque vitam viuimus, in & propter auctorem vitæ Iesum: Nam vt idem Paulus ait, *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* Quinimo, *& velle & perficere idem in nobis operatur pro bona voluntate.* Vt interim omittam dona gratuita, quorum diuisiones sunt, non nisi à Deo, *qui operatur omnia in omnibus*: Sed non sine omnibus illis.

Omnes operationes creaturæ pendent à Deo, defectiones non.

Act. 17.

1. Cor. 12.

Philip. 2.

Ephes. 1.

Cum enim non destruat, sed perficiat cuiusque operantis creati naturam; & vnumquodque ad hoc plasmarit, vt indita vel infusa Minerua suam assequatur felicitatem; si ipse quidpiam in creatura virtute sua operatur, attemperare se consueuit ad illius modulum, & secundum quod instituta est vis agendi creata, legibus sibi ab authore naturæ in prima creatione datis, iuxta illas ipsas & facultates actiuas, operationem suam exercet: Sic per Solem, non tenebrat, sed illustrat: Sic per ignem non refrigerat, sed amburit. Sic per aquam non desiccat, sed humectat. Nam vnicuique suam actionem si contemperauit, vt & nullum à propria cooperatione excluderet, & modo cuiusque suos exequeretur conatus.

Deus omnia operatur in omnibus sed non sine illis.

Deus contemperat actiones in creaturis.

Cæterum quia homo libertate arbitrij donatus est, iam statim à principio creationis, nam *reliquit eum in manu consilij sui, adijciens mandata & præcepta sua,* quæ Si, inquit, *volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuū fidem placitam seruabunt;* Ideo Deus qui operatur omnia in omnibus, dum aliquid agit in hominibus, operatur non sine hominibus, suæ Diuinæ Motioni & cōsentiētibus, & cooperātibus.

Homo liberi arbitrij.

Eccli. 15.

 Vnde

Vnde ſi quem inuenit refugam inſpirationis, eius quam *vbi vult ſpirat*, & ſpirando incalfacit ad amorem Cęleſtium, pronunciatum illud effert in ipſum, *Quia neq; cales, neque friges* à meo igneo flatu, *incipiam te euomere ex ore meo.* Fugacem Caimum, inter perditos recenſuit: Fugacē Pharaonem in profundo amne demerſit: Fugacē Antiochum, vermibus & torminibus grauiſsimis excruciauit. Nam manet æternū eius edictum, *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Si bene egeris, recipies: Sin ſecus ſtatim in foribus peccatum tuum aderit.*

Deus fugaces deſpectat.

Geneſ. 4.

Conſequitur ex hac doctrina, probatū & approbatum dogma. Qui vult eſſe Saluus, *Volam pedis non oſtendat*: ſed ad Deū vocantem ſe libere conuertat, aſpirationē lubens ſuſcipiat, charitati diffuſili ne pectus claudat; ſed hac perfuſus à ſpiritu viuificante, vitæ motori cooperetur, ſitque ipſe in animam viuentem, & *creſcentem in omne opus bonum.*

Preparatio ad gratiam ab homine per gratiæ aſſenſum.

Quærebā, Vnde ſit præparatio ad gratiam? & quænam ſit illa? Hinc habeo: illā eſſe non niſi à Deo per gratiam hominem mouente, illuſtrante; incalfaciente; ſed etiam ab homine, gratiam libere ſuſcipiēte eidemq; cooperāte. Pulchre hoc inſinuat Pſaltes cum ait. *Abyſſus abyſſum inuocat, in voce cataractarum tuarum.* Abyſſum ſapientiæ & bonitatis Diuinę dum contemplor, cogor erumpere cum Paulo, *Quam incomprehēſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Iudicia* enim *Dei abyſſus multa*, impenetrabilis, inſcrutabilis. *Terribilis eſt*, ſimul & mirabilis *in cōſilijs ſuper filios hominum.* Bonitatis eiuſdem theſaurus inexhauſtus, puteus profundus, luce inacceſſa repletus: Verè, quod Abraham cuidam dixit, *Magnum chaos.*

Explicat. Pſal. 41 locus. Abyſſus abyſsū inuocat, quid.

Rom 11.

Pſal. 35. & 65.

Habeo alteram abyſſum, *cor hominis*, vt Propheta vulganit, *prauum & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?* Quid profundius hac abyſſo? Loqui homines poſſunt per operationē membrorū, audiri in ſermone; ſed cuius cogitatio penetratur? cuius cor inſpicitur? Quid intus geratur, quid intus poſsit, quid intus agat, diſponat, velit, nolit, quis comprehendet? Et vtinam noſtra abyſſus ſic cupide inuocaret, Diuinæ benignitatis abyſſum vt hæc noſtram, quaſi bonorum noſtrorum indigeret, inuocat. Inuocat itaq; abyſſus ſuperna, abyſſum infernam, & hæc rurſum ſupernam; quando illa defluuium gratiæ ſuæ inſtillat in animam; & hæc cœleſti rore aſperſa, copioſiorem eluuiem aquarum quæ ſupra cœlum ſunt optat. Sed vnde hic ſenſus & conſenſus voluntatis ad gratiam? Inſinuat Dauid cum ſubiungit, *in voce cataractarum tuarum.*

Ierem. 17.

Cataractæ gradus vocantur fluminum, ex quibus aquæ in præceps labuntur, vel gradatim ſi plures, vel impetu ſummo, ſi vnicus limes. Viſuntur in Nilo Ægyptiaco, & Catadupæ vocantur, ex quibus tanto fragore labitur flumen, vt incolæ à ſonitu obſurduerint. Viſuntur & in Boriſthene Rutheno, & ab incolis Porohy, quaſi dicas limina, appellantur. A delapſu aquarum ſumpſit Pſaltes, illapſum gratiarum, quæ à Sede Dei & agni, *gradatim quandoque deſcendunt, quandoque etiam præcipitātur Fluminis impetus lætificat* indies *Ciuitatem Dei*: Impetus cataractarum miſericordiæ, Saulum emaculauit: Impetus eiuſdem torrentis rapidi, Magdalenam inalbauit: Guttata vero defluxio Samaritanā, Zachæum, Chananæam, & alios quam plurimos mollificauit, inebriauit, ſanctificauit. Sed ad quid iſta? Vt in cataractarum defluuio, vorago ſubdititia, trahit & quaſi vocat aquas defluentes, inflata & hiulca voracitate, ab aquis excauata & incitata; ſic, ſi quando abyſſus noſtra Dei abyſſum inuocat, inuocat ſuſcitata & cōmota, ab ipſo tramite *aquarum quæ fluunt impetu de Libano, emanationis ſinceræ*, quæ operatur omnia in nobis, non tamen ſine nobis. Clamat ille ad nos. *Aperi os tuū & implebo illud*; & nos viciſsim inuocamus, *Domine labia mea aperies.* Ille orat, *Præbe mihi cor tuum*; & tamen pollicetur, quia *auferam à vobis cor carneum, & dabo vobis ſpiritum nouum*; & nos tamen ad illū, *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Ille monet, *Parate viam Domino*; & nos oramus, *Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam.* Homo aperit os, homo præbet cor, homo parat viam, homo exilit ſicut

Cataractæ quid.

Pſal. 45.

Miſterium hoc magnū.

Gratia Dei efficacia.

Pſal. 80.

Pſal. 50.

Ezech. 11. & 36.

Pſal. 5.

Luc. 3.

Pſal. 5.

cut ceruus, cum nouam inchoat vitam; nō tamen sine Deo, qui implet omne animal benedictione, qui soluit compeditos, erigit elisos, illuminat cæcos, creat corda noua, dirigit viam, Ductat, Portat, Animat; non tamen sine nobis. Abyssi ad Abyssum tamen reciproca inuocatio, vt qui creauerit nos sine nobis, non posit nos saluare sine nobis.

Lubet adhuc ex Sacræ scripturæ promptuario, datariam istam vicissitudinē magis roborare. Conuertit aliquem, sceleribus ante deditum, ab iniquitate? sed non sine homine voluntariè sese conuertente. Quamobrē sicut nos ab illo deprecamur; *Conuerte nos Domine ad te & conuertemur*; ita ille vicissim à nobis exposcit, *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras.* Reuersis ad se peccata dimittit: Sed non sine homine peccata relinquente. Ideo sicut nos ab illo enixè rogamus, *Dimitte nobis peccata nostra*, ita ille vicissim nos exorat, *Relinque peccata tua, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationē.* Conuersos ad se, ab omnibus sordibus abluit aqua gratiæ: sed non sine illis lachrymantibus. Quare sicut ab eo postulamus, *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*; ita ille vicissim exigit à nobis, *Laua*, inquit, *à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias: Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.*

Cooperationis humanæ varia testimonia ex varijs operibus. *Thren 5.* *Ierem. 3.* *Eccli. 17.* *Isai. 50.* *Ierem. 4.* *Isai. 1.*

Iustificatos à se adornat tanquam quibusdam vestimentis gloriæ & monilibus decoris, fulgore scilicet virtutum, sed non sine homine. Quamobrem sicut ille gloriatur, *Vestiui te*, dicens, *discoloribus, & calceaui te hyacintho, & cinxi te bysso, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento*; ita vicissim alibi precatur, *Adorna filia Sion thalamum tuum; consurge, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem Ciuitas Sancti.*

Ezech. 16. *Isai. 52.*

Dissoluit vincula colli nostri; tamen ad quandam clamat, *Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion.*

Ibid.

Fingit in nobis cor nouum; sed non sine nobis. Quamobrem sicut ille pollicetur, *Dabo vobis cor & sapientiam*; ita à nobis expostulat præcipiens, *Facite nobis cor nouum, & spiritum nouum.* Et vt docebat Augustinus, Nos volumus; sed Deus operatur in nobis & velle: Nos operamur; sed Deus in nobis operatur, & operatur pro bona voluntate. Nos ambulamus, nos obseruamus, nos facimus; sed ille facit vt ambulemus, obseruemus, faciamus: Nos sumus qui viuimus, nos qui laboramus, nos qui meremur; sed vt viuamus facit vita nostra Christus; vt laboremus, facit, qui & voluntatem inspirat, & vires ad laborandū suppeditat, adiutor noster Christus; vt mereamur, facit, qui nobiscum merita sua communicat, Redemptor noster Christus & alibi idem Sanctus, *Quamuis*, inquit, *nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen os aperimus, illius adiumento & opere nostro: implet autem illud Dominus sine opere nostro.*

Aug. de bono perseu. c. 13. *& contra duas epist. Pelagia. li. 4. ca. 6 & lib. 2. c. 8.*

Nam quid est præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem parare? Et tamen in eisdem literis legitur, *Præparatur voluntas à Domino*; & *Domine labia mea aperies*; & *os meum annunciabit laudem tuam.* Ecce Dominus admonet, vt præparemus voluntatem, in eo quod legimus, *Hominis est præparare cor*: & tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus; quia *præparatur à Domino*, & aperit os, ita iubendo, vt nemo possit, nisi id faciat ipse adiuuādo, cui dicitur, *Labia mea aperies.* In sentētia ergo illa vbi dicitur, *aperi os & implebo illud*; quasi vnum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autē vbi dicitur. *Ego aperiam os tuum, & instruam te*, vtrūque ad Dominum: Quare hoc? nisi quia in vno istorum cooperatur facienti, alterum solus facit: *Quapropter multa Deus, facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vere facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.*

Psal. 50. *Gratia præuenientis opus.* *Prou. 16.*

Facit itaque Deus, vt faciat homo, & præparat Deus cor hominis, vt præparet homo. His conformia sunt quę docet Diuus Thomas, *Deus*, inquit, *mouet omnia secundum modum vniuscuiusque, sicut in naturalibus videmus, quod aliter ab ipso mouentur grauia, & aliter leuia, propter diuersam naturam vtrorumq; vnde & hominem mouet ad iustitiam, secundum conditionem natu-*

Aurea doctrina de iustific. 1. 2. q. 113. art. 3.

naturæ humanæ: Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrij, & ideo in eo qui habet vsum liberi arbitrij, non fit motio à Deo ad iustitiam, absq; motu liberi arbitrij. Verè, verè. Si enim ab homine nullus exigitur assensus, cur Sapiens refert, *hominis est animam præparare?* Si à Deo solo præparatur voluntas, mentitur vtique Salomon dicens, hominis esse partes, vt præparet animam Domino. In vanum laborat Deus, qui monet, *Parate viam Domino.* Frustra oberrat ad fores cordis nostri pulsans & exorans, si quis ei aperuerit. Nonne posset adamantæi cordis obices perrumpere? Quorsum preces multiplicat, dicens, Surge, propera, reuertere? Quorsum *volam pedis ostendentibus* interminatur gehennam, *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit.*

Prou. 16. *Matth. 3.* *Psal. 7.* *Psal. 76.*

Assensum nostrum, requirit Deus, qui summa est preparatio ad gratiã.

Assensum itaque & cooperationem extorquet à nobis: *In mari*, inquit Psaltes, *via tua, & semitæ tuæ in aquis multis.* Aqua facile est ductilis, quæ sua sponte fluxilis: in aqueo, molli, & flexilli corde, ponit gressus suos Deus, vt siue natura, siue ars imitatrix naturæ, aptã requirit, atq; obsequentẽ materiam in qua operetur, & vim suam exerceat; ita plane Deus, non reluctantẽ animum occupat, obduratum autẽ deserit. Refractariam Vasthi reprobauit Assuerus; obediẽtem adamauit Estheram: Sic & Rex Regum despuit volaces, petaces autẽ complectitur. Hæc summa prima, & maxima præparatio est ad gratiam, dicere Abysso supremo, *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Quam felix? quam beatus ille qui identidem Deo vocanti respondet. *Paratum cor meum Deus, Paratum cor meum?* Iubes ô Æterne Dictator, vt vitia deponam, carnis relinquam luxum, & omnibus quæ te proritant renunciem; ecce *paratum cor meum Deus*: ego non contradico, retrorsum non abeo, Mones vt ad te solum conuersus, tibi meam emaculatam faciem ostendam, & vox pœnitẽtiæ meæ resonet in auribus tuis: *Paratum* habes ecce *cor meum*, contere, conuerte, cõmuta, vt libet; licet, ego non adamantinũ me præbeo. Præcipis vt surgam, pessulum cordis confringam, intimosq; secessus animæ meæ tibi aperiam? *Paratum cor meum Deus.* Surgam, si erigis; aperiam si reseras, introducam, si manum porrigis, complectar, si te insinuas ô delicium animi mei! Ambis cor meum, vel lapideum, vel carneum, vel etiamsi desideras luteum? Ecce ô Deus meus patẽt tibi viscera mea, *paratum cor meum Deus*, tibi illud cõsecro, tibi deuoueo, tibi trado. Creasti? recrea. Formasti? deformatum reforma. Tu infudisti in me spiraculũ vitæ? *renoua* oro istũ *spiritum in visceribus meis.* Tu ablueras me sanguine tuo: ecce illud sceleribus meis cõmaculaui: tu *amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Impresseras illi imaginẽ & similitudinem tuã Deiformem? si quid exoleuit, instaura, & vel *stylo ferreo*, in hoc *vngue adamantino* percute characterem tuum; ecce *paratum cor meum Deus.* Rubus iste cordis mei vepribus & spinis obsitus, ardeat & cõburatur, ab incendio amoris tui. *Fasciculus* iste tuus, & meus non meus, *quem tu fundasti in terra*, pedibusq; tuis supposuisti, sentiat calorem amoris, quo exæstuas. *Tange neruum mei femoris* rebellantis, & emarcescat, ne tibi *volam pedis ostendam*, sed volẽs lubens tibi occurram. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Psal. 56.

Paraphrasis Paratum cor meum Deus.

Psal. 50. *Ibid.*

Allusiones ad Rubum Moysi. Fasciculũ Micheæ & neruum Iacob.

Tam promptus sequi Dominum vocãtem fuit inter alios Mucius Ægyptius natura ferox & latrocinijs deditus, ita vt etiã Sanctorum delubra expoliando prophanaret. Nocte quadam cum ad domum cuiusdam virginis Deo consecratæ ad furandũ perrexisset, & multum fatigatus in tectis domus obdormiuisset, vidit tandem in quiete virum forma habituq; augustiore, quam humano, monentem, imo & cõminantem sibi necem, nisi protinus à flagitijs sacrilegijsq; se submoueret. Cumq; pauore perculsus repente euigilasset, virginemq; sibi astantem vidisset requisitus; *Quis, aut vnde, vel cur illuc adesset?* iam alius factus ad Ecclesiã se duci postulauit, in qua Diuino nutui parẽs, baptismate suscepto eremum petijt, tantoq; sanctitatis fama breui illustratus est, vt aliquãdo iter faciens Solẽ stare (sicut de Iosue & Ezechia legimus) fecisse feratur. Vtinã nos tam prõpti obedire Deo, nos ad meliorẽ frugem vocanti.

Mucij Abb. conuersio. In vita Pat.

Concha ad rorem margaritiferum, ex pro-

Concha.

profundo pelago adusq; æquoris planum emergit, seque sua sponte aperit, vt grauidetur. Circuit etiam sponsus noster obtestans. *Cincinni mei pleni sunt guttis noctiũ, & caput meum plenum rore*, ô felices vos, si vestra corda aperueritis, huncq; salutis aureum rorem, in conchas vestras receperitis, demutandum in vniones incomparabiles. *Cant. 5.*

Lothos arbor seu frutex Euphratæus, ex imo flumine ad ortum Solem erumpit, sequax eius; vt venusta illa, quam præsefert, pueri figura effigietur à sydere. O quis est in hac salsa solitudine, qui se instar floris, repandat & explicet, ad figurationem Dei? Estote vos, & *præparate corda vestra Domino, & seruite illi* Soli: & ipse, vos petaces, diuitijs imaginis suę augebit, ornabit, felicitabit in secula, Amen. *Lothos.*

CONCIO. III.

Omnis mons & collis humiliabitur, &c. Luc. 3. cap.

Ad quem modum pręparanda via Domino.

TANTA est Dei dignatio in genus humanum, vt licet possit vim inferre, abstinet tamen, sed illicit, & sustinet. Ruffinus Aquileiensis ad Eusebij historiam, narrat in templo Alexandrini Serapidis, fraudẽ natura factam fuisse, in signo Solis. Magnetis ea natura est, vt ad se trahat ferrum, vel nitens, vel renitens: Signum Solis ad hoc ipsum, ferro, subtilissima manu artificis, fuerat fabricatum; vt lapis, cuius natura est ferri trahax, desuper in laquearibus fixus, quam temperate sub ipso ad libram fuisset positum simulachrum, non violenter raperet, sed paulum assurgens, in aëre pendulum relinqueret & ostenderet. Sic etiam Herculaneus noster lapis Deus, si quem Diuina præsentia sua cogitat attrahere & reuocare, piam fraudẽ naturæ cõmiscet: Namq; prius libratã libero arbitrio voluntatem temperat; dehinc ad eius æquilibrium se attemperat; & non secus quam magnes ferreum Solem, ille ferreã nostram voluntatem ad se rapit, & vel nõ rapit, vel rapit. Itaq; voluntatem præexplorat; exploratam precibus tentat, pertẽtatam sua præsentia dignatur. Si tandẽ vt Sol ferreus liberum aërem ad suum lapidem, sic etiam ille, liberos & sine obice aditus ad animam inueniat. Quamobrem monet, vt montes & colles elati humilientur, nec se interponãt. Sed quid hoc sit, & *ad quem modum præparanda sit via Domino*, illud in præsenti inuestigabimus. *Lib. 11. cap. 23.* *Sol pẽsilis.* *Raptus nõ raptus quis.*

Rapit, non rapit, pius rapax Deus hominem & non hominem, ad suum complexum. Dixi hominẽ & non hominẽ; Nãque lego apud sapientẽ de te ô Deus, quod *iumenta & homines saluabis Domine*, scilicet illos etiam qui cum in honore essent non intellexerunt, sed comparati sunt iumentis insipientibus, & similes facti sunt illis. Hos tales atq; illos rapit, non rapit: rapit illicio amoris, nõ rapit violentia seruitutis. Licuit dicere Poëtæ, inquit Augustinus. *Trahit sua quemque voluptas*: non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio. Quanto fortius nos dicere debemus trahi & rapi hominem ad Christum, illum scilicet, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? *Deus rapax animarũ.* *Psal. 35.*

Rapit itaque Christus pio raptu. Sed & dixi, non rapit; Namq; licet possit, nemini tamen vim infert, sed stat ad ostium, pulsat, orat. *Si quis*, inquit, *aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum illo.* Mittit subinde ante prodromos, qui hortentur, vt homines parẽt vias, thalamos, & corda Deo uenienti: montes, si qui se extulerunt aduersus altitudinem Dei deijciant, valles adimpleant, aspera complanent, tortuosa dirigant; vt sic inoffenso pede, veniat, intret, & delicietur cum homine. Verum obijcies, Sponsi agilitatem talem esse, vt hos obices possit transilire? Namq; de illo spõsa recẽsuit, *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Si itaq; montes & colles transilit, ad quid eradicandi & de medio tollendi? Angelus testamenti Iesus, vt vidit Ioannes, ponit vnum pedem in mari, & alterum super terram, prætergrediens omnes abyssos; vt quid igitur *Apoc. 3.* *Agilitas Christi.* *Cant. 2.*

valles

valles implendæ? In momento delabitur ab Altissimo cœli axe, adusque infimum terræ centrum, cur itaque planandæ & dirigendæ viæ asperæ & sinuosæ?

Duplex Christi aduentus. Duplicem Christi Aduentum considero; alterum iustitiæ, alterum misericordiæ. Aduenienti Vindici cum gladio iustitiæ, montes & colles, nullum obicem ponunt, quin eos, vel transiliat, vel conterat. Properanti sponso cum olea misericordiæ, vel maximum ponunt, vt eos tollere atq; humiliare sit necesse. Cum enim ad vindictã faciendam in nationibus, accensus furore & indignatione repletus; summa cum potentia veniat, nemo est tam excelsus, quẽ ipse paueat, & gladio virtutis non percutiat. Enunciabat hoc Nahum Propheta, dicens, *Deus æmulator & vlciscens Dominus, & habens furorẽ, vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis: Dominus Magnus, in fortitudine, in tempestate & turbine via eius, & nebula puluis pedum eius. Increpans mare & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, & Carmelus, & flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt, & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? Indignatio eius effusa est vt ignis, & petræ dissolutæ sunt ab eo.* Quasi diceret, Sit quicunque sit ille homo, qui vertice suo cœlis minetur, atq; velut aliquis Atlas ita se attollat, vt in eo totum sidereum Cœlum quiescere, & gubernatio mundi ab eo pendere videatur: Sit vel vt *Basan*, fertilitate donorũ; vel vt *Carmelus* coccineus purpurisso honoris; vel tanquam Libanus splendore ingenij subtilis, cœlorum alta fastigia attingens aliquis, ante vindicis faciem, nullus sustinebit. Conculcabit, conteret, & ad nihilum deducet omnem quicunque se illi opponere parat.

Nah. 1.

Iesus transilit mõtes in aduentu iustitiæ.

Basã Carmelus. Libanus quid.

Meministis quid comminatus fuerit, quibusdam montibus per Prophetas? Et apud Ezechielem quidem audio illa verba ad quendam Principum, *Hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatum atque desertum, vrbes tuas demoliar, & tu desertus eris. Viuo ego dicit Dominus, quoniam sanguinis tradam te, & sanguis te persequetur. Et implebo montes tuos carnibus occisorum tuorum, in collibus tuis, & in vallibus tuis, atque in torrentibus interfecti gladio cadent. In solitudines sempiternas tradam te, & Ciuitates tuæ non habitabuntur. Sicut gauisus es super hæreditatem domus Israël: eo quod fuerit dissipata, sic faciã tibi, dissipatus eris mons Seir, & Idumæa omnis, & scient, quia ego Dominus Deus.*

Ezech. 36.

Ad alium autem montem, videlicet Regem Babylonis, hæc non minus acria proloquebatur, *Ecce ego ad te mons pestifer,* ait Dominus, *qui corrumpis vniuersam terram, & extendam manum meam super te, & euoluam te de petris, & dabo te in montẽ cõbustionis. Et non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamentum, sed perditus in æternum eris.* *Hierem. 51.*

Sic etiam ad alium illum, quem antea fulgidum posuerat in monte Sancto Dei tonabat, *Quia polluisti sanctificationem tuam, & eleuatum est cor tuum in decore tuo, ideo proieci te de terra, & producam ignem de medio tui qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram, in conspectu omnium videntium te. Omnes qui nouerunt te in gentibus, obstupescent super te, nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Itaque dum velut caprea, vel ceruus, cornibus ventilans facinorosos, ad vindicandum procedit, transilit montes, & colles elatos; & non est qui dicat, Cur ita facis? Cur illum euellis? Cur eradicas? Neminem enim tunc veretur, sed quisquis ille fuerit; Nemroth, Pharao, Nabuchus, Princeps Tyri, Rex Seir, Senacheribus, Holofernes, Antiochus, omnes conterit, & cornea manu triturat. *Ezech. 28.*

Nemrothum produco in hoc theatrum: Ille olim Princeps gẽtis, imperitabat vniuerso generi humano. Firmando imperio, & quasi vel inuito Deo, constabiliendo, stulto labore se, suosque occupare cogitauerat, vt Turris scilicet nubes altitudine excessura assurgeret eorum opera, ne amplius delerentur aquis. Quis non crederet facile, Nemrothum non tantum felicissimum hominum, sed & Deum quasi inter homines arbitratum, dum cerneret obsequiosam sibi hominum multitudinẽ tam *Nemrothi casus.*

tam ingentem, imo fere omne genus mortalium in fundamentum excogitati operis euiscerare terram, & pene quæsitis inferis, multitudinis feruore ingenti, turrim surgere, solum linquentem in æthera? Surrexit & desilijt. Altior potestas de solio suo, & verius montem aggestum, quam turrim, ventorum impetu deturbauit, linguas fabricantium iniquitatem commutauit: qui cum idiomate, mente mutata, ab insano opere desistentes, dispersi sunt in tot partes quot linguarum in se varietates habebant. Ite nunc insolentes animi, & superbos in cælum scopulos, celsas arces erigite; ferreis muris, vallo & fossa cingite: adamantinis obserate foribus, & vigiles armatos imponite: quasi iniquitatibus vestris, & aduersus rerum motus tutum refugium fabricetis. Sed ante in conspectum, molem inauditam turris Babel, nutu Dei paruo fulmine quassatam, deducite: Vt dum videritis cognoscatis, an aries, an phalarica mortalium, an balista muris nequeat admoueri, exigentibus meritis? ex aditis terræ motus concutiet; ex nubibus fulmen eijciet; aut in cursum dolosus satelles consurget, qui cum principe suo hostibus arcem tradet. Mille sunt Deo manus, mille tela, & artes totidem ad superbos puniendos. Et si parum illi fuit tanti ædificij culmen deijcere, & demum tam potentum immutare sermones, quid illum aduersus vos & vestra gurgustiola posse putatis? Ergo si sapitis, tumorem deponite, & in humilitate firmate consilium. Hanc enim procella euellere potest nulla, hanc nullus sæuientis spiritus prosternere impetus: Quinimo adeo Diuinitati curæ est, vt inter tempestatum motus assiduos, & confragosas atque reciprocas inter se dissidentium fluctuum collisiones, floridior & victrix consueuerit semper emergere, & quoscunque turbines superare.

Montes & colles superbiæ humiliandi. Sed dum salientem in montibus, atque transilientem colles sponsum contemplor, nescio quomodo ad Superbiæ depressionem necessariam descendi, quæ necessaria omnino, ante Iesu Aduentum cum adueniat ex gratia; ita vt necesse habeam explicare illud, quod est in Euangelio. *Omnis mons & collis humiliabitur.*

Similium facilior est coniunctio animorum: Christus autem cum sit humilis & paruulus in aduentu gratiæ; in humilibus quoque & paruulis delectatur. Iosepho Principi, minimus ex Fratribus Beniamin placuit; Christo etiam Regi Regum, illi qui pusillus est in oculis suis. Quocirca dum illi, nescio quod superbum & magnificum ædificium, quædam ædificarent in terris, percontatur ab eis, *Quæ est ista domus, quam ædificatis mihi? Quis est iste locus requietionis meæ?* q. d. Vana opinione ducimini & seducimini. Non ego has ædes quæro, neque ad illas meos deflecto vultus. *Ad humilem* potius ego respecto & diuertor; *& quietum & contritum spiritu, & trementem sermones meos* exambio. Quędam etiam Sanctarum testabatur, quia illi semper humilium & mansuetorum placeret deprecatio. Montes ergo & colles superbiæ deprimendi sunt, & humile iter parandum est Christo humiliter venienti. Quia enim velut paruulus & mansuetus agnus, per gratiam venire dignatur, non potest transilire montes & colles superbiæ; neque hunc solem ferreum cordis nostri per præruptos silices, ad se preciosum & speciosum rapere & trahere. *Isai. 66. Act. 7. Isai. 66.*

Ad hoc, venit saliens, vt aduertebat Bernardus, vt transiliat, qui non vult ad omnes pertingere: Neque enim in omnibus beneplacitum est Deo. Fratres, (monebat idem:) si iuxta sapientiam Pauli scripta sunt ista ad correctionem nostram, obseruemus sponsi discretos & circumspectos saltus: quemadmodum videlicet, tam apud Angelos, quam apud nos, & in humiles saliat, & superbos transiliat. Siquidem, *excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Hæc, inquam, attendamus, quo cauti simus sponsi nos salutiferis saltibus præparare, ne velut à montibus *Gelboë* forte transeat, & à nobis, si indignos nos sua visitatione conspexerit. *Quid superbis terra & cinis?* Et de Angelis transilijt Dominus, execrans eorum superbiam. Ergo repudiatio Angelorum, fiat emendatio hominum; scripta est enim ad ipsorum correptionem. Cooperetur mihi in bonum, etiam Diaboli malum; & *lauem manus meas in sanguine peccatoris.* *Montes & colles quos transilit Deus. Psal. 137.*

Qualiter inquis? Superbo certe Diabolo horrenda & formidabilis maledictio intorquetur. Propheta Dauid in spiritu dicente de illo, sub typo Gelboe? *Montes qui in circuitu eius sunt, visitet Dominus, à Gelboe autem transeat.* Atque vt noueris, quod ad Angelos, qui præuaricati sunt, sub figura montium Gelboe ista loquatur, *vbi*, inquit, *ceciderunt multi vulnerati.* Quam multis in his maledictis montibus de exercitu Israël ceciderunt à principio, & quotidie cadunt? Sane ego hoc legens, referensque oculos in me, & intuens diligenter, inuenio nos peste ipsâ infectos, quam in Angelo Dominus intantum exhorruit, quatenus propterea declinaret ab eo; cum omnes in circuitu eius montes, siue de Angelis, siue de hominibus, visitationis suæ gratia dignaretur; & pauens tremensque aio ad meipsum, *Si sic actum est de Angelo, quid de nobis fiet terra & cinere?* Ille in cœlo intumuit, nos in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in diuite superbiam, quam in paupere dicat? Væ nobis. Si tam dure in potentem illum animaduersum est, pro eo quod eleuatum est cor illius, nec ei profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur; quid de nobis miseris & superbis exigendum? *Sex sunt*, ait Deus, *quæ odit anima mea.* Et quæ? *Pauperem superbum*, respondet. Diuitem illum superbum, in cuius mentem omne aurum contulerat, quemque plenum sapientia, perfectum decore, tanquam quoddam signaculum similitudinis effecerat, non tulit, quin transiliret; nos inopes & mendicos visitabit? Frustra sperat, qui hoc sperat. Venit iste saliens in montibus, transiliens colles. Displicent illi, quæ in tumido mentium nostrarum, idola collocauimus. Cupit vt montes & colles humilientur, ante eius aduentum.

2. Reg. 1. Montes Gelboe montes superbia, in quibus multi vulnerantur.

Mira narratio de quodam religioso superbo in vita S. Pachomij.

Mira, mira narrabo de quodam religioso superbo: Venerat is ad Abbatem Pachomium ad ignem se calefacientem, vna cum Abbate Palemone: Ad quos ex superbia erupit, *si quis*, inquit, *fidelis ex est vobis stet super hos carbones ignis, & orationem Dominicam sensim pronunciet.* Palemon intelligens superbiæ tumore deceptum commonuit dicens; *Desine Frater ab hac insania, nec tale quid vlterius loquaris.* At ille elatione mentis inflatus neglexit, sed super ignem stare cæpit audacter, nullo penitus sibi imperante: eratque conspicere, quomodo cooperante inimico generis humani, & Domino permittente nequaquam perureretur ignis attactu. Hoc vero quod gessit ad augmentum profecit eius insaniæ: Namque proficiscens & eis exprobrans, *vbi est fides vestra?* tandem in Diaboli laqueum incidit. Transfigurauit se ei dæmon in mulierem pulchram & ornatam, sed quasi metu creditorum fugientem atque orantem, vt se in cellam reciperet. Ille cæcitate mentis propter superbiam percussus intromisit, pellicientemque ad stuprum amplecti conatus est. Quem tamen spiritus immundus inuadens elisit, sicque semimortuum reliquit. Ad se reuersus miser, cum ad Beatos quibus insultauerat reuertisset, nec quisquam orationibus eorum à spiritu immundo oppressus liberaretur, tandem ab eodem impulsus, errans hinc inde per desertum, peruenit ad ciuitatem Pauos nomine, ac deinceps in fornace balnei per amentiam sese præcipitans, incendio protinus interijt. Ostendit Deus se odio habere vehementissimo pauperem superbum.

Vult deinde vt praua sint in directa, & aspera in vias planas: Dædalei recessus dirigantur, & scabrities silicea complanetur. Viæ enim Sapientiæ, vt aiebat sapiens, debent esse pulchræ & pacificæ. Pulchræ, & ideo directæ. Illubitum est Deo, omne detortum. Hominem siquidem fecit rectum vt regula legis Diuinæ & rationis suos corrigeret actus; vt nihil nisi quod rectum, honestum, decorumq; est, aut admiretur, aut exoptet, neq; seipsum abijciat aut prosternat, vt multum inter ipsum & quadrupedem intersit. Quapropter voluit, vt caueret ne alicui perturbationi animi succumberet, neue quid indecore, effæminateque faceret; tum deinde in omnibus & cogitationibus, & verbis, & factis ne quid ex libidinis, aut furoris passione admitteret, sed ad normam Diuinitatis suos moderaretur actus. Parandæ itaque sunt viæ rectæ Domino, reprimendæ carnis affectiones, eliminanda omnis illicita concupiscentia, ita,

Praua dirigenda & aspera cõplananda Christo venienti.

ira, stomachatio, inuidia; gloria vana non quærenda, sed spernenda; luxus carnis fugiendus, ridendæ deliciæ, gula & crapula abominandæ; cōmessationes non sectandæ; fornicatio nec nominãda; omne quod est vitiosum, detestandum est. *Turpe est*, aiebat Cicero, *si considerare velimus, quæ sit in* natura hominis excellentia & dignitas, hominem diffluere luxuria, & delicate ac molliter, & contra rationem viuere; honestum vero, parcè, continenter, seuerè, sobriè, & secundum virtutem.

Dederim consilium, nec aspernandum, ad dirigendas vias vestras Domino.

Consilium furti. Furto corripiatis regulam, quod fecit Achan; non illam quidem Hierichanam, plumbeam, aut vitream, sed auream; vel ex manu alicuius apud Ezechielem, vel apud Ioãnem mensoris, aut etiam si mauultis de pugillo Dei, voluntatis scilicet Diuinæ, quæ non flexa est ad malum. Hac autē correpta, ad rectificandas animas vestras vtimini. Sublimes oculos, aliquis attollebat, nimirum inflatus sensu carnis suæ. Videat an hoc sit ad regulam Diuinam; & cum aduerterit detortum esse, deponat supercilium. Potentiæ aut opibus aliquis confidebat? Consideret an hoc Diuinæ cōgruat regulæ; & cum deprehenderit, deflexum esse, in Domino discat, *ponere spem suam*. Vtroque pede quis ad carnem, carnisque concupiscentias currebat? Aspiciat, an carnea Deus ingrediatur via, & cum cognouerit in carne non esse regnum Dei, sed in spiritu, continentiæ & sobrietatis iter præparet ei. In summa, si quid iniustū, iniquum, impium, ferox, scrupeum, in se repeterit, Deoque iusti & æqui conditori, Pio, mansueto, leni & placido displicere persenserit, amoliatur, & iustitia, æquitate, pietate, benignitate, charitate, sanctimonia, iter Deo sternat.

Prou. 3. *Via enim eius* sunt *via pulchra*; non sceleribus commaculatæ, *& semita eius pacifica*; non odijs, iracūdia, inimicitijs perturbatæ: *Vniuersa* denique *via Domini, miseri-*
Psal. 24. *cordia & veritas.* Ad hunc modum si eas direxerimus, sique montes & colles turgentes deplanauerimus, veniet & non transiliet nos Dominus, trahet astrum nostrum ad suos complexus; videbitque omnis caro salutare Dei nostri. Concede Iesu benigne, qui exaudis præparationem cordis pauperum in sæcula, Amen.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI NOSTRI Iesu.

Et pannis eum inuoluit, & declinauit in præsepio. Luc. 2. cap.

CONCIO I.

Cur Deus in fascijs?

STERNENDIS Allophylis, non aliud efficacius telum, populus Israëliticus habebat præter arcam Diuinorum monimentorum, quam pellitam, Leuitæ in aciem producebant. Ab hac inexpugnabilis Hiericho corruit: Ab eadem Philistæi Dagona prostratum habent, nec amplius limen eius procalcant: Ab eadem Azotiorum villæ, agri, & vrbes, deuomentes murium ingentem copiam, suis tumulandis vix sufficiebant. Tanta erat vis Numinis, adstitis Arcæ pellibus opertæ, vt quos conserta manu vincere non poterant, animalculorum multitudine subegerint, quæ Deus tum immisit in hostes. Sternendis quoque hostibus generis humani, non aliam fortiorem instructioremque machinam Sacra Trias inuenit, quam vnum ex vno, ex ipsis & nobis, illum scilicet, *in quo thesauri sapientiæ & scientiæ* Dei, tanquam in arca testamenti melioris, reconditi fuerunt. Tulit hoc *Repositorium aureum* ex suo vtero Diua Deipara, & contra Hierichana Adamantina Adamæorum mænia, nec non & contra Dagona, atque eius phalangas, hodie fascijs inuoluit, inque præsepio, tanquam in acie reclinauit. Quamobrem illum reuelatum Deum pannis inuoluerit, despiciemus.

Superexcelsi Dei maiestatem, atque opera, si quis mente attigerit, ipsum vt intellectu incomprehensibilem, sed & eloquio ineffabilem pronunciabit: Platoni, *Deum inquirere*, & si *delectabile*, tamen *inuenire difficile*, *comprehendere impossibile* visum *Deus incomprehensibilis & ineffabilis.*

 sum

sum est: Simonidæ, quæ primo die Deum scrutanti, vtcunque facilia videbantur, altera & tertia luce, *indicibilia* censentur: Ex nostris Diuo Paulo, qui in tertij cęli schola, Diuina vidit & audiuit, quæ homo non vidit, nec audiuit secreta, tamen *incomprehensa iudicia & inuestigabiles via* Dei statuuntur: vel ipsam originationem, Diuinarum personarum, filij scilicet & Spiritus sancti, quis scrutatus est? *Generationē eius quis enarrabit?* Quis *emanationem claritatis omnipotentis Dei sinceram* & signationem seu expressionem eius, *qui est imago Dei inuisibilis, & figura substantiæ eius*, quis vnquam corde concepit? Quemadmodum, siue aute Luciferum, in splendoribus Sanctorum, ex cordis vtero genuerit Verbum; siue post Luciferum, in mediæ noctis silentio, ex vtero auroræ Mariç carnem fecerit idem Verbum, quis perspicaciter aspexit? Bene Isaias de Deo exclamans ait: *Vere, tu es Deus absconditus*: Arca testamenti aurea velebatur pellibus detractis, significando secreto Diuino: ne quis *scrutator maiestatis opprimeretur à gloria*, si cortinam reuelare præsumpsisset. Sic & Diua virgo Deipara *pannis inuoluit* Saluatorem Orbis recens natum, insinuando generationis eius mysterio, ne quis curiosus Bethsamita percussus intereat, vel Oza præsumptuosus occidat, si contrectare audeat, adorandam, non tangendam Dei mentem.

Isai. 53. — Hebr. 1. — Psal. 109. — Isai. 45.

1. Causa cur Christū Maria pannis inuoluit, vt innumeret, generationē illius esse ineffabilē, propter quinque.

Ego non repando nec retego, Diuinæ generationis arcanum; sed tamen *in pannis* video, miror, & veneror *Deum de Deo. Verbum quod caro factum est, & habitauit in nobis*, de cuius 1. originatione, 2. ætate, 3. maiestate, 4. omnipotentia & 5. bonitate placet pauca hæc proferre, olim à Diuinis viris effata.

1. Originatio & 2. ætas ineffabilis.

Psal. 109.

De originatione hodie nati Saluatoris insuper & *de ætate* ipsius, hæc apud Psaltem; *Dixit Dominus, Domino meo; Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quærit D. Augustinus. Quid hoc? Si Deus filium habet; nunquid & vterum? Sed sicut carnis corpora non habet, ita nec vtrum. Habet tamen sinum: nam dictum est, *qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Quod est autem sinus, idipsum est & vterus; Et sinus, & vterus, pro secreto positus est. Quid igitur est ex vtero? Ex secreto, ex occulto, de meipso, de substantia mea: hoc est ex vtero: quia *generationem eius quis enarrabit?* Conforme est huic, quod in alio Psalmo scriptum legimus, *Eructauit cor meum verbum bonum.* Quis dicit? Pater, an Propheta? ita Augustinus, quærit. Intellexerunt enim quidam, patris personam dicentis: *eructauit cor meum verbum bonum*; commendantis nobis natiuitatem quandam ineffabilem. Ne forte putares aliquid assumptum, vnde filium generaret Deus, quemadmodum homo sibi assumit aliquid, vnde generet filios: coniugem scilicet, sine qua prolem procreare homo non potest. Ne igitur putares aliquo coniugio indiguisse Deum, vnde filium generaret, *eructauit*, inquit, *cor meum verbum bonum*. Hodie ô homo cor tuum generat consilium, nec quærit vxorem, per consilium natum ex corde tuo, ædificas aliquid; & illa fabrica antequam stet in opere, stat in consilio, & inest iam, quod facturus es in eo, per quod facturus es: & laudas fabricam nondum existentem, nondum in specie ædificij, sed in prolatione consilij, nec laudat alius consilium tuum: nisi aut cui indicaueris, aut qui viderit, quod fecisti: Ergo si per Verbū omnia, & Verbum de Deo, inspice fabricam factum per Verbum, & ex isto ædificio mirare consilium; quale scilicet verbum est, per quod factum est cœlum & terra, & omnis ornatus cæli, omnis fæcunditas terræ, diffusio maris, distentio aëris, fulgor siderum, claritas Solis & Lunæ. Videntur hæc, transcende & hæc: Cogita Angelos, Principatus, Sedes, Dominationes, potestates: Omnia per ipsum facta sunt. Vnde ergo ista bona facta sunt? Quia eructatum est, per quod fierent, *Verbum bonum.*

Ex vtero ante Luciferum exponitur. — Ioan. 1. — Isai. 53. — Psal. 44. — *Eructauit cor meum exponitur.* — *Verbū quid.*

Ad eandem originationem Verbi spectat & illud, quod pater pronunciat, apud eundem Psaltem subsequenter, cum ait. *Dico ego opera mea Regi.* Quæramus, inquit August. quomodo & hoc secūdum fidem verā & Catholicā intelligamus. *Dico ego opera mea Regi*: Si enim Pater dicit opera sua filio regi nostro: quæ opera Pater dicturus est filio; cum omnia opera patris per filium facta sunt? An forte dico ego o-

pera mea regi, IPSVM DICO, generationem filij Dei significat? Vereor ne hoc aliquando, à tardioribus non possit intelligi. Veruntamen dicam, sequatur qui potest, ne non dicto, non sequatur, qui potest.

Semel loquitur Deus, explicatur. Psal. 61.

Legimus in alio Psalmo dictum, *Semel locutus est Deus.* Totiens locutus est per Prophetas, totiens per Apostolos, hodieq; loquitur per Sanctos suos, & ait, *semel locutus est Deus?* Vnde semel locutus est, nisi per Verbum suum? Sicut autem, eructauit cor meum verbum bonum, intelleximus ibi generationem filij, velut repetitio mihi videtur facta in consequenti sententia, vt illud quod dictum est, eructauit cor meum verbum bonum, repeteretur in eo quod ait, DICO; Quid est enim dico? Verbum profero. Et vnde profert Deus verbum, nisi, corde suo & intellectu suo? Tu non dicis, nisi quod ex corde tuo profers; verbum tuum quod sonat & transit aliunde non profertur: & miraris, quia ita dicit Deus? Sed DICERE Dei æternum est. Tu dicis aliquid modo, quia tacebas paulo ante: vel ecce nunc, nondum verbum profers, cum autem proferre cœperis, rumpis silentium quodammodo, & generas verbum, quod antea non erat. Non sic Deus, genuit verbum; Dicere Dei sine initio est, & sine fine: & tamen vnum verbum dicit. Dicat alterum, si quod dixit transierit. Cum vero & à quo dicitur manet, & quod dicitur manet, & *semel* dicitur, & non finitur; & ipsum *semel* sine initio dicitur, nec bis dicitur; quia non transit, quod semel dicitur. Hoc est ergo, *Eructauit cor meum verbum bonum, & ex vtero genui te ante Luciferum.* Quid est ante Luciferum? Lucifer pro sideribus positus est, tanquam à parte totum significaret scriptura, & ex eminenti stella omnia sidera. Sed ista sidera, quomodo facta sunt? *Vt sint in signa, & in tempora, & in dies, & in annos.* Si ergo & in signis & in temporibus posita sunt sidera; & Lucifer nominatus est pro sideribus; quod est ante Luciferum, hoc est ante sidera; & quod est ante sidera, hoc est, ante tempora. Si ergo ante tempora, ergo ab æternitate. Noli quærere quando, æternitas non habet quando. Quando & aliquando, aduerbia sunt temporum. Dictũ

Psal. 44. & 109.

Genes. 1.

est ergo, vt dici oportuit figuratè & Prophetice, vt & vterus pro secreta substantia, & Lucifer pro tẽporibus poneretur, quod *de patre non est natus in tempore, per quem facta sunt tempora:* Hæc de originatione & ætate Verbi, quod die hodierna *caro factum est.*

2. Substantia & 3. Omnipotentia verbi. Ioan. 1.

Porro quod *substantiam & omnipotentiam eius* attinet, audis quid Ioannes de illo pronunciat, & *Deus erat Verbum, & verbum erat lux* atque *vita* omnium, *per quod facta* & animata sunt omnia? Si Deus verbũ? itaq; consubstantialis patri. Si cooperator Patris? itaq; æqualis Omnipotentiæ cum Patre. Sed hæc magis par est adorare, quam scrutari, quæ habitans lucem inaccessibilem, lux ipse de lumine occuluit. Huic tegendo, Diua virgo Deipara, pannos produxit, inuoluit, & in præsepio collocauit.

5. Bonitas Dei in incarnation. 2 Causa cur Deus in fascijs.

Pannis deinde inuoluit Maria, Verbum caro factum iustitiæ cohibendæ, & bonitatis erogandæ causa. Quo furore olim exardesceret Deus in hominis peccatũ, manifestũ est, dum expulsis à Paradiso parẽtibus collocauerit Cherubin ante Paradisũ, & flammeum gladiũ atq; versatilem, quo arceret à loco amænitatis, & scelerum sumeret pœnas. Peccatum aliquot quispiam patrabat? illico Deum vltorem habebat, cui minaces iræ illæ: Si, inquit, *acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudiciũ manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Quot millia populi Israëlitici gladio isto vindice non trucidauit? Sexcẽta millia eduxerat ex Ægypto virorum ad præliũ accinctorum; & duos tantum ex tanta multitudine introduxerat in terram promissionis; reliqua multitudine, partim serpentibus ignitis, partim hiatibus terræ apertis, partim gladio vel domestico, vel hostili interempta. Decies centena millia deinde, altera vice cuiusdam gentis deleuerat.

Deuter. 32.

Dicebat sponsa in illum tunc temporis, *Manus eius stillauerunt myrrham primam.* Per Myrrham intelligo seueritatem iustitiæ, quæ tunc prima, puta, impermixta. Scitis

Cant. 5. Myrrha prima & secunda quid.

Scitis quam acres primi furores? In hominibus, florem insaniæ, dicebat quidam, primas iras: in Deo ego assero, florem myrrhæ; cum ex eius manibus nonnisi quiddam trux, & seuerum in homines destillabat. Non poterant mortales profluuium istud acerbum iustitiæ restagnare, quin clamarent. *A facie manus tuæ, ego defeci in increpationibus, quando propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam animam eius.* Alij verò grauitate manuum istarum oppressi orabant; *Manū tuam longe fac à me, & formido tua non me terreat.* Alij quasi expostulantes quærulabantur dicentes, *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?* Quis pondus manus tuæ, excipiet;

Iob 13.

Psal. 129.

Vidit hoc Diua Deipara Maria, & vicem hominum indoluit: Quamobrē cum ei datum esset patere vindicem Deum, cuius manus destillabant primam iram; pannis eū inuoluit eo consilio; vt vel cohiberet stillicidium primæ myrrhæ; vel percolaret in fascijs humanitatis assumptæ; vel denique mellea dulcedine charitatis temperaret iustitiam: vt post Natiuitatem si destillare deberet ex manibus myrrham, non illam primam impermixtam, sed istam secundam misericordiæ balsamo conditā effunderet, cui tamen fasciā humanitatis assumptæ obijceret, eaq; Deum illigaret.

Fascia Alexandri Magni.

Dum autem humanitatem assumptam, nomine fasciæ appello, venit mihi in memoriam nobile facinus cuiusdam Magni: Is est Alexander, cui Lysimachus propter præclaras animi & corporis vires, inter primores amicos: Contigit vt desiliens equo Alexander, hastæ cuspide ita in fronte vulnerauerit Lysimachum, vt sanguis aliter claudi non posset, quā diadema sibi demptum rex, alligandi vulneris causa, capiti eius imponeret: Quod auspicium primum regalis maiestatis Lysimacho fuit.

Iust. lib. 15.

Ad stagnandum quoque siue myrrhæum ex Dei manibus, siue sanguineum ex nostris vulneribus profluuium, non aptiores fasciæ, quam humanitatis regiū diadema. Patitur id Rex noster sibi detrahi, propositioneque illius alligari. Fecit Maria, & dū pannis Christum inuoluit, manus eius ligauit, humanitatis nostræ coccineo vinclo. Ita mihi videbatur alloqui Filium, Habitum quo inuentus es vt homo, tibi amicijsti, non aliam ob causam, nisi propter hominē: Si tanta abiectione temetipsum abiecisti, vt formam serui, pro seruo acciperes, patieris ne amplius in seruum, quippiā grauius statui? Humanitatis substantiam assumpsisti? hominū naturæ humanitas & benignitas amica est: par itaq; est te opem ferre egentibus, parcere prostratis, & consolari lugentes corde. Homo es? humanitatē à te non alienā putes. Homo es? crudelitatem feralem à te alienam ne assume. Homo es? seueras cohibe manus, districtos reconde enses, flammantes restingue ignes: pro carbonibus ignitis, stellas; pro grādine, rosas; pro fulminibus, radios illustres repone. In locum gladij, succedat caduceus pacis; post diluuium igneum, erumpat fluuius aquæ crystallinæ; sit post nubila & fragores, Phœbus & serenitates. Manus distillantes myrrham primam, sint tornatiles aureæ, plenæ Hyacinthis. Orauit Maria & exorauit: Fascijs enim cum ligasset Iesum, manus eius factæ sunt *tornatiles aureæ plenæ Hyacinthis. Tornatiles*, inquam nullo impulsore, sed ex seipsis mobiles, promptæ aperiri, & effundere; non iam pluuias sulphureas aut ignes edaces, sed aurum charismatum incomparabilium, sed insuper & hyacinthos donorum inæstimabilium. Miram mutationem!

Cant. 5.

Olim Cherubinos exterminatores miserat, qui perfugā sequerentur ex Paradiso eiectum: nunc choros Angelorū destinat, qui perduellem solentur, & Pacem auream offerant. Gladiū districtum vibrabat in fugaces antea: nunc excussis armis, oleā misericordiæ porrigit illis. Manus eius antea, ignem, grandinē, fulmina, spiritus procellarum, myrrhā videlicet, & illam primam distillabant: nunc balsamum & oleum benignitatis largissimo amne profundunt. Antea carbones spargebat super vniuersā terram ignitos, desolatorios: nunc aurum Diuinitatis imagine percussum liberaliter pluit. Nunc montes & colles stillant dulcedinem, cœli melliflui facti nouum Manna rorāt; petræ fundunt olei riuos, quo & vulneribus mederi, & animas aridas recreare, & æs alienum dissoluere potis simus.

Cesse-

Cesserunt horrenda suauibus; manus graues & hispidæ, leuibus & lenibus; mirrhæ distillationes, hyacinthinis imbribus. Potes ô homo nunc exoptare amplexus pusionis Dei, quos sponsa desiderans aiebat. *Laua eius sit sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: Gloria enim & diuitiæ in manibus eius, non amplius gladius, non ignis desolatorius, nō calix amaritudinis ex thesauris iustitiæ signatus. Qui antecedaneis temporibus exsufflabat, & hominem tanquam florem, desiccabat, nunc amat pascere, & pasci inter lilia. Qui maiestatis fulgore exerto omnes à suo cōgressu deterrebat; nunc pannis inuolutus, verè & verè Deus absconditus, etiam iumenta ad se prehensat: Qui manibus solutis, nemini non grauis fuerat, nunc pannis inuolutus, permittit lacinā diadematis purpurei, partem scilicet meritorum suorū sibi præcidi, ad obliganda vulnera eius, qui à latronibus Hierichanis semimortuus relictus, vixdum animam trahit. Paruulus & fascijs clementiæ inuolutus, noster Sampson, vlcisci non cogitat, sed aperire illas atque implere omne animal benedictione. *Cant. 2.*

Quas huic Diuæ Deiparenti meritas persoluemus grates? Quid huic beneficio, quod nobis Deum, & eum fascijs inuolutum ediderit referemus? Sempiterna deuinctos se esse gratitudine Moysi testabantur Israëlitæ, qui Deum nube velatum eis ostendit; quæ Deum non nube, sed carne nostra texit, neque ad colloquium tantum, sed ad communicandum igni & aqua enixa est; quæ manus eius vltrices alligauit, gladium versatilem excussit, Angelum minacē conciliauit, iustitiæ myrrham balsamo gratiæ contemperauit; quæ infernum clausit, & manus aureas hyacinthinas aperuit; quæ, inquam, tot beneficiorum nobis author fuit, quam grati animi significationem expostulabit? Non aliam prorsus requirit, præter hanc, vt filium eius verbum Deū absconditum, cū Angelis & pastoribus inuisamus, pia cogitatione cōtemplemur, animoq; & corpore submisso gloriā, honorem, & reuerentiam eidem præstemus. Deinde ne sceleribus nostris, id quod illa pannis ligauit & inuoluit dissoluamus, neue gladium vindicem eidem contra nos tradamus. Sic fiet, vt qui pro nostra salute factus est particeps mortalitatis nostræ, participes nos efficiat Diuinitatis suæ in secula sempiterna. Sed antequam finio, narrabo vnum mirum mirabile, factum à Deo, propter contemplationem mysterij hodierni: Deuotus quidam, inter præcipuas meditationes suas præfixerat sibi ad cōtemplandum secretum incuruationis Dominicæ. Quod cum ardentissimo spiritu satis pro suo modulo contemplaretur, non poterat se continere, quin erumperet & cantaret illud solenne Ecclesiæ canticum, *Gaude Maria virgo cuncta hæreses sola interemisti, quæ Grabrielis Archangeli dictis credidisti, & post partum virgo inuiolata permansisti*. Hærebat Oratario in quo cantare solitus ille, infelix Iudæus virginei partus hostis immanis: Qui audire non sustinens gloriosum pæana, pium Diuæ Virginis cultorem vna vice sub multam noctem recinentem aggressus, oppressit, inque frusta concidit, insuper & sepeliuit. Adfuit Diua Deipara; suum & sui partus Admiratorem exhumauit, redintegrauit, redanimauit, parocho stitit, Iudæi sacrilegium conuicit, damnauit, puniuit, omnesque fideles certiores reddidit, quantum illi & suo Filio placeret deuota contemplatio beneficiorum, quæ hodie collata. Veniamus & nos cum pastoribus, & videamus hoc Verbum fasciatum, si cupimus hic & in perpetuum beneficijs ex beneficijs ornari. Amen.

Occisus quidā suscitatus fuit propter canticū, Gaude Maria. in Spec. Exemp. d. 9. c. 59.

Et pannis eum inuoluit, & reclinauit in præsepio Luc. 2. cap.

CONCIO II.

Quis & cur iaceat in præsepio?



SERVANDO Dauidi, tale commentum Michol vxor inuenit. *Tulit statuam, & posuit super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput illius, atq; operuit stragulo*: Venerunt interim Saulis apparitores qui vel reluctantē conciderent, vel ægrotantem ad necem raperent Dauidem. Sed hunc Michol per fenestram emiserat, proque eo statuam inuolutam suppo- *1. Reg. 19.*

supposuerat, qua delusi recesserunt.

Seruando quoque generi humano, Maria non absimile inuentum excogitauit. Tulit hodie illum lapidem pretiosum de monte sine manibus excisum, hedinisque mortalitatis nostræ indutum, reclinauit in præsepio. Sed quem & cur? Adorantes in loco vbi steterūt pedes eius, admirabimur mira miranda, quæ *Dominus fecit & ostendit nobis.*

Christus lapis. Saluatorem nostrum, carne humana amictum, nomine lapidis intitularunt Sacri Vates: Ita apud Zachariam lego, Deum ipsum prænunciantem, *Ecce adducam seruum meum Orientem. Quia ecce lapis, quem dedit coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego calabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.* *Zach. 3.*

Diuus Hieronymus interpretatur, Ecce ego adducam seruum meum Orientem, qui alio nomine lapis appellatur, & datus est coram Iosedech, seu Iesu, super hoc lapide septem sunt oculi.

Promiserat namque Deus Iesu filio Iosedech Sacerdoti magno, vt Xantes Pagninus aduertit, quod si in vijs eius ambulasset, & eius præcepta seruasset, ipse dijudicaret domū eius, & atria eius custodiret, & daret ei ministros Angelicæ dignitatis, & amicis illius plenā felicitatem & perfectam beatitudinem tunc futuram, quando venisset ille Oriens, de quo scriptum est antea, *Ecce vir oriens nomen eius*, & in Malachia: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*, & in Numeris, *Orietur Stella ex Iacob, & homo ex Israël.* *Zach. 6.* *Malach. 4* *Num. 24.*

Qui non alius Oriens esset, quam Iesus Saluator, ad quem Zacharias ingeminat, *In quibus visitauit nos Oriens ex alto, illuminare eos qui in tenebris & in vmbra mortis sedent.* *Luc. 1.*

Rabbi Ionathan manifestissime hunc locum de Christo intelligit: Sic enim habet: Ecce ego adduco seruum meum Messiam, & reuelabitur, siue sese reuelabit: quia ipse ecce lapis, quem dedi coram Iohoscuba super lapidem vnum septem oculi: Ecce ego reuelo visiones eius, & remouebo peccatum terræ ipsius in die vna.

Iesus itaque est *Oriens, & lapis pretiosus, electus, probatus, angularis, in fundamento positus*, septeno radio Spiritus sancti destinctus, & summo artificio manus paternæ effigiatus, *character & imago bonitatis illius.*

Fuit equidem inter Angelos, quidam vnus lapis signaculum similitudinis Diuinæ; sed hic noster lapis Oriens *tanto melior Angelis effectus est, quanto differentius præ illis nomen participauit*, vt docet Paulus. *Hebr. 1.*

Placet hæc verba de nostri lapidis Orientis præstantia, dignitate & splendore, expendere cum Cyrillo Alexandrino.

Qui (ita ille inchoat explanationem) Verbum Dei inter creaturas audent numerare, illud quoque dicunt cauillantes, quod ex Apostolo produximus: Nam si melior factus est, inquiunt, mutatus ergo in melius est: factus est enim melior; quod non erat. Qui autem aliud fieri potest quā fit: is certe natura mutabilis est, quare etiā creata: Nam mutabilitas, creaturæ propria est. *Li. 8. thes. cap. 2.*

Sed tamen sciendum est, quod ante omnia quando locum Scripturæ aliquem recte intelligere volumus, tria diligenter consideranda sunt: 1. tempus quādo scriptum est quod dicitur: 2. persona quæ dicit, vel per quam, aut de qua dicitur: 3. & res propter quam, aut de qua scribitur. Sic enim absque errore sensum verum poterimus inuestigare: Cognitione temporis opus esse non dubitamus, audientes Apostolos dicere ad Christum, *quando hæc erunt? & quod est signum aduentus tui?* Hymeneus etiam & Alexander ignorantia temporum, putarunt iam factam esse omnium resurrectionem. Personarum vero cognitionem Eunuchus necessariam ostendit, dicens ad Philippum. *Quæso Domine, de quo Propheta loquitur, de seipso aut de aliquo alio?* Et Paulus volens Saluatoris personam intelligi, in quam dicuntur hæc, inquit, *in quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est. Manifestum est enim, quia ex Iuda ortus est Dominus.* Quod autem rei quoque notitia necessario requiritur, inde discemus, quod res quæ de Saluatore scribuntur, vt verbi causa. *Ecce virgo in vtero concipiet: & sicut ouis ad occisionem ductus est*, ad nemi- *Christus angelis melior, quādo, & quomodo.* *Tria necessaria ad intelligentiā scripturarū, 4. natura. 5. administratione.* *Act. 8.* *Hebr. 7.*

nem

nem Sanctorum referri possunt; quare proprie ad Christum referuntur. Cum hæc ita se habeant, sic aperte Paulus dicere videtur: Quando filius Dei propter nos factus est homo, quando immunditia peccatorum per ipsum purgata, sed in dextris magnitudinis in excelsis; tunc melior Angelis cognitus est, non quia naturam in aliud mutauerit, vel quia factus sit postea quod prius non erat: non enim de natura filij modo sermo habetur, sed de ea quæ tempore incarnationis facta fuit: ita non Angelorum naturam, naturæ filij comparat, sed rerum & administrationum comparatione inducta, meliorem administrationem filij fuisse affirmat. Sed latius idipsum aperiamus.

Christus melior angelis à titulo. Ostendere voluit ad Hebræos scribens Paulus, quod Christi administratio, & lege quæ per angelos fuit administrata, & Prophetarum administratione melior fuit: Et à dignitate hoc ipsum demonstrat dicens, *Hebr.1.* *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedens ad dexteram maiestatis in excelsis.* Maxime igitur gloria filio attributa, ex paternæ naturæ proprijs illi accommodatis, infert tanto meliorem ipsum Angelis esse, quanto maius, quam illi nomen consecutus est: Filius enim & hæres, & splendor, & character, & imago, & in eodem solio sedens, & Creator vere dicitur. Quod si propter hæc longe melior esse Angelis cognoscitur; melior ergo est & administratio sua, quam administratio Angelorum. Quando igitur dicitur effectus est, non significatur hic productio ex nihilo; Verbum enim in principio erat: nec mutatio à minore ad maius: filius enim perfecti patris, perfectus est. Sed in comparatione gloriæ atque dignitatis apparet quod maius & melius est. Quemadmodum si quis equo conferat hominem, dicatque meliorem equo ad se hominem fieri, quia rationalis sit: Nam quod fieri, non semper mutationem naturæ significet, patet à multis. *Fias*, inquit, *mihi in Deum protectorem*; & rursum, *Factus est mihi Dominus in refugium*, & alibi, *factus est mihi Dominus in salutem*: Administrationis ergo ac gloriæ, non naturæ filij & Angelorum, comparatio fit: & certe comparatio melioris apud scripturam, non in quacunque differentia solum, verum etiam in immensa; aut secundum naturam, aut secundum dignitatem, aut secundum mensuram gratiæ dicitur. Sed hæc ego dispungo in membra sua.

Secundum mensuram gratiæ; quia homo, melior est ipsis Angelis: Namque in illo inhabitauit Diuinitatis plenitudo corporaliter, in Angelis neutequam: Deus non ad mensuram dedit gratiam filio; Angelis autem pro modulo & capacitate cuiusque: Filium vidimus plenum gratiæ & veritatis; Angelis vero nonnihil deest, quod vel à suprema cortina, vel etiam ab ipsa Ecclesia discant. *2. Gratia.*

Secundum dignitatem melior est Iesus, quam Angeli, *Cui enim aliquando Angelorum dixit, filius meus es tu?* Suffecerit Angelis esse administratorios spiritus, & missos propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Iesus pro illis differentius nomen participauit, vt sit filius, non seruus: Rex regum non administer; hæres, non verna ascititius; vera imago patris, non ad imaginem, character ipse à sigillo essentiæ expressus, non à charactere percussus. Gloriã hanc, aiebat Cyrillus, filij suscipere angeli nequeunt. Nam ille natura Dominus, hi serui natura sunt. Nulla ergo communitas naturæ filij, ad naturam Angelorum est: sed filius creator est, angeli creaturæ, quæ vnius naturæ esse non possunt. Aliud enim est quod naturaliter facit & creat, & aliud quod fit & creatur: Nam si res ita se non haberet, quid Deum à creaturis distinguerer? Et Angelis quidem scalarem gradationem assignauit Deus, in qua sint ascendentes & descendentes: Filio autem dixit, *Thronus tuus Deus in sæculum, virga directionis, virga regni tui.* *3. Dignitate.* *Genes.28.* *Psal.44.*

Secundum naturam quoque melior est Iesus, quam Angeli: Nam ille Deus, hi autem à Deo. Quod vero Angeli, ita rursus Cyrillus, serui sunt natura, filius similiter natura Deus, hinc maxime perspicitur, *4 Natura.*

quia nullus potest peccata dimittere, nisi solus Deus: Sed filius peccata dimittit, Deus ergo naturaliter est, & non creatura. Et Angeli quidem orant dicentes, *Domine, vsquequo non misereberis Hierusalem?* Filius vero vt Dominus, summa cum potestate dicit: *Dimittuntur tibi peccata tua.*

3. Admini- strationè. Secundum administrationem quoque necesse est meliorem esse Filium ipsis Angelis: Angeli enim legē ministrarunt, Christus Euangelium prædicauit. Nemo ignorat, parua paruis committi, & magna magnis. Maiora quam Angeli Christus pro salute nostra ministrauit, euangelium, gratiam, Sacramenta, regnum, sacerdotium, cælum deniq; ipsum: maior itaque & melior esse censetur administratione. Et Angelis quidem sicut seruis minora committuntur: filio autem ea quæ Dominum decent. Vnde Paulus ipse scribit, quoniā *quod impossibile legi erat, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnē ambulamus, sed secundum spiritum.* (Rom. 8.) Quod si lex non potuit peccatum in carne cōdemnare; condemnauit autem Christus peccatum in carne, quia Sancti spiritus effecit eam susceptibilem, vt possimus iam dicere, non sumus in carne, sed in spiritu: profecto etiam in hoc melior Angelis, per quos lex edita est Christus inuenitur.

Et rursum. Omnes sub lege, condemnabantur propter peccatum: Filius autem venit, non vt iudicaret aut damnaret mūdum, sed vt saluaret: neque vt rationē peccatorum exigeret, sed vt remissionem peccatorum omnibus largiretur: melior autem est qui iustificat, quam qui condemnat: melior qui largitur, quam qui exigit: melior qui peccatum in carne damnauit, quam lex quæ id facere non potuit, quare in his etiam melior filius Angelis est, qui legem imbecillem & condemnantem condiderunt. Et Angeli quidem ministrāt: filio vero ministratur. *Ecce Angeli*, inquit, *veniebant & ministrabant ei.* Ille Creator est, isti creati per ipsum: Ille adoratur, isti adorant. Namque *cum introducit Deus iterum primogenitum in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* Illis mandatur, vt portas cælorum tollant: iste vt Dominus virtutum, & vt rex gloriæ ingreditur: Illi vitam participant, à Deo sibi largitam; iste vitæ largitor est, imò autem vita omnibus ipse est: Ille magna voce clamat, *Ego & Pater vnum sumus*: &, *qui me videt is patrem meum videt*: &, *omnia patris mea sunt*: &, *ego sum lux mundi*, *ego sum resurrectio, ego vita.* Isti, tales emittere voces, nec audent, nec debent. Et in filij nomine, si oremus, erunt nobis quæcunque petemus: in Angelorum vero nomine, nullus orat. Et filio quidem, gloria vna cum patre debetur; Angelis autem nulla debetur: ipsi enim filium, vna cum patre glorificāt. *Et omnes Angeli*, vt vidit & audiuit Ioannes, *stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes, Amen: & erat numerus eorum, millia millium, dicentium voce magna, Sedenti in throno & Agno, benedictio & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum, Amen.*

6. Gloria. Matth. 4. Hebr. 1. Apoc. 7. & 5.

Quærebam, quis iacet in præsepio? Habetis, illum qui tanto melior est præ Angelis, quanto differentius præ illis, nomen, naturam, dignitatem, gratiam, administrationem, & gloriam hæreditauit: Deus inter homines, vt indicabat Basilius, non per ignem, & tubam, & montem fumigantem, aut caliginem & procellam animas audiētium leges dans perterrefacientem, sed per corpus, mansuete ac blande, cum his qui eiusdem generis sunt, conuersans. Deus in carne, non ex interuallis operans, velut in Prophetis, sed insitam & vnitam sibi ipsi humanitatem adeptus, & per cognitam nobis carnem suam, ad seipsum humanitatem reducens. Visus in terris, in forma serui; quem habent Angeli Imperatorem in cælis: Illic Dei filius, hic seruus: Illic rex, hic subditus: In cœlis diues, in terris pauper: In cælis adoratur, in terris vectigal ab eo exigitur & soluitur: Illic Diuino sedet in throno, hic in agresti & rustica nascitur spelunca. Inuoluitur fascijs, qui soluit omnia: nutritur, is qui pascit vniuersa. Qui emittit fontes, mammam sugit: Qui volucres pennis vestit, qui floribus agros; illius

Christus magnus & paruus.

frigore

frigore hyberno membra tenera rigent. Qui fert omnia, inexplicabili quodam modo ferebatur. Qui fecit nitidi cæli radiantia sidera, super quæ choris Angelorum septus iura dat creaturis; nunc inter vilissima iumenta, in lecta paludibus herba, iacebat: Qui sedet super Cherubinos felices, in duro præsepi reclinatur. O miraculum miraculorum supremum! Quid enim mirabilius, quam quod omnem implens locum, nullum in diuersorio habeat locum? Quid magis stupendum, quam quod summus factus est infimus? Immensus in paruulum, Diues in pauperem, beatus in miserorum consortium abierit?

Obstupuisti ô Isaia, cum Dominum vidisti, sedentem in solio excelso, inter duos Seraphinos, maiestate sua, replentem vniuersum orbem: quod scilicet ille qui inuisibilis est, dignatus est se tuis aspectibus præsentare, quid faceres si aspexisses eundem, non sedentem, sed iacentem; non in solio excelso, sed in præsepi abiecto; non eleuatum, sed depressum; non in domo maiestate plena, sed in stabulo sordibus olido; non vestibus replentem omnia, sed pannis amiciri cupientem? Quid si aspexisses non duos Seraphinos, sed bouem vili comitatum asello assistentem, & flatu suo fætido, illum à cuius calore nemo est qui se abscondat, calefacientem? Si audisses non trisagium Angelorum, sed rugitum & boatum animalium; si inquam in stabulum putens, sordidum, inter equos, mulos, asinos, ingressus, in quodam angulo reperisses Virginem genere nobilissimam, forma honestissimam, dignitate amplissimam, fortuna vero abiectam tantopere, vt non ei locus esset in diuersorio, hanc vero tantam & talem, tantum & talem filium enixam, illam Deum inter fænũ & paleas deijcientem, vbera ei porrigentem, lachrymas ab eius occellis materno studio detergentem: ipsum vero vagientem, & esuriẽ, & frigora patientem, quid diceres? An spiritum non exhalares? Quomodo non stupendam Dei dignationem prædicares?

Prou. 25. Dicebat sapiens, *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur Verbum in tempore suo.* Deus hodie locutus est Verbum Deum: quæris, cur illud non in lectis argenteis, sed in vili præsepio reponit?

Satis iam fuit candoris argentei ab æternitate, placebat etiam, recubare inter lilia-ta repositoria, in tempore suo.

Nam homo refuga à Deo, comparatus erat iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis. Samaritanus denique postquam semicurasset hominem, in stabulum illum deduxerat, stabularioque commiserat dicens, *curam istius pecudis habe.* Quamobrẽ cum venisset quærere oues, quæ perierant domus Israël, & illos deinde qui facti fuerant *sicut equus & mulus*, reponi voluit in præsepio; nimirum, vt abligaret, vt reformaret, vt pasceret. *Christus in præsepio vt ab ligaret, & reformaret, & pasceret.*

Ligneo cyppo se indiderat homo, & postquam peccauerat, vt ait scriptura, *abscondit se homo in medio ligni Paradisi.* Venit vt educeret vinctum de tenebris, & à duro isto carcere liberaret.

Ligneo præsepi alligatus homo, computruerat in stercoribus suis. Venit Iesus, vt absolutum ablueret lauacro sanguinis sui, atque ab his thermis, nouum sibi hominem generaret.

Ligneo fructu concupiuerat Adam satiare ventrem, pro quo tamen, vix siliquas porcorum, improba seruitute emereri, & emendicare poterat. Venit Iesus, vt se fructum vitæ communicaret; & pro siliquis, mannæ suauissimæ, esurientes, repleret bonis. Ah nostram stoliditatem. *Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui*; & Christiani dedignantur Dominum suum in hoc præsepio, scilicet sub his speciebus sacramenti gustare? Quid gustare? Meditari, inspicere? Adeo huius beneficij immemores sunt quidam, vt hoc nec in suo tempore, quo ab Ecclesia eius recolitur memoria, illud recolant. O ingratitudinem! ô plusquam ferrea hominum corda! Quid enim magis ferreum, quam eo gratitudinis affectu carere, quo ne feræ ipsæ truculentæ carent, quæ beneficium agnoscunt, & qua ratione possunt gratiam referunt? Quid in hoc loco dicam? prorsus ignoro. Nisi quod vehementer timeo, ne forte non pertingat ad eos fructus redemptionis, qui beneficiũ nõ æstimant redẽptoris: Illis enim videtur Christus natus nõ fuisse, qui nihilomagis hoc adeo stupẽdo

Isai. 1. Stoliditas hominum stolidior quam iumentorum.

Narratio de quadam Vestali meditante. Spec. exẽpl. d. 9. c. 74.

do mysterio afficiuntur, quam si ad eos nihil pertineret. Cui rei vel illud certe argumento est, quod non talibus, hoc est non ingratis & improbis, sed hominibus bonæ voluntatis, Angeli hodie pacem precantur, bonaque omnia annunciant. Ex horum numero fuit quædam virgo Vestalis vixdum 14. annum egressa, de qua placuit referre. Beneficiorum Dei non immemor, cum ab incunabulis Diuam Dei parentem precibus fatigasset, vt vellet sibi suum filium ostendere, tandem in peruigilio natiuitatis Domini, in eam precem vehementius semel incubuit: Ingressæ oratorium apparuit D. Deipara, puppum in vlnis gestans. Reuerens illius vestalis nolebat, vel aspicere: Tandem Diua mater, iubet, *Accedat, excipiat*, & si lubet *dissuauiet*. Visa accipere, & pedes ex osculari infantis. Ad quam infans, &*num tu me amas?* puella trepida, respondit, *Amo, & equidem plusquam corpus meum.* Repetit infans, *& vere tu me diligis*? Illa vero, *Diligo*, respondit, *& plusquam cor meum.* Dixit & corde præ amoris magnitudine scisso expirauit, & Angelis concinentibus in cœlum conscendit. In exenteratæ corde inuenerunt Fratres prædicatores aureis literis scriptum, *Diligo te plusquam me quia tu creasti, redemisti, dotasti me.* O si & nos tam flammantes in meditatione hodierna. Sed nos ingratos, qui ---- Veruntamen abstineo.

Oro ne tam ingrati, neque tam stupidi posthac simus. Veneremur maiestatem, diligamus dignationem venientis, demus operam, vt ex iumentis insipientibus, sapiẽtes euadamus. Fiet, si adorabimus in loco vbi steterunt pedes Iesu, si formatorem nostrum Iesum patiamur, sique non abominemur gustare, quam suauis est Iesus, qui regnat in sæcula sæculorum, Amen.

CONCIO II.

Natus est vobis hodie Saluator.
Luc. 2. c.

De Aduentu Messiæ.



NATO Noacho, magno exultauerat gaudio Pater Lamechus, dicens, vt est in historia, *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.* Genes. 5. Multo maiorem occasionem lætitiæ habet vniuersus Orbis, Nato Iesu Saluatore: Namque ille vera cessatio exactoris, & requies à sæua tyrannide, quam tot millibus annorum sustinebant mortales. Ideo iure optimo Angelus ad pastores ait, *Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator.* An vero iam Luc. 2. sit natus, Iudæis ex quibus natus est, demõstrare conabor.

Dicebat Augustinus, Miraculum ipse est, qui Orbe ad miraculorum fulgorem credente, non credit: Aio & ego. Homo, non homo ille est, qui Orbe vniuerso exultante, ipse in Heraclyti lachrymas exundat. *Portentum ille est qui mundo credente non credit.* Gaudio magno gaudet hodie omne genus humanum, quia natus nobis hodie Saluator: solus Iudæus infelix, rugas contrahit, corde tabescit, facie liuet, vtpote cui necdum Iesus natus. O cæcas hominum mentes! ô spes fallaces! Bene in vos iactabat quiritabundus Deus, *Quis cæcus nisi seruus meus? & quis surdus, nisi ad quem nuncios misi? Quis cæcus nisi qui venundatus est? & quis surdus? nisi qui* olim *seruus Domini?* Isai. 19. Tales Iudæi semper, vanis spebus tumentes; qui nouum in perniciem expectant, quem ante in salutem natum reprobauerunt, & cruci affixerunt. Age demonstremus ortum, vitæ progressum, opera, doctrinam, religionis constitutionem, mortis exitum, & ea quæ à morte, Messiæ non alteri cuipiam propria: quæ si Christo quoque propria esse indicauero, Christum esse Mesiam demonstrabo.

Inprimis Mesiam Deum esse & hominem futurum dicebat Baruch propheta, *Hic Deus noster, non æstimabitur alius ad eum; hic inuenit omnem viam scientiæ, & dedit ipsam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Vides, quomodo omnia paucis verbis declarauit, nempe quod Deus existens homo factus est, & quod etiam veterem legem ipse condidit? *Inuenit* enim, inquit, *omnem viam scientiæ, & dedit ipsam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* Ecce declarat his, quod & ante suum in carne aduentum, omnia ipse dispensa-

Messiæ notæ & indices, desumptæ ex demonstrat. quod Christus sit Deus. 1. Baruc. 3. 2. *& homo.* 3. *Natus de virgine.*

pensârit, & omnia ipse fecerit: legem statuens, prouidens quoque, curans & benefaciens: Alius Propheta, non solùm quod homo futurus, sed & quod de Virgine nascendus erat dicit, quem audi: *Ecce*, inquit, *Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, nobiscum Deus.* Deinde quod non apparenter, sed vere homo sit, ostendit, adiecit enim dicens, *Butyrum & mel comedet.* Mos enim est, vt his cibis peculiariter pascantur pueri, mox vt nati fuerint. Et declarans quod non purus homo, iterum addit dicens, *propter quod priusquam sciat puer bonum & malum, bene sciet à malo eligere bonum.* Et quod non solum homo ex virgine, sed & quod ex domo Dauid futurus, audi quomodo & hoc multo antea prædicit Isaias, figuralibus verbis & translatione vsus, multa prædicit tamen; *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & quiescet super eum Spiritus Dei; Spiritus sapientiæ & intellectus spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, spiritus timoris Dei replebit ipsum.* Nam Iesse ille fuit pater Dauid: Nullus autem tam insipiens est, qui dicat, quod super lignum veniat spiritus gratiæ, sed manifestum est, quod super illud immaculatum templum: & non dixit veniet, sed super eum quiescet: quia vt venit, mansit & non discessit. Sed & modum aduentus eius longe ante prædixerunt: Vnus enim dicit, *Descendet pluuia in vellus*, quo aduentus illius tranquillus & quietus signatur. Alter vero symbolicè loquens, *Ascendet sicut virgultum de terra, & sicut radix erumpet de solo sitienti. Vidimus eum, & non erat ei species* Diuina, *nec decor* regius, quo abiecta eius natiuitas paucis agnita obumbretur. Et alius locum in quo nascendus erat indicat; *Et tu*, inquit, *Bethleem in terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda: ex te enim egredietur Dux, qui regat populum meũ Israël, & exitus eius ab initio à diebus sæculi.* En Diuinitatem & humanitatem indicat; Nam dum dicit, *& exitus eius ab initio, & à diebus sæculi*, substantiam declarauit, quæ ante sæcula fuit: cum autem dicit, *egredietur Dux qui reget populum meum Israël*, natiuitatem secundum carnem docet. Tempus item quo affuturus erat, alius manifestauit sic dicens: *Non deficiet Princeps ex Iuda, neque Dux ex lumbis eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium: ligans ad vitem pullum suum, & in sanguine vuæ pallium suum, iucundiores oculi eius vino, albiores dentes eius lacte.* Vitæ autem Messiæ progressum, nequaquam etiam Vates siluerunt Diuini. Mox enim vt enixus fuisset, stragem quandam & maximam, infantium futuram multis ante temporibus prædixit Hieremias; *Vox in Rhama audita est, luctus, & fletus, & clamor multus: Rachel plorabat filios suos, & cõsolari noluit, eo quod non erant.* Declinare furorem impiorum fuga in Ægyptum debebat, vt quidam testatur; *Ascendet Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Rediturus erat ex Ægypto, & hoc significarunt prophetæ, *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Erat in locis insignibus manifestandus, vbi statim signa faceret & doceret; idipsum prædictum est ab Isaia: *Regio Zabulon, terra Nephtalim, populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam sedentibus in tenebris & in vmbra mortis lux orta est eis.* Quod doctrinam & cognitionem miraculis confirmaret, idem Isaias prænunciat, *Tunc aperientur*, inquit, *oculi cæcorum, & aures surdorum audient; tunc saltabit quasi ceruus claudus, & clara erit vox inexpedite loquentium.* Alter vero quod ingresso Messia aliquando in templum pueri ad huc ab vbere pendentes, & inexpeditã habentes linguam, in illum hymnos occinerant; *Ex ore*, inquit, *infantium & lactentium, perfecisti laudem, dum destruis inimicum & vltorem.* Quod sapientiæ suæ mysteria ęnigmatibus & parabolis adũbraturus esset, ipse innuit per Ps. *Loquar*, ait, *propositiones à fundatione mũdi, eructabo occulta ab initio, aperiam in parabolis os meum.* Quin & eloquentiam eius in concionando propheta prædixit, inquiens, *Diffusa est gratia in labijs tuis*: & alius iterum. *Ecce intelliget puer meus & exaltabitur, & glorificabitur, & valde sublimis erit.* Præterea aduentus sui insignia facta cum miraculis, quasi in summa enarrat idem Isaias, *Spiritus*, ait, *Domini super me, cuius gratia vnxit me; vt euangelizem pauperibus* misit

Isai. 7. | *Isai. 11.* | 4. *Spiritu S. repletus.* | *Psal. 71.* | 5. *Quiete, & abiecta ratione enixus.* | *Isai. 53.* | *In Bethlehem propter hoc illustri.* | *Mich. 5.* | 7. *Eo tempore quãdo defecit principatus.* | *Gen. 49.* | 8. *Occisio infantium.* | *Ierem. 31.* | *Isai. 19.* | 9. *Fuga in Ægyptũ & reuersio.* | *Osea. 11.* | 10. *Manifestatio per miracula & doctrinam* | *Isa. 9. & 35.* | 11. *Attestatio paruulorũ.* | *Psal. 8.* | 12. *Parabolicus sermo.* | *Psal. 77.* | 13. *Eloquẽtia.* | *Psal. 44.* | 14. *Sapientia.* | *Is. 52. & 62.*

misit me; vt prædicem captiuis remissio-
nem,& cæcis visum. Et quod vos, Iudæi,
15. tanta beneficia in vos conferentem, quem
Odia gra- nec in paruo, nec in magno arguere po-
tuita. testis, sine omni causa auersaturi essetis,
Psal.119. audite Dauid dicentem. *Impugnauerunt*
me gratis, cum osoribus pacem erã pacificus.
Quod esset in asino aliquando Ciuitatem
ingressurus: hoc etiam olim prædictum
16. est, à Zacharia sic dicẽte. *Gaude valde filia*
Asini in- *Syon, exulta filia Hierusalem. Ecce rex tuus*
sessio. *venit mansuetus, ascendens super subiugalem*
Zach.9. *& pullum nouum.* Tradendus erat à princi-
17. pe mensæ suæ, proditorem agente; vide
Proditio. quomodo & illum reuelauerit propheta.
Psal.68. *Qui comedit,* ait, *panem meum, leuauit super*
18. *me calcaneum.* Erat illum traditurus, non
Venditio. simpliciter, sed vendẽs sanguinem pretio-
Zach.11. sum, & pro illo pecuniam accipiens; vt
ait per prophetam. *Et appenderunt mer-*
cedem meam triginta argenteis. Tradito
Messia, & voluntarie comprænhenso, quæ-
te contra eum cogi debuit concilium i-
19. niquitate plenum perquirit Psaltes cau-
Psal.2. sam iniquitatis, *Quare fremuerunt gen-*
tes & populi meditati sunt inania, aduer-
sus Dominum & aduersus Christum eius?
20. *Astiterunt Reges terræ & Principes conuene-*
Patientia. *runt in vnum.* Calumnias & falsos quos
Isai.52. miscebant sermones, patienter tulit; *Si-*
21. *cut ouis ad occisionem ductus est, & sicut*
Dãnatio. *agnus coram tondente se mutus, sic non ape-*
Indidem. *ruit os suum.* Postea iniquam sententiam
monstrans latam contra eum, ait, *In hu-*
militate sua iudicium illius sublatum est.
Nullus illi iusta iudicabit. Mortis vero
genus quale nam foret Messiæ, ipse apud
22. Zachariam designat, plagas in cruce ac-
Plagatio. ceptas demonstrãs; *His plagatus sum in do-*
Zach.13. *mo eorum qui diligebant me.* Postea & cau-
23. sam cædis Isaias recenset: nam suorum
Propterpec peccatorum gratia passurus non erat, quæ
cata no- passurus erat: immaculatus enim erat: Sed
stra. pro mundi malis traditus est. Vide quo-
Isai.53. modo hæc duo aperuerit cum dixit, *Pec-*
catum non fecit, neque inuentus est dolus
24. *in ore eius.* Cuius ergo rei gratia, occiden-
Mors pro- dus erat? Pro iniquitatibus populi. *Vul-*
pter quid. *neratus est propter iniquitates nostras, attri-*
Isai.53. *tus est propter scelera nostra.* Quid lucri à
cruce & morte illa? Peccati interitus, vul-
nerum animæ emẽdatio, cura & medicina
mirabilis, quod ipsum quomodo prædicat
vide, dicit enim, *Omnes sicut oues errraui-*
mus, vnusquisq; in viam suam declinauit, &
disciplina pacis nostræ super eum, & liuore e-
ius omnes nos curati sumus. Resurrecturus 25.
erat à morte & sepulchro; Vide quomodo *Resurrectio.*
& hoc prædixerunt, *Non derelinques ani-* *Psal.15.*
mam meam in inferno, nec dabis Sanctum
tuum videre corruptionem. Descendere de-
bebat in infernum, & omnes disturbare;
Descendam, ait, *in inferiores partes terræ, &*
visitabo dormientes portas æneas confringam 26.
& vectes ferreos conteram, & aperiam tibi *Descensio.*
thesauros obtenebratos & inuisibiles ostendã *Isai.45.*
tibi: Non erat mansurus in terris post re-
surrectionem, sed ascensurus ad cœlos; hoc
quoque manifestarunt dicendo, *Ascendit* 27.
Deus in iubilatione, & Dominus in voce tu- *Ascensio.*
bæ. Quod autem non solus, sed cum multa *Psal.67.*
multitudine rediturus esset in cælum; ita
ad eum Dauid, *Ascendisti in altum, cæpisti* 28.
captiuitatem, dedisti dona hominibus. At *Spolia.*
quod ascensurus ipse, non staturus esset cũ *Indidem.*
Angelis, neque cum Archangelis, neque
cum alijs administratorijs virtutibus, sed
secessurus ad dexteram regiam, audi quid
dicat, *Dixit Dominus Domino meo, sede à* 29.
dextris meis, donec ponam inimicos tuos, sca- *Thronus.*
bellum pedum tuorum. Occisores ipsius da- *Psal.109.*
turi erant tanti sceleris pœnas, *Tu,* ait Ga- 30.
briel Danieli, *animaduerte sermonem, & in-* *Pœna occi-*
tellige visionem septuaginta hebdomades (id *dentium.*
est anni 490.) *abbreuiatæ sunt super populum* *Dan.9.*
tuum, & super vrbem Sanctam tuam, vt cõ-
sumetur præuaricatio, & finem accipiat pec-
catum, & deleatur iniquitas, & adducatur
iustitia sempiterna, & impleatur visio, &
prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.
Et postea scito & animaduerte ab exitu ser-
monis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque
ad Christum ducem, hebdomadæ septem, &
hebdomadæ sexaginta duæ erunt, & rursum
ædificabitur platea, & muri in angustia tem-
porum. Et post hebdomadas sexaginta duas
occidetur Christus, & non erit eius populus,
qui eum negaturus est. Et Ciuitatem, &
Sanctuarium, dissipabit populus cum Duce
venturo, & finis eius vastitas, & post finem
belli statuta desolatio. Confirmabit autem
pactum multis hebdomada vna, in medio
hebdo-

hebdomadis deficiet hostia & sacrificium & erit in templo abominatio desolationis & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Hæc de Messiæ aduentu, persona, natiuitate, vitæ progressu, operibus, doctrina, religionis statu, mortis causa & genere, subsecutis post mortem, vindictaque in eius Crucifixores, à Sacris prophetis, in lege Mosaica probatis, longe ante prædicta fuerunt.

Cōparatio antedictorum ad Christū. An hæc omnia Christo conueniant, non est difficile ostendere: Diuinitatem quidem suam, si alias, certe in natiuitate demonstrauit. Natus est vt homo; sed ex virgine intacta, vt Deus. Affuit de familia Dauidica vt homo? sed etiam descendit de cælis, vt Deus: Angelos etenim, ad ortus sui encomia, deduxit; stellas, Bethleem indices in æthere formauit; Reges ab Oriente ad sua natalitia exciuit; prophetas vtriusque sexus spiritu Sancto perflauit. Si tibi, ô Iuda, sensuum obscuritate, indignum videtur Christum Dominum, Deum verum de fœmina natam credere; Virginem cogita peperisse. Si tibi panni, quibus obuolutus est fortasse vilescunt, Angelos collaudantes & multitudinem cœlestis exercitus admirare. Si præsepe in quo infans iacuit despicis, erige paulisper oculos, & nouam in cœlo stellam, testantem mundo natiuitatem Domini contuere. Si credis vilia, crede mirifica. Si de his quæ humilitatis sunt disputas, quæ alta sunt & cœlestia venerare. Si non habentem locum in diuersorio abominaris, cogita Orbis descriptionem, quæ tunc contigit, quando hic natus, in vestra stirpe, non reperit Principem, neque Regem, neque Ducem suæ gentis: imperantibus Romanis vestræ familiæ, & eam sub seruitutem suā agentibus. Vbi nunc, dicite mihi, aliquem vestræ sobolis Principem veneramini? Vbi vestrum Regem? vbi eius Regiam? vbi Ducem? Vbi ad minus Iudicem, vel Pontificē, vel Sacerdotem cuius Dominio pareatis? qui vos sceptro suo regat? congreget in vnum? tueatur ab hostibus? Defecit olim Princeps à Iuda, & dux de fœmore vestro, quia venit Sylo, & quia natus est Messias.

Progressum vitæ, miracula, beneficia, doctrinam, Sacramenta, exitus mortis, & alia id genus, quæ à prophetis de Christo prædicta sunt, Christo conuenisse, possem demonstrare, nisi me angustiæ temporis concluderent. Rideris illum quem Patres vestri in Crucem egerunt? Volentes impleştis illud à Daniele præuisum; *Occidetur Christus.* Elementa & alia creata, non potuerunt sustinere immanitatem, quam exeruistis in innocentem Iesum, quem plagastis in ligno, in siti eius acero illum potastis, diuisistis vestimenta eius, & super vestem eius misistis sortem, opprobrijs & calumnijs saturastis ab amicis derelictum, & tanquam agnum mansuetum porro peremistis. Terra contremuit ad vestrum scelus; monumenta aperta, dederunt mortuos ad detestandam impietatem; petræ scissæ sunt, adamantinam duritiem vestram abominantes. Sol crudelitatem facinoris aspicere recusans, tenebris in meridie conuolutus est. Velum templi sua sponte disruptum, concisum à vobis Auctorem Tabernaculi, hoc signo detestabatur. Angeli Pacis amare flebant, Regem suum sic turpiter, sic crudeliter enectum à parricidis. An ille quem sub Tiberio Augusto cruci affixistis, inque medio duorum latronum morte affecistis Messias verus fuerit, vel ipsi vos iudicate, ab eodem Codice vatis Danielis: Namque aiebat, *& non erit eius populus qui eum negaturus est: & ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio: & deficiet hostia & sacrificium, & in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.* Cedo. *Dan. 9. Euersio Ierosolymorū & legis antiquatio.*

Vbi enim nunc Ierosolymorum illa præclara & splendida ciuitas? Vbi tabernaculum & Sancta sanctorum? vbi altare? vbi arca? vbi Cherubin gloriæ? vbi thuribulum aureum? vbi propitiatorium? vbi phialæ? vbi pateræ libatoriæ? vbi ignis ille cælitus demissus? vbi apud vos illa veneranda? vbi Pontifex? vbi stola & rationale? vbi declaratio? Ne vero istos mihi dixeris Patriarchas, caupones vestros, negotiatores, iniquitate plenos: Dicite mihi qualis est sacerdos, cum non sit vetus illud oleum, neque quicquam omnino veteris sanctimoniæ

moniæ? Dicite, inquam, mihi, qualis sacrificus, cum non sit neque altare, neque cultura, neque sacrificium? Dicite mihi qualis cultus, quod altare, quale sacrificium extra Hierosolymam? Nec enim in vllo orbis loco permisit hæc facere, nisi in vnis Hierosolymis & Deuteronomij, & Numeri, & Regum libri declarant. Cultum sui, Deus, vobis redegerat ad victimas; victimas ad certum modum; modum ad tempus & ad vnam ciuitatem contraxit. Ciuitatem hãc ipsam subuertit; vos per totum orbem ad habitandum dispersit; solam Ierosolymam in qua sola licet immolare vobis diruit, vosque ab eius habitatione segregauit; Solas tubas, cum omnia vobis eripuerit, vobis reliquit, quibus Deum & ad iracundiã, & ad extremam cladem vestram euocetis.

Iulianus instaurãs templum Ierosolymit. calitus prohibetur.

Volebat quidem vobis Iulianus apostata gratificari; Sed narrabo prodigium, Iuliani Apostatæ præter alia in Christianos edita crudelitatis facinora, illud imprimis insigne habetur; quod quum Hierosolymã peruenisset, templique vestigia cerneret, quod olim Salomon extruxerat, & Titus postea Romanorum Imperator supremo vrbis excidio solo æquarat, Iulianus ipse in contemptum religionis Christianæ, accersito ad se Antiocheno Philippo mandauit, vt loco perpurgato fundamenta templi iaceret, quod cum priore illo magnificentia, amplitudineq; certaret. Nec interposita mora est. Iacta enim quamprimum sunt fundamenta, architectique & reliqua operariorum multitudo conuocata innumera est. Cæterum quum sibi Iulianus & reliqui mirum in modum, quasi perfecto elaboratoque opere placerent, repente terræ mugitus exauditus, facesque ardentes intra ipsa fundamenta statim exortæ sunt, quæ omnia vno momẽto dissiparunt, quin etiam fabri, earumque ferramenta penitus igne hausta sunt; mox etiam miraculum insigne visum, cruces videlicet in multorũ vestibus enatæ, quæ deleri nulla ratione possent. Sed hæc toti Orbi conspicua.

Quid igitur amplius cæcutietis? Quid velamen super oculos ponitis? *Surdi audite, & cæci intuimini ad videndum.* Hodie si vocẽ eius audieritis, ad vos clamantis, *Reuertimini ad me, ego Deus vester*; nolite obdurare corda vestra; sed venite & adorate, quia ipse est Dominus Deus vester, vos autem populus eius, & oues pascuæ illius: Deum verum Messiam illum esse testatur, terra, aqua, aër, stellæ, orbes cælestes, animantia bruta, gentiles, vestri contribules, paruuli, adolescentes, Virgines, viri, mulieres, iuuenes, senes, cæci, claudi, leprosi, surdi, muti, paralytici, contracti, hydropici, sanguiflui, fabricitantes, energumeni, varijs languoribus afflicti, mortui, dæmones ipsi, ipsi denique Angeli ortum eius celebrantes, Deus ad extremum ipse de cœlis intonans; *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, hortor, moneo, *ipsum audite*: hunc iam natum excipite, non nascendum frustra exspectate. Non veniet amplius ad nascendum, licet veniet ad iudicandum. Et veniet ad iudicandum, non in fragili, sed impassibili carne: non in Bethleemi stabulo recubabit, sed in valle Iosaphat cum gentibus disceptabit, simul & dissipabit. Dicet, *Eos autem qui noluerunt me super se regnare, adducite ad me*: Adducentur Reges vestri *in compedibus, & nobiles*, Principes, Pontifices, qui eum condẽnarunt, *in manicis ferreis*: *Tunc planget terra, familia & familia seorsum, familia Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum, familia domus Nathan seorsum, & mulieres eorum seorsum, familia Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum, familia Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum. Omnes familia reliqua, familia & familia seorsum & mulieres eorum seorsum, plangent planctu magno*: quem si flere non vultis cum flentibus patribus qui *pupugerunt, gaudete cum gaudentibus qui receperunt*, & adorarunt viuentem Agnum in sæcula. Amen.

Matth. 3. Luc. 9.

Psal. 149.

Ezech. 12.



DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem. Luc. 2. c.

CONCIO I.

Si Christus positus est in resurrectionem multorum, quomodo in ruinam?



IN templum Dagonis illatam arcam, non potuit idolum sustinere, quin corrueret. Nota est in historia Regum, res memoranda; Captam illam, cæsis Iudæis, in Ciuitatem suam Azotum portauerunt Philistæi, & apud Dagona Deum suum, quasi trophæum aliquod posuerunt. Sequenti vero die diluculo ingressi delubrũ, vt Deũ solemniter adorarent, inuenerunt illum circa arcam Dei iacentem: iacebat enim euulsus de base sua, in qua statutus esse videbatur, quem denuo eleuantes statuerunt, grauiter de eius casu dolentes. Cumque frequenter reponerent, Dagonẽ deciduum atq; demembratum semper inueniebant, quod ferre non posset Dei repositorium. Quamobrem nihil est mirandum, si Christo Iesu in orbem veniente, ruina magna corruerint, omnia quæ aduersa Saluatori: Namq; ipse natus, *& positus est in ruinam* multorum. Sed forte ambigitis dicentes, si in resurectionem positus est, quomodo in ruinam? Vnicum id hodierna die explicabo.

1. Reg. 5.

Arca & Dagon discordes.

In Prænestinorum ruinis, tabulam quandam, sculptura elegantissima præstantem, refert se reperisse Cœlius Calcagninus Ferrariensis. Cum, inquit, ad dexteram oculos vertissem, sese obtulit tabella admirabili artificis ingenio variegata. Hic mons præruptus & confragosus, cuius verticem planum ac floridum fœmina ornatu regio, multoq; auro insignis tenet: Nec ad eam patet vsquam aditus, tanta est salebrarum immanitas. Ex lateris eius parte astabat Deus, totus oculatus, totus auritus, lupi corio semiamictus; pileolo Laconum more tectus, laneis indutus crepidulis. Huic homines excellentes Sacrum faciebant, non thure, non victima, sed auicula quam nostri turdum putauêre: huius Aræ inscriptum erat, FIDE SATO. Dum vero Sacrum fieret, linguis constanter fauebant. Duæ præterea assistebant matronæ Deo astanti; earum altera tortiles ac multiuagas explicabat catenas; altera quadrato lapide nitens, corollas subtiles complicabat. At magna vis mortalium, postquam liberum rationis adepti essent vsum ore hiulco ad Regiam fœminam inconuenienter aspirabat; multique audacter, magis quam sapienter suis viribus freti nitebantur in sublimia scandere. Verum illos sæuus frustrabatur euentus; Ea enim erat loci conditio & difficultas; vt plurimi in ipsis initijs, alij post diuturnos labores, præcipites ruerent. Qui vero sacrificium litassent, Matrona illa quæ catenas explicabat, lorum, in cuius termino lapis obsidionalis traiectus erat, dimittebat: Hunc Deus ori supplicum inserebat, coarctantesq; illi labia obstringebat. Tum Diua fœmina sensim trahẽs in montem prouehebat, quod si casu illi ora reserassent, ô infortunatos homines, quibus præsens ruina imminebat, & quicquid eousque itineris exantlarant, deperibat. At qui, fortuna meliori suffragante, eo perueniessent, tum demum corona cingebantur, ac magno plausu, è poculo, quod Regia fœmina propinabat, epotabant; perpetuumque æuum, post hac solutum curis, magna cum felicitate transigebant.

Tabula hieroglyphica Cælij Calcagnini.

Quid sub his vmbratilibus figuris adũbretur, cum peruestigarem; nisi fallor, existimo, quia nihil aliud, quam suprema felicitas, ad quam omnes mortales anhelant; Fœmina illa regio cultu, in prærupto mõtis florido vertice cõsistens, hanc mihi designat: quod illa, non in hac valle deuexa miseriarum, sed in apice montis stelliferi, tanquam aliquod delicium montium resideat. Huic Deus comes ab æterno tanquam sponsus intimus: Dei enim vita nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius cogitari potest: Sua etenim essentia, potestate, & maiestate gaudens, semper est tum in maximis, tum in æternis voluptatibus.

Felicitas vbi.

Deo coaterna.

Huic assistentes duæ comites, Misericordiam, & iustitiam significant: Altera earum coronas splendentes ex sideribus plectit; altera catenam gratiæ, in cuius extremo lapis ille pretiosus, nostræ salutis pignus & obses, dimittit, *Nemo enim potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Ad hanc quidem felicitatem, pro naturæ cupidine omnes volentes vel prudentes anhelant; cæterum quia non omnibus fidei religionem qua Deo litandum est indidit; & quibus indidit, non omnes insertum ori lapidem ad finem vsq; continent, sed leui de causa primam fidem amittunt; ideo pauci, & illi tantum excellētibus gratiæ ornati donis: scilicet, illi qui non thure nec victima, sed animo fidei & charitatis aliarumque virtutum pennis deargentatis eleuato, sacrificant, Cœlestem felicitatem adeunt. Hi autem qui vel solius naturæ instinctu, vel fidei solius confessione, tanquam in ore tantum habentes hunc lapidem, factis autem negantes, audacter magis quam sapienter nituntur ad sublimia, cupito frustrantur ascensu: Cœli enim altitudo tanta est, vt nemo ad illud suis fretus viribus pertingat; beatitudinis vero illa est conditio, vt nemo eam sine brachijs charitatis obtineat. Quamobrem illi tantum, qui lapidem Iesum animæ inditum amplectuntur, ad altissimum felicitatis fastigium pertrahuntur. Si vero aliqui Christum ore quidem confessi fuerint, ex corde autem reiecerint, ô infortunatos homines, quibus præsens ruina imminet: Quos enim lapis obsidionalis ad cœlum attollere debebat, hos lapsantes ad infima baratri detrudit. Iam vt arbitror aduertere potuistis, quomodo Christus positus sit in ruinam, qui nihilominus positus est in surrectum: *In ruinam* eorum, qui postquam sibi desuper missum Christum repudiarūt; & quasi ori suo impositum euomuerunt, vel vt Psaltes ait, à suo spirituali ædificio *reprobauerunt*: *In resurrectionem* vero illorum qui eundem casto corde receperunt, & strictis animæ brachijs amplexi, in ipsum viua fide crediderunt, firma fiducia sperauerunt, & constantissima charitate perseuerarunt.

Ioan. 6.

Resurgunt & corruunt, qui.

Psal. 117.

Positus est in ruinam, vt explicabat Cyrillus Alexandrinus, eorum qui impegerūt in lapidem offensionis & petram scandali, incredulitate mentis suæ, & obstinati animi duritia in ipsum credere renuerunt. In resurrectionem vero illorum, qui doctrinam eius amplexi sunt, & mandata seruarunt, per quæ ab imo baratro damnationis ad virtutum culmen, & cœli demum celsitudinem subuecti sunt: Sicut etiam venit in iudicium in hunc mundum; *vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Qui non vident, id est, qui non videre se putant, & quærunt vt videant, interiori lumine illustrentur, & ad fidei veritatisque perducantur cognitionem: simplices enim & humiles, suam confitentes & agnoscentes ignorantiam, à Christo illuminati sunt; *& vt videntes cæci fiant*, id est, vt qui putant se videre, & medicum non quærunt, qui ipsos illuminet, cum in magna cæcitate versentur, permaneant in sua incredulitate & tenebrositate errorum; quales erant superbi Scribæ & Pharisæi, qui sapientes erant in oculis suis, & apud semetipsos prudêntes. Sane vt Paulus ait, *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*

Lib. 6. in Ioan. c. 21.

Videntes non vident, qui?

Ioan. 9.

Rom. 1.

Ad eundem modum exponit Augustinus dicens; Simeon vir Sanctus, & Diuinis oraculis commendatus, per Spiritum sanctum locutus est, quid futurum esset hominibus ex causa Christi, vt ruina esset his qui cum sibi viderentur stare per obseruantiam & peritiam legis; diffidentia tamen operum Christi, caderent desolati à promissione Patrum. Illis autem qui nullius prope dignitatis essent in lege, credentibus vero in Christū, resurrectio in Israel, vt digni Deo fierent, qui prius indigni & inutiles erant, & reprobarentur qui aliquid esse putarentur. Non enim legis Doctores, non Scribæ, non Pharisęi, sed simplices turbæ, ignari piscatores, secuti sunt Christum.

Lib. de quæst. vete. & noui testa. q. 73.

Hi vero Sancti Patres, non ex proprio ingenio protulerunt, ea quæ recensui, sed à Diuo Paulo acceperunt hanc responsionem; Is etenim, dum forte ad hoc Simeonis vaticinium respexisset, menteque conspiceret, quosdam velle perquirere, Quomodo Christus in ruinam, si in resurrectionem?

Verbum crucis virtus & stultitia.

Respondet. *Verbum crucis stultitia & virtus* *1. Cor. 2.*

virtus Dei est. Sed quomodo stultitia, si virtus? vel quomodo virtus, si stultitia? Ne mireris, *Verbum crucis stultitia est, sed pereuntibus: Verbum crucis virtus Dei est*, sed *his qui salui fiunt.* Vides quod Christus quantũ est ex se, causa est *obtemperantibus sibi*, resurrectionis; refractarijs autem occasio non data, sed accepta ruinæ. Morbo affectis hominibus etiam salubres cibi insalubres; latronibus & amici & consanguinei graues, vt sæpenumero non modo non cognoscantur, sed hostes esse censeantur: haud aliter his quorum animæ pereunt, euenire solet; siquidem quæ ad salutem conferunt, ignorant; & qui sui curam suscipiunt, molestos arbitrantur; quod non rerum natura fit, sed illorum morbo: Non ex natura crux ipsa stultitia est, sed pereuntium morbo; neque etiam ex natura sua Christus est ruina, sed sponte cadentium vitio. Vt claros sanosque oculos habentes, à Solis splendore lumen recipiunt, à quo qui lippis oculis sunt offenduntur; sic viri præstantes luce illa Diuina quæ ait, *Ego sum lux mundi*, illuminabantur; qua impij & flagitiosi in maiorem animi cæcitatem, non ex natura luminis, sed oculorum suorum ægritudine incurrebant. Calx viua & Achates lapis, authore Plinio aqua incalescunt, & incenduntur, qua omnia refrigerantur, & humectantur; ita aqua à Christo petra profluente, pij sitim rerum humanarum extinguebant, & animarum refrigerium comparabant, impij vero non natura aquæ, sed malitia & odio inflammabantur. Vt lapis in terra proiectus offendit pedẽ, non natura sua, sed vitio impingẽtis; sic Christus ruina fuit multorum non à se, sed à peccato in eũ offendentis. Quamobrẽ cum ipse Deus pollicebatur se demissurum hunc lapidẽ obsidionalẽ, monebat, *Dominum*, inquit, *exercituum, ipsum sanctificate, ipse erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petrã scandali duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem*: Postquam vero hęc locutus, satis aperte dixit, vnde ruina futura esset cadentibus, scilicet quod non ex ipso: Namq; non dixit, offendet ex eis plurimos, sed ex eis *in eo plurimi offendent*: non dixit, prosternet multos; sed *in eo cadent*, non dixit, contereret aliquos, sed impingentes *contererentur*, vt scilicet innueret, Christum non suapte natura, sed vitio labentium, positum esse in ruinam multorum.

Similia.

Isai. 8.

Et quomodo impelleret in ruinam, qui cadentibus manum supponit, ne collidantur? Quaue ratione prosternet, qui angelis suis mandat de homine, vt in manibus portent illum, ne forte offendat ad lapidem pedem suum? Quomodo causa esset perditionis, qui totius salutis causa? Audiamus quid de illo pronunciarint Sacri viri: Sed inprimis quid ipse Deus per Isaiam Prophetam.

Ecce ego, inquit, *mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum: & in eo delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Quandocunq; lapis iste pertransierit, tollet vos: quoniam mane, diluculo, pertransibit in die & in nocte, & tantummodo sola vexatio, dabit intellectum auditui.* Audis lapidem Iesum, causam esse totius salutis? Namque ille est, qui seipso redemit nos à principe mortis: ille est qui vincula compeditorum disrupit; ille semper pertransiens carcerẽ horrendũ, rapit & tollit captiuam captiuitatẽ.

Isai. 28.

Christus petra salutis.

Diuus etiam Princeps Apostolorum, ab hoc eodem lapide Manali, salutem humanam manare asseruit: *Hic est*, ait, *lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo Salus. Nec enim aliud nomen est sub calo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Respexit D. Petrus, ad illud Diuinum quod de ipso est apud Isaiam, *Ecce*, ait Deus, *seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum. Non clamabit, non accipiet personam, non audietur vox eius foris, non conteret calamum quassatum, & linum fumigans non extinguet, in veritate deducet iudicium. Ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.*

Act. 4.

Explic. loc. Isai. 42.

Summam salutis humanæ complexus est Deus, in hoc elogio Messiæ. *Non clamabit,*

bit, vt à se absterreat, sed voce suaui precabitur, vt alliciat, omnes quos vult saluos fieri: Fecit Iesus, qui & plorauit, & orauit, vt ad se fontem salutis venirent. *Non accepit personam* alicuius: ęque enim gratiam suam communicauit, vt Pastoribus, sic & Magis; vt Marthæ, Magdalenæ, Mariæ, sic & Samaritanæ, Chananeæ, & Syrophænissæ; vt Hebræis, sic & gentilibus. *Linum fumigans* non modo nō extinxit, sed multo magis ignem venit mittere in terram, quo succenderet illos, qui à facie eius conceperant spiritum timoris. *Calamum quassatum*, non modo non contriuit, quinimo nutantes in fide roborauit, & in spe conquassatos solidauit. *In veritate eduxit iudicium*, dum gratis venundatum hominē, redemit sine argento, Principemque tenebrarum harum foras profligauit. Fædere postmodum sempiterno coniunxit Deum cum homine, terram cum cœlis, & cœlestia cum terrenis. Venit saluare, non perdere, illuminare cæcos, non excæcare; educere captiuos, non captiuare liberos; erigere elisos, non allidere erectos; sanare vulneratos, non vulnerare sanos; viuificare occisos, non occidere viuentes, ad cœlos euehere exules, non in spem hæreditatis vocatos in exilium damnare. Quod si aliqui vel damnantur, vel labuntur, vel conteruntur, non vitio Saluatoris fit. *Apud Dominum enim gressus hominis dirigentur, & viam eius volet, cum ceciderit non collidetur, quia Deus supponit manum suam*; sed vel malitia, vel neglectu cadentium hominum. Filius siquidem hominis non venit animas perdere, sed saluare. Salutis humanæ illum cupidum testātur liuores, plagæ, vulnera, corpus lacerum, spinis cruentatū caput, manus clauis perforatæ, latus & cor ipsissimum cuspide dura confossum, sanguis innocuus effusus, anima tradita in mortem, mors ad vltimum & turpissima & acerbissima, quam pro salute animarum libens subiuit. Neglectus autem vel malitiæ humanæ, indices sunt, spreta vocantis beneuolentia, abnegata fides semel iurata; deniq; cathena aurea gratiarum, qua nos trahit ad se, vel disrupta, vel ex ore reiecta, propter q̄ multi nitētes, nō euadunt ad supera, sed turpiter ruunt ad inferiora.

Psal. 36.

Dominatio ab homine.

Ex hac causa ruens ille ad inferos Ratboldus dux Frisonū: Prædicatione VVulfrandi Episcopi, cathena aurea diuinæ gratiæ adhoc adductus erat, vt iam Baptizari deberet: Cum autem iam vnum pedem in lauacro haberet, retrahens se à traha cathena, terraxit alterum, & interrogauit, *Vbi nam plures suorum maiorum essent? in inferno, an in Paradiso?* Et audiens, *plures esse in inferno*, intinctum pedem extrahens: *Satius est*, inquit, *vt plures, quam pauciores sequar.* Tertia die postea apoplexia à Deo correptus interijt, adque inferiores partes descendit. Vides quare? propter cathenam Diuinæ gratiæ, voluntariè à se proiectam.

Sigebert. in chron.

Sed ad calcem sermocinationis, placet expositionem Origenis apponere, qua ratione Christus est in ruinā & resurrectionem: Dicebat Deus; *percutiam*, ait, *& ego sanabo, ego occidam, & ego viuere faciam.* Libenter, inquit Origenes, habeo vt interficiat me Deus, quando enim in me vetus homo est; & viuo adhuc quasi homo, cupio vt in me Deus occidat veterem hominem, & viuificet me ex mortuis: *Primus enim homo de terra terrenus, secūdus homo de cœlo cœlestis: Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Secundum hunc sensum intelligitur & illud, *In iudicium ego veni in mundum istum, vt qui vident cæci fiant & qui non vident, videant.* Habemus in nobis omnes homines & visum & cæcitatem: Adam & videbat, & non videbat: Eua quoque antequā aperirentur oculi eius, vidisse describitur, *Vidit*, inquit, *mulier lignum, quia bonum ad comedendum, & oculis ad videndum, tollens de fructu ligni comedit, & dedit viro suo, & comederunt.* Igitur non erant cæci, sed videbant: Deinde sequitur, *& aperti sunt oculi eorum*; Ergo cęci fuerant; non videbāt, quorum oculi postea sunt aperti. Sed qui bene ante viderant, postquam Domini mandatum prætergressi sunt, cæperunt videre male; & aspectum obedientiæ subripiente delicto, postea perdiderunt. Ego sic intelligo & illud quod dicit Deus, *Quis fecit mutum & surdum? videntem & cæcum? Non ego Dominus?* Est oculus corporis, quo terrena ista conspicimus; oculus secundum sensum carnis de quo scriptura dicit,

Christus in ruinā vitiorū & surrectū virtutū.

1. Cor. 15.

Ian. 9.

Cæcus & vidēs quis.

Genes. 3.

Surdus & audiēs, mutus & loquax quis.

Exod 4.

dicit, *Frustra incedis inflatus sensu carnis*: Cui habemus alium contrarium, meliorē & Diuina sapientem; qui, quia cæcus in nobis erat, venit Iesus vt faceret eum videre, vt qui non videbant, viderent; qui autē videbant, cæci fierent. Iuxta hunc sensum, & hoc quod nūc habemus intelligendum est, *Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum.* Habeo aliquid in me, quod male stat; & peccati superbia erigit; hoc cadat; hoc subruatur. Quod si ceciderit, quod ante rueret; surgens stabit. Interior homo meus quondam iacebat prostratus, & exterior stabat erectus: antequam crederem in Iesum, bonum in me iacebat, malum stabat: Postquam ille venit, tunc quod in me malum fuit, corruit. Huius autem, vtilis ruina facta est. Et de hac ruina dicitur; *vbicunque fuerit cadauer illic congregabuntur aquilæ*: Cadauer quippe, à casu nomen accepit. Vna hæc est ruina, ad quam primo venit Iesus, nec potest facere resurrectionem, nisi ruina præcesserit. Venit ante destruere quod in me malum fuit; vt illo mortificato & destructo, consurgat in me & viuificetur id quod bonum est. Quam ruinam in omnibus nobis vt faciat Christus, sane toto corde percupio: Christus enim ad eum sensum, æque venit in ruinā, sicut in resurrectionē. Hæreticus es & incredulus? Cadat in te hæresis & infidelitas. Contempto Deo, obtemperabas Sathanę? Extirpetur ex te contemptus Dei & obedientia Dæmonis. Peccator eras? Cadat in te peccatum, vt possis dehinc resurgere & dicere, *Si commortui sumus, & conuiuemus.* Si sic cademus, assurgemus ad supremum felicitatis verticem. Virtute lapidis obsidiani Iesu eleuati, qui viuit & regnat in sæcula, Amen.

Luc. 2.

Matt. 24.

CONCIO II.

Ecce hic positus est in ruinam &c.
Luc. 2. cap.

Si Christus absque crimine vixit, quomodo in scandalum?

INTER alia quæsita, quæ à Iobo percōtabatur Deus, est illud vnum non contemnendum. *Quis*, inquit, *demisit lapidem angularem Orbis, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Lapidem angularem intelligit Iesum Saluatorem; quem tum demisit ex alto, quando facta est cum Angelo, vt nuper recolebamus, multitudo militiæ cœlestis exercitus, laudantium & benedicentium Deum, Gloria in excelsis Deo; & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vocat autem illum angularem, quia illum demisit quadratum, perfectum, omnibusque partibus honestatis recte constantem. Quærit itaq; Deus, Quis hunc demisit? ac si aperte diceret: Ego vnicum, quem sine tempore genui, seruandis hominibus cum tempore ostendi, vt in eius vita discerent mortales, diuersis viuendi studijs non discrepare, sed omnibus rationibus conuenire. Quod si talis est Saluator, quomodo itaque in ruinam, & in scandalum positus erat? Id vero vnicum hodierna die aperiemus.

Iob 38.

Christus lapis angularis.

In nostro lapide angulari Christo Iesu vidit Zacharias septenos oculos, *Super lapidem vnum*, inquit, *septem oculi sunt.* Explicabat Gregorius, Nullus vero hominū operationes Sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus mediator Dei & hominum; cuius est idem spiritus qui de Patre ante sæcula procedit, bene ergo dicitur, *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Hunc enim lapidem septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus septiformis gratiæ in operatione retinere: Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum, iuxta distributionem Sancti spiritus accipit; ad habenda vero cuncta eiusdem Spiritus numera nemo pertingit. At vero cōditor noster infirma nostra suscipiens, quia per Diuinitatis suę potentiā simul se habere omnes Sancti spiritus virtutes edocuit, proculdubio in se oculos septem habuit. Inter hos septem, eminebat vnus oculus circumspectionis & prouidentiæ, quo omnes actiones suas circumspiciebat, ne qua esset, quæ vel Patrem offenderet, vel obicem poneret hominibus. Vnde ergo homines de illo scandalizabantur? Si tam Sanctus, tamque circumspectus fuerat in omnibus dictis & factis, quomodo positus fuit in ruinam? in scan-

Oculeus.
Zach. 3.

scandalum? Aio; Christum positum fuisse in scandalum, non à se, sed à vitio carptorum, qui occasionem scandali capiebant à Christi operibus, quæ illi intermittere, nec libebat, nec licebat: Dispungo.

Tamen in ruinā positus, non ex se.

Christus positus fuit in ruinam, non à se: namque *peccatum non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius*: sed à vitio carptorum, qui animo concitati maligno, opera eius sanctissima sugillantes adnitebantur Sanctissimo eius nomini tetram inurere maculam, omnisque memoriæ clarissimū extinguere lumen. Nulla enim est tam insignis virtus, tam illustris, tot tantisque decoranda laudibus, quam perditi homines vitio non inspergant: Corruptum enim à profligatis moribus affectum cum habeāt, quibus feruntur ipsi passionibus, iisdem cæteros efferari arbitrantes, iudicium de rebus corruptum ferunt. Itaq; fit plerumque, vt prudentiam malitiæ, iustitiam crudelitatis, magnitudinem animi superbiæ: fortitudinem, audaciæ, religionem, superstitionis, temperantiam, immanitatis; liberalitatem, effusionis, in summa virtutem quamcunque, sceleris loco habeant & iudicent: Vt enim febrientes, perexigua quadam linearum similitudine in obiecto pariete ductarum decepti, animalia quædam deformia videre se existimant & testantur; sic improbi homines animi ægritudine deprauati, aliorū facta illustria, digna quæ publicis monumentis ad sempiternam posteritatis memoriā mandentur, non tantū despoliant ornamentis, sed etiam atro lapillo notant. Vt lignum in medio fluminis arenæ infixum, altera parte in aquis existente, altera in aëre prostante, videtur obliquum & fractum, cum sit rectum & integrum, non ob ligni fracturam, sed quia oculi illud per aquam respiciunt: sic virtutis actio, omnibus numeris absoluta & recta, ab improbis censetur nefaria & obliqua; non actionis, sed censuræ deprauatæ corruptela: Fallit enim eos iudicium, qui per aquam inuidiæ & malitiæ res inimicorum cernunt, cupientes eam gloriam labefactare & infringere, quam magni viri, recte factis & virtute fuerunt consecuti. Vt conspicillis nigris vtentes, omnia licet pulchra tetra esse credunt; sic malitia tinctum oculum habentes, omnia licet ab omni aliena peccato sint, magnifica, candida, honesta, turpissima tamen & nullo non scelere contaminata iudicant.

Sed carponū malignantium vitio.

Quibus insitum virtutes sugillare.

Similia.

Hos nactus est Christus atroces.

Atroces inimicos Iudæos habebat Christus, qui implacabili odio in ipsum inflammati, cum in eius necem conspirassent, omnia eius consilia, dicta, & facta explorabant, si quid dignum virga censoria inuenirent, & quia oculos velo inuidiæ obuelauerant, ideo & ipsam diuinam eius progeniem, naturam, formam, donorum varietatem, plenitudinem gratiæ, scientiæ lumen, & miranda illa quæ vel dixit, vel operatus est mira, quiddam immane, sacrilegum, blasphemum esse prouulgabant. In Matthæi vel Zachæi domo conuiuans peccatores prehensabat? mox illis potor vini & amicus publicanorum. Magdalenā pedibus prouolutam recipiebat: mox à Simone nasuto audit, si sciret quæ & qualis mulier. Hydrope tumentem vel paralisi solutum aliquem Sabbatho curabat: iam sarcasmis exsibilabatur mordacibus: Non est hic homo à Deo, quia Sabbathum non custodit. Eijciebat dæmonia: iudicio Pharisæorum in Beelzebub principe Dæmoniorum. Diuinitatem miraculis sibi inesse astruebat: & ab Aristarchis blasphemiæ dānabatur. Sic illi scelesti, peruicaces, maligni, omnibus Christi dictis & factis scandalizabantur, propter suam, non Christi peruersitatem: Hæc etenim omnia & singula alia, quibus improbi offendebātur, Sancta, illustria, *iustificata erāt in semetipsa.* De cælo enim propter nostram salutem descendisse, & Diuinitatem humanitati coniunxisse, & Deum hominem gratiæ plenitudine & Spiritus sancti donorum varietate repleri, & Deitatem sibi inexistentē argumentis certissimis demonstrare, prædicare innoxiam viuendi rationē, religiose hominibus causa hominum conuiuere, hospitalitatem nō aspernari, peccatores ad meliorem frugem reducere, diuitibus atque raptoribus cęlum aperire, languidis mederi, allisos erigere, Dæmoniacos liberare, omnia hæc Diuina manu patrata facinora, sempiternis laudibus celebranda, non per calumniam eleuanda erant.

Qui carpebant opera eius.

Iustificata in semetipsa.

Sed quæris, Num Christus tenebatur ab his

ab his operibus & dictionibus abstinere, ex quibus illi occasionem scandali accipiebāt? Minime verò, aut licebat, aut iubebat illi prætermittere, ea quæ ipse ad normam auream voluntatis Diuinæ, pro salute mortalium moliebatur. Cur ego pectus in oratione non percutiā, à quo mihi certa remissio peccatorum, si me ille Pharisæus, iudicat publicanum? Cur ego me à cacabo, quod dicitur, non seiungam, ne scilicet nigrorem ab eius communione cōtraham; si me ille contaminatus indigetat superciliosum? Cur ad domū peccatoris non accedam, cuius animam lucrifacere cogito; si me alter digito improbo carpit? Neque Venus propter Momum formam neglexit; neque tabellam Appelles propter cerdonem pingere contemsit; neque iustitia & sanctitas operum Christi propter Pharisæos omittenda erat. Non omisit ille qui lupanaria intrabat, propter animas à libidine auertendas. Sed ipsum suo iudice ostendo. Vitalis Abbas erat in vrbe Alexandrina, mira aduersum erga peccatores charitate: Prostibula adibat fœminarum; & cum ea quæ impudentiore lasciuia diffluere videbatur, noctem pactus, pretium offerebat: Admissus autem, in aliquo fornicis angulo procumbens deprecando peruigilabat, donec illucesceret dies. Factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra se cogitare, non iam quantum lucrifecisset, sed quantum turpiter viuendo Deū offendisset. Itaque multæ ab eo hoc modo conuersæ, vitam correxêre. Ipse vero peruersa hominum opinione iactatus, quoniam circa lupanaria frequens erat, patienter tollerabat, cum plus vtilitatis ex correctione alieni delicti, caperet, quam ex sua infamia damni. Sed audiamus D. Basilium de scandalo definientem.

A quibus nec licebat Christus abstinere.

Ita Diuus Basilius, scandalum est omne, quod aut ad defectionem quandam veritatis, secundum pietatem ducit; aut prouocationem inducit erroris, aut ædificat ad impieiatem; aut in summa omne quod prohibet mandato Dei obedire vsque ad mortem ipsam: Siquidem igitur, docet Sanctus iste, ipsum iuxta propriam rationem, bonum fuerit quod dicitur aut fit, morbus autem vtentis opere aut sermone, in ipso vsu ipsi induxerit detrimentum: purus est ab omni cōdemnatione scandalum perpessorum, is qui ad fidei ædificationem bonum dixit, & fecit, velut Dominus dixit *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ipsi datum à Patre meo*: multi his verbis ad perniciem vsi sunt, vt scriptum est; *multi discipulorum audito hoc sermone abierunt retrorsum, & non amplius cum eo ambulabant*: multi vero ad salutem ea acceperūt. Petrus enim dum interrogatus esset à Christo, *Num & vos vultis abire*? respondit, *Domine ad quē ibimus? Verba æternæ vitæ habes? & nos cognouimus, & credimus, quod tu es Christus.* Vides Christum nihil curasse scandalum quorundam? Talia enim verba locutus est, quibus sane qui sanam & firmam fidem habebant ædificatione fidei vsi sunt; qui vero infirmam fidem, aut cognitionem habuerunt, propter propriam malitiam ad interitus occasionem, eadem vsurpauerunt, iuxta quod scriptum est de Domino. *Hic positus est in ruinam multorum*, non iuxta suam ipsorum contraietatem ad ipsum; sed iuxta oppositam tenentium sententiam. Quemadmodum etiam Apostolus inquit: *Quibusdam odor vitæ in vitam; quibusdam vero odor mortis in mortem.* Si vero ex propria natura malum fuerit, id quod fit, aut dicitur; is qui fecit ipsum aut dixit, & proprij peccati, & scandali condēnationem habet; etiam si is, propter quem fit scandalum, non perpessus fuerit scandalum. Velut de Petro discimus ad quem dicit Dominus, prohibitis implere ministerium ac dispensationem obedientiæ vsque ad mortem; *Vade retro Sathana, scandalum mihi es*: & inducta causa, paucas in summa proprietates scandali docuit, *quia non sapis ea quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum*, vt hinc nobis cognoscere detur, quod omnis sententia contraria se habens ad sententiam Dei, scandalum est; & ad opus progressa, homicidæ condemnationem habet, iuxta id quod scriptum est ab Osea Propheta, *occultauerunt Sacerdotes viam, occiderunt Sicima, quia impietatem fecerunt in populo*. At vero si id quod dicitur aut fit, iuxta rationem propriam fuerit ex concessis, accipiatur autem in detrimentum, & fiat debi-

Scandalū quando contemnend. lib. 2. de baptis. q. 10.

Ioan. 6.

Luc. 8.

2. Cor. 16.

Quando vitandum.

Matth. 18.

Propter quid.

Scādalum quid.

Osea 6.

debilibus in fide, aut cognitione scandali occasio; is qui fecit, scandali iudicium non effugit; quum Apostolus de talibus, & debilibus non parcentibus, dicat; *Sic autem peccantes in fratres, & verberantes ipsorum conscientiam infirmam, in Christum peccatis.* Quare cum id quod fit propria ratione malum fuerit, & causa fiat scandali; aut etiam quid ex concessis, & in nostra potestate sitis, ei qui debilis est in fide aut cognitione, scandalum fuit, manifestum & ineuitabile habet horrendum illud iudicium à Domino dictum; nempe, *Væ homini illi per quem scandalum venit, expedit ipsi vt suspendatur lapis molaris ad collum eius, & demergatur in profundum maris:* Nam si sacram aliquam ædem subuerti, graue & nefarium, & quouis dignum supplicio existimatur; quanto magis spirituale hoc templum quod Christus sanguine suo mundauit, & adornauit gratia, si ruinam patiatur? quando & homines constet sanctitate, sacris ædibus longe præstare, cum non parietum gratia, sed nostri huius templi, mortem Christus oppetijt. Itaque cum his, quæ secundum mandatum fiunt aut dicũtur à vobis, offendũtur improbi, & ob hac scandalo afficiuntur, velut in Euangelio aliqui propter ea quæ à Domino iuxta voluntatem Patris fiebant ac dicebantur: tũc sane ipsius Domini memoria vobis succurrat, qui discipulis scandalum Pharisæorum ipsi referentibus respondit, *omnes plãtatio, quam non plantauit Pater meus cœlestis, eradicabitur, & in ignem mittetur.*

1. Cor. 8.

Matth. 18.

Oculata animalia quid.

Simile huic est quod dicit D. Gregorius, explicans illud Ezechielis Prophetæ de animalibus sacris, quod erant plena oculis ante & retro. Seruiet hæc doctrina illustrandis septem oculis, qui nostro lapidi Iesu inditi fuerunt, quibus circumspiciebat ne quid admitteret quod esset in ruinam aliorum, neue omitteret etiam ex quibus sciebat esse ruinam aliorum.

Hom. 7. in Ezech.

Corpora, inquit animalium idcirco *plena oculis* describuntur, quia Sanctorum actio ab omni parte circumspecta est: bona desiderabiliter prouidens, mala solerter cauens. Et hoc est laborosius, quia Sanctorum mens semper vehementer inuigilat, ne se ante eorum oculos mala sub bonorũ specie abscondant. Circumspecta ergo est vita Sanctorum, ne sic sit libera, vt superba sit: quia sæpe superbia excedit in verbis, & audiri appetit libertas puritatis. Nec sic sit humilis, vt formidolosa: quia aliquando timor restringit animum, & loqui quæ recta sunt non præsunt, sed tamen in ipsa timida cogitatione humilitatem esse se simulat. Nec sic sit parca, vt tenax sit; quia plerunq; tenacia, parsimonia appetit æstimari, vt iuste ac necessario videatur tenere, quicquid egẽti proximo, misericorditer non vult impendere. Nec sic sit misericors, vt effusa sit: quia nonnunquam effusionem misericordiam esse putat. Nec sic sit libera, vt scandalosa sit. Imperfectum enim bonũ est, quod sic agitur, vt ne quid ei ex alio latere malè surrepat, non attendatur, nisi forte hoc quod sine cuiuspiam scandalo fieri non potest, culpa sit non fecisse. Hoc vero ideo dicimus, vt votum nostræ dilectionis faciamus: quia in nostro bono opere aliquando cauendum est scandalũ proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro authore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens, *Reges terræ à quibus accipiũt tributum, vel censum, à filijs suis an ab alienis?* Cui cum diceretur, *ab alienis*, illico respondit, *ergo liberi sunt filij.* Sed postquam liberum se esse monstrauit, ne fortasse scandalum cuique faceret, subdidit, *Vt autem non scandalizemus eos; vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Qui rursum cum diceret, quia *omne quod in os intrat, non coinquinat hominẽ*, tunc accedentes discipuli dixerunt ei. *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* At ille respondens ait: *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur, Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Ecce magistra veritas ne in quorundam cordibus scandalum gigneretur, quod nõ debuit, tributum dedit. Et rursum quia generari scandalum in quorundam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scãdalo remanere permisit. Ex qua re nobis consi-

Matth. 17.

considerandum est, quia inquantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, vtilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

Vtinam vel nos tam scandalosi vt Saluator noster Iesus: non autem de numero illorum, in quos illud væ execrandum detonatur. *Væ homini per quem scandalum venit.* Hortor & moneo hæc non dederitis, illa vero ne timueritis. Videbit vos aliquis malignus, Diuinissimo Sacramento adgeniculantes, hocque sacro edulio frequenter reficientes? tum deinde sacra sacrificia, summa cum animi submissione, lachrymis & singultibus audientes, & ea ratione hypocritarum vobis titulos effinget? Contempseritis hunc contemptum dicentes. *Mihi adhærere Deo bonum est.* Videbit alius, quod iniurias illatas libenter condonabitis, quod vestra propria pauperibus communicabitis, quod pauperem domo excipietis, mensa dignabimini, vlcera & pannosam eius sorditiem non exhorrueritis, sed omnia pietati & misericordiæ opera in illos exercueritis? Felices vos æstimate, quibus datum est intelligere *super egenum & pauperem.* Nihil curaueritis carpones istos carpaces. Dicite his qui scandalizantur. *Diuinum ego plasma. Deum plastem, me par est imitari.* Vt ille Diuina insignitus circumspectione, licet improbo dente morderetur, scandalum ex virtute sumptum despexit; & vos conuenit inde exortum despicere. Si facitis, & vestro capite Iesu digna opera feceritis, fiet vt vbi ille residet, despiciens suos despectores, & vos assidebitis in sæcula felices, Amen.

CONCIO. III.

Et in signum cui contradicetur.
Luc. 2. cap.

Christus exemplar vitæ.



SOCRATI Philosopho, nullus discipulus, sine speculo. Præcipiebat, vt sedulo formam consulerent, quæ si formosa; non eam scelere deformarent, si deformis; virtutum honestate exornarent. Neque etiam Deo aliquis pæda, nisi cui in corde & animo ille, qui est speculum sine macula, imago totius bonitatis diuinæ, & signaculum virtutum. In hoc enim iste natus est, vt sit signum prothotypon, ad quod se componere habent, omnes felicitatis petaces. Christus itaque exemplar vitæ; quod demonstro.

Socrati nullus pæda sine speculo.

Is vitæ candor, ea morum integritas & compositio, in Saluatore nostro fuit, vt nulla vel ignorantiæ, vel erroris, vel malitiæ, vel minima licet labe aspergi aut insimulari potuerit. Manibus siquidem Diuinis, absque humana opera, cum è sublimi illo Sanctitatis monte, Virgineo scilicet vtero excisus, atque pollice Spiritus sancti exsculptus fuerit: Diuinum vero opus, omnibus numeris absolutum esse, nemo est qui temerario pernegetore; nemo quoque est, qui Christo aliquid aut turpe, aut minus decorum, aut denique sordidum affingere ausit. Ita Deus de illo apud Zachariam Vatem. *Ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum.* Ab hac cælatura, quam insignis character exilijt? Dubio procul, quod talis, quo nulla imago venustior, nulla sublimior, vel inueniri vel cogitari possit: norma, amussis, & lumẽ omnium, ad quam omnes omnium perfectiones conformari debent, & secundum quam, omne à quouis mortali & immortali, rectè, moderatè & cum summa honestate expetendum, & perficiendum est. Namque omnia in eo summa cum dignitate, cum splendore summo, summa cum rectitudine perfecta, tam præstantem illum ostendunt, vt sit velut lapis pretiosissimus, artificio manus Diuinæ exaratus, & omnifaria donorum pulchritudine exornatus, in quo nihil ad perfectionem, nihil ad honestissimam viuendi rationem desideretur.

Zach. 3. Christus speculum Diuina manu cælatum.

Qui cum sit adeo perfectus, rectè positus est in signũ, cui imprimamur, vel quod etiam desiderat à nobis, vt nobis imprimamus. Ita enim ille ad sponsam. *Pone me vt signaculum super cor tuũ, vt signaculum super*

Et signum cui imprimamur, exponitur locus. Cant. 8.

per brachium tuum. Cor nostrum est fons cogitationum, ideoque in scripturis ponitur pro ipsis cogitationibus. Brachium est principium seu instrumentum operationum, ideoque frequenter pro ijsdem vsurpatur. In corde sunt cogitationes, *aiebat Gregorius*, & in brachio operationes. Super cor ergo & super brachium sponsæ dilectus, vt signaculum ponitur: quando in sancta anima quantum ab ea diligatur, & voluntate, & actione exprimitur. Desiderat itaque Christus, vt ponat illum homo signum in corde, & in brachio: scilicet vt & intus in cogitatione, & extra in operatione non alium referat Christianus, quam illum ipsum. *Pone me*, inquit, *vt signaculum.* Quasi diceret. Nihil magis, ego qui character & imago diuinæ substantiæ opto à te, quam vt tu in te meam similitudinem & imaginem, neque alius alterius præter me repræsentes. Quamobrem sicut sigilli figuram ceræ emollitæ inhærere videmus; & sicut à sigillo in cera, vna tantum prouenit figura, quæ scilicet in ipso sigillo sculpta & ab eo expressa est; ita in te mea tantum effigies locum habeat non aliena, & illa eadem mea imago volo ita hæreat menti tuæ, vt potius cor tuum in diuersas scindatur partes, quam ab eo mea similitudo separetur.

Pari ratione desidero, vt me superimprimas brachio tuo, non solum cogitatione mihi semper adsis, sed vt etiam operationibus me tibi esse longe charissimum testeris. Quemadmodum qui literis, aut scriptis suis sigillo fidem facere consueuerunt, secum sigillũ in manu deferunt, ne alij literas falsifacere aut immutare possint, ita à te peto, vt me in operibus tuis tanquam figuram & effigiem imprimas, & ne alius his se admiscere possit, in manu tua me in signum & exemplar tuarum actionum deferto. Ita quidem Christus ad nos, & merito iure.

Natus in exemplar virtutis.

Ad hoc enim *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*, vt videremus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre, qui plenus gratia & veritate, videntes autem vt partim laudaremus benignitatem, partim imitaremur virtutem. Deus Homo similis factus est mihi, vt mihi esset in exemplar virtutis. Ita Lactantius ratiocinatur. Homo sequendus non erat, qui videri poterat. Deus sequendus erat, & videri non poterat. Vt ergo mihi exhiberetur, & qui videretur & qui sequeretur à me, Deus ille, homo factus est. Homo ad perfectum & absolutum virtutis exemplar sufficere non poterat; quod nec omnia quæ ad hoc munus necessaria sunt, plene consequatur, atque multo minus eadem præstare atque opere perficere queat, neque enim mens terrenis inuolucris inclusa, & pondere corporis impedita, aut cõprehendere per se potest, aut capere veritatem, nisi aliunde doceatur, & si maxime possit, summam tamen virtutem capere nequit, & omnibus resistere vitijs, quorum materia in visceribus continetur. Eo fit vt terrenus Doctor perfectus esse non posset. At vero cœlestis, cui scientiam Diuinitas, virtutem immortalitas tribuit, in docendo quoq; sicut in cæteris perfectus, & consummatus sit necesse est. At id fieri omnino non poterat, nisi mortale assumeret corpus. Cur autem non possit fieri, ratio clara est. Nam si venisset ad homines vt Deus, vt omittam, quod mortales oculi claritatem maiestatis eius conspicere atque sustinere non potuissent, ipse certe Deus virtutem docere nõ poterat, quia expers corporis, non faceret quod docuisset; atque per hoc doctrina eius perfecta non esset. Alioqui, si summa virtus est, dolorem patienter pro iustitia officioque perferre; si virtus est, mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere, debebat ergo doctor ille perfectus, & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo. Existeret vero aliquis instans & diceret: Tu quidem non peccas, quia liber ab hoc corpore non concupiscis; quia immortali nihil est necessarium, mihi vero multis rebus opus est, vt tuear hanc vitam. Mortem non times? quia valere in te non potest. Dolorem contemnis? quia nullam vim pati potes. At ego mortalis vtrumque timeo; quia cruciatus mihi grauissimos inferunt, quos tolerare carnis infirmitas non potest. Doctor ergo virtutis, etiam hanc excusa-

Lib. 4 Diuinar. instit.

excusationem voluit hominibus auferre, ne quis quod peccat, necessitati potius ascribat, quam culpæ suæ, vt nihil ab eis qui docendi erant illi opponeretur, vt si forte aliquis ei dixerit. Impossibilia præcipis: responderet, Ecce ipse facio. Si rursum dixerit; Ego carne indutus sum, cuius est peccare proprium? Et ego carnem eandem gero, & tamen peccatum in me non dominatur. Si iterum diceret; non possum pro iustitia nec dolorem ferre, nec mortem, quia fragilis sum: Ecce & in me dolor atque mors habet potestatem, & ea ipsa quæ tu times vinco; vt victorem te faciam doloris ac mortis. Prior vado per ea, quæ sustineri non posse prætendis. Si præcipientem sequi non potes, sequere antecedentem. Deus sum & homo; vt in altero habeas maiestatem, quam reuerearis; in altero exemplum videas, quod imiteris, & meis laboribus, ad simile laboris studium accendaris.

Christus itaque perfectum exemplar virtutis, quia homo nobis in similitudinē carnis peccati factus. An vero se præstiterit talem, in operatione honestatis, facile mihi erit demonstrare, si prius ostendero summam perfectionis Christianæ, in quo consistat.

Christiani opera quæ? Hanc vero copiose complexus est D. Basilius, in quodam sermone, cuius partem recenseo.

Oportet, *inquit Basilius*, Christianum digna cælesti vocatione sapere, & pro dignitate Euangelij Christi conuersari. Oportet Christianum non peruersa mente esse: neque abstrahi à quopiam, à dilectione Dei & memoria voluntatum, ac indiciorū ipsius. Oportet Christianum meliorem in iustificationibus secundum legem esse in omnibus, & neque iurare, neque mentiri. Oportet in humilitate esse perfectum; vt neque progenitorum claritudinis recordetur; neque si quid insigne illi ex natura adsit, aut in corpore, aut in anima, ab hoc efferatur. Oportet in continentia firmitatem, sedulitatem in orationibus, in fraterno amore condolentiam; misericordiam erga egenos, spiritus submissionem, contritionem cordis, in tristitia æqualitatem, in amictu decorem, in congressibus cautelam, sufficientiam in edulijs, in possessione rerum necessariarum nihil superfluum illum seruare & habere.

Non oportet Christianum maledicere, aut contumeliam inferre, aut pugnare, aut vlcisci seipsum, aut malum pro malo reddere, aut irasci. Oportet patientem esse, quicquid tandem perpetiatur; & opportune redarguere iniuriantem; non affectu vlciscendi sui ipsius, sed desiderio corrigendi fratris, secundum mandatum Domini. Non oportet contra absentem fratrem dicere aliquid, scopo calumniandi ipsum, id quod est detractio; etiamsi fuerit verum quod dicitur. Non oportet ridere, aut ridiculos ferre, vel facetias loqui, vel esse vaniloquum, loquendo aliquid, quod neque ad vtilitatem auditoris pertinet, neque ad necessarium & concessum nobis à Deo vsum. Quare etiam operantes studeant, quantum in eis fieri potest, vt cum silentio operentur: & illi quoque bonos moueant sermones, quibus commissum est dispensare sermonem ad fidei ædificationem, vt ne contristetur Spiritus sanctus Dei. Non oportet aliquem ex superuenientibus potestatem habere conueniendi, aut alloquendi, priusquam hi, quibus rerum ac disciplinæ boni ordinis cura commissa est explorent, quomodo placeat peregrinus ille Deo ad communem vtilitatem. Non oportet vino mancipatum esse, neque circa carnes affectu inhærere, & in summa, circa nullum cibum aut potum voluptatem quærere, qui enim decertat, per omnia continens est. Non oportet quenquam sui ipsius esse, sed velut sub Deo traditum, his qui eiusdem animi sunt, in seruitutem, sic & sentire, & facere omnia, vnumquemque vero in proprio ordine. Non oportet murmurare, neque ob angustiam rerum necessariarum, neque ob laborem operum, nec ob illatas ab impijs afflictiones. Non oportet clamorem fieri, neq; alium quendam habitum, aut motum in quo denotatur indignatio, aut abalienatio. Oportet moderari vocem ad necessitatem, detrahentem fratri auersari, mansuetudinem erga omnes habere. Non oportet

aſpere, aut contemptim alicui reſpondere, ſed in omnibus erga quoſcunque reuerentiam exhibere. Non oportet innuere oculis cum doles, aut alio quopiam membri habitu vti, qui commoueat fratrem, aut contemptum detegat. Non oportet gloriari in veſtitu, nam hoc petulantia eſt. Oportet vilibus vti ad neceſſitatem corporis, & nihil ad abundantiam, nam hoc abuſus eſt. Non oportet honorem quærere, aut primas vendicare, ſed omnes ſibi ipſis præferre, melioreſque eſſe cæteros arbitrari. Non oportet abſq; ſubiectione eſſe. Non oportet otioſum edere, ſiquidem operari poteſt: ſed & eum qui circa recte facta ad gloriam Dei occupatus eſt, ſeipſum cogere ad ſtudium operis pro viribus præſtandi. Oportet vnumquemque manere in quo vocatus eſt, & non tranſgredi propriam menſuram. Non oportet per contentionem aut litem alicui facere quippiam, aut inuidere aliorũ profectui ac claritati, aut gaudere ob alicuius defectus & detrimenta; ſed in dilectione Chriſti, contriſtari quidem ac compati ob detrimenta fratris, gaudere vero ob recte facta. Oportet peccantem cum omni miſericordia in timore Dei redarguere, ea intentione vt conuertatur peccans, cum vero qui redarguitur aut increpatur, ſufferre neceſſe eſt, ſuam ipſius agnoſcentem vtilitatem in emendatione. Oportet vnumquemque pro viribus placare eum, qui contra ipſum mali aliquid habet, & ſuper irritationem fratris non finere Solē occidere, ne forte mox inter vtroſq; intercedat, & in die iudicij crimen inexcuſabile relinquat. Non oportet peccatori, qui pœnitentiam egit, malefacta obijcere, ſed ex corde dimittere: & eum qui dicit ſe pœnitentiam egiſſe ob peccatum, neceſſe eſt non ſolum compungi ob peccata, ſed etiā fructus dignos pœnitentiæ facere. Non oportet expectare tempus ad ſuijpſius emendationem, propterea quod de craſtino ſecuri non ſimus; quia multi multo inito conſilio, craſtinum non ſunt conſecuti. Non oportet pecuniæ cupidum eſſe, neque theſauros reponere ad inutilia, & ea quæ non oportet: ſed omnia ſuperflua elargiri pauperibus, & theſauros coaceruare in cœlo. Oportet ad Deum accedentem, inopiam amplecti, & per omnia confixum eſſe timore Dei iuxta quod Dauid orabat. *Confige timore tuo carnes meas*. Hæc ſunt breuiter à Diuo Baſilio mutuata, quæ Chriſti aſſeclam facere oportet, vt ſuo exemplari Chriſto conformetur.

Præiuit Ieſus ad ſummam perfectionē virtutum. Peccatum enim non fecit, neq; dolus inuentus eſt in ore eius. Plenus autem gratiæ & veritatis, nullum opus bonum prætermiſit, quod eſſet in exemplum virtutis. Quapropter aiebat ad ſuos ſequaces. *Exemplum dedi vobis, vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis*. Et Paulus aſſerebat, Deum nihil aliud velle à nobis, niſi conformationem ad hanc ideam totius bonitatis. *Quos*, inquit, *præſciuit & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*, & Diuus Petrus docebat ad hoc fuiſſe paſſum, vt eſſet in exemplum perfectionis. *Chriſtus paſſus eſt*, inquit, *pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*. Reliquit vero conſummatum typum totius honeſtatis. Vis exemplum obedientiæ? dedit, cum ad voluntatem Dei exequendam, de cœlo deſcendit. Vis candorem caſtimoniæ? Oſtendit, cum è caſtiſſima Virgine natus, ab omni labe immaculatam traduxit vitam. Vis moderationem animi? Non clamauit neque vox eius audita eſt foris, *mitis ego*, ait, *& humilis corde*. Vis fortitudinem inuictam? Factus eſt obediens vſque ad mortem. Vis patientiam? Orauit pro ſuis perſecutoribus in cruce diſtentus. Vis humilitatem? dedit nō vnum, natus inter iumenta recubuit, à cæna ſurgens, pedibus diſcipulorum abluendis procubuit; moriens latronibus annumeratus, *humiliauit ſeipſum vſque ad mortem*. *Rom. 8.*

Vis charitatem? *Maiorem hac nemo habet, niſi vt animam ſuam, ponat quis pro amicis ſuis*. An nos Chriſtiani tales? vereor ne---- Demades quidem, Athenienſes tibijs comparare ſolebat: ego vero nos temporarios Chriſtianos. *Ex tibijs ſi linguam detrahas, reliquum inutile erit*, ex nobis iactan- *Demades cōparabat Athenien. tibijs.*

iactantiam Christianitatis si exsuffles, quid porro tandem sumus? Sed abstineo ---- Nomina quidem Christiana audio; Christianos an agnoscam? non habeo. Vnde enim homines credent hominem pessime viuentem, Christianum esse? A loco? At iste in theatris & iniquitatibus cõmoratur, in malignantium concilijs, in hominum conuenticulis perditorum. Ab aspectus forma? Sed talem vident cachinnantem iugiter & dissolutum, velut reclusam meretricem & dimissam. A vestibus? sed talis nihilo melius in scena versantibus compositus est. A sequentibus? At parasitos & assentatores circumducit. A verbis? Sed nihil sanum, aut necessarium, aut vitæ conferens spirituali, sed omnia impudica, inhonesta, scandalosa loquitur. A mensa? Sed hinc maior apparet accusatio. A signis? At ista omnino non facit. An vero à sanctitate vitæ? Sed illa plane perijt. Num vero charitatis causa? At nunquam in eo aliquod vestigium apparet ipsius.

Christiani quidã Tibia.

Narratio de quodã Principe, à professiõne factis discreto.

Sed antequam finio producam vobis pulchrum quoddam factum & dictum. Cum Henricus quidam ad Cardinalatum à Cistercinensium ordine euectus, à Clemente Pontifice legatus in Germaniam mitteretur, vt aduersus Christi hostes, Crucem prædicaret, in comitatu aliquot habebat monachos. Itaque cum iter faceret, ab eis petijt, vt aliquis eorum ad leuandum viæ fastidium aliquid loqueretur, vnde audientium animi fructum aliquem accipere possent. Monachus autem cum inter ipsos vnus esset, quos conuersos appellamus, vix cum difficultate impulsus, vt loquendi munus susciperet ad Cardinalem subridens ait; Cum mortui erimus, id quod non multo post erit, & ad paradisi valuas perducemur, Benedictus Ordinis nostri primus parens, obuius nobis erit, vt in paradisum nos inducat. Cum is te Domine mitratum conspiciet, quia fors ignorabit petet, quis nam sis, & si è numero ipsius monachorum te esse responderis: dicet, monachorum non esse, capitibus cornua gestare. Cæterum postquam tumulta ad hos ornatus excusandos dixeris: vt certior de te fieri possit, regni cœlorum ianitori innuet, vt tibi in terram extenso, stomachum aperiat, & si herbis leguminecque te pastum esse inuenerit, monachum esse credat, atque in paradisum inducat. Quod si deliciatoribus cibis enutritum esse cognoscet, sciat verum non esse monachum. Quid tunc Domine mi dicturi erimus, cum in has difficultates coniectos esse nos videbimus? Hæc quidem ille pro sua simplicitate. Sed nos quid tantum à Christo difformes? nam proculdubio ille vitam nostram examinabit ad suam, & inquiret, Num hæc ego cogitaui? dixi? feci?

Frustra tunc sibi de nomine Christiano blandietur, qui operum Christi ne vestigium quidem in se expressum habebit. Exprimite vos, & hanc cælaturam sculpturæ Diuinæ in vobis efformatæ, si cohæredes regni esse optatis in sæcula, Amen.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS DOMINI IESV.

Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. Luc. 2. c.

CONCIO I.

Si Christus circumcisus est, cur nos non circumcidimur?



PERICLES Atheniensium Princeps interrogatus, quousque amicus futurus amico, amicus scitè respondit. *Ad aram*, interpretor, adusque religionis communionem. Verum quidem est, quod nihil ita conciliat & conseruat amicitias, quam ingenij, & morum similitudo: cæterum quia nihil magis mores similes ingenerat, quam idem religionis institutum; idem religionis institutum erit summum amicitiæ vinculum. Cum enim natura cuique indiderit scintillas, quibus accensus Deum inuestigare, colere, ab eo commoda quæque postulare, & huic pro concessis gratias habere, & ad huius præscriptum vitam accommodare, & ideo nihil ex cultura eius propter quosuis deuinctissimos detrahere, necesse sibi existimauerit; nullo modo illa amicitia consistere potest, quorum in religione difformia sunt studia. Diuersitas

Amicus ad aram quid.

enim religionis, diuersitatem cultus, & disparitas cultus disparitatem præceptorum, & hæc deinceps morum, & hæc demum voluntatum generabit. Quamobrem amicorum ea lex perpetua, in religione concordia. Religio fuit Christo circumcisio, cur itaque nos non circumcidimur? Id erit propositum concionis nostræ.

Verum equidem est, *amicum ad Aram debere esse amico amicum*. Sed Christus non eo animo ad Aram Mosaicam circumcisus est, vt vel illam erigeret, vel hanc obseruãdam præciperet, quinimo vt & Aram legis euerteret, & circumcisionem abrogaret, & ideo nulla nobis necessitas incumbit circumcisionis. Circumciditur Iesus, *vt aiebat Iustinianus*, ea lege quam tulerat, non vt doceret circumcidi, sed vt faceret cessare circumcisionem: vel potius vt veteris quidem & inutilis euelleret anticipationem, nouæ autem & salutaris aperiret potentiam, vt aboleret quidem eam quæ est secundum carnem, produceret autem eam quæ est secundum spiritum; & illius quidem argueret imbecillitatem, huius autem ostenderet fortitudinem. Triplicem causam hinc eruo, cur non debeamus circumcidi. Prima, quia antiquauit eam Christus. Secunda, quia nobilius signum sanctificationis reliquit. Tertia, quia magis salutarem circumcisionem instituit. Expendo singulas.

1. Circũcisio non subeũda, quia antiquata. Primam quidem in hunc modum. Circumcisio (vt ex libro Geneseos clarum est) instituta erat à Deo, tanquam signaculum fidei in Christum venturum, quæ origo est salutis. Sic Abrahamo Deus ipse. *Gen. 17.* *Ego*, inquit, *ponam pactum meum tecum, erisque Pater multarum gentium, nec vocabitur vltra nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamque te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, Regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te, semen tuum post te in generationibus fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Hoc est pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos.* *Namq; instituta fuit in signũ fidei in Christũ venturum.* Q. d. O Abraham, ego agnosco magnam tuam fidem, qua mihi & meo partui ab æterno genito, credidisti exploratam habeo ex multis & euidentibus signis, quæ tu contra spem in spem factis ostendisti, crede non vanas esse spes tuas. *Merces ego tua magna nimis.* Namque ego ero Deus tuus, & seminis tui post te. Deus enim illorũ sum, qui verbis meis fidem constantem dederunt. Per hanc fidem, & tu, & semen tuum, à macula hæreditaria abluentur, & benedictionem atque salutem consequentur. In semine enim tuo, in quod omnes credent & sperabunt, benedicendæ sunt omnes gentes. Propter eandem fidem non vocaberis vltra Abram, sed Arbaham, credulitate enim tua, qua exemplum alijs dedisti, patris credentium titulum assecutus es. At quia homines concreti è corpore, sunt illi qui tuo exemplo credent in Messiam venturum, in his autem à labe originaria concupiscentiam accensam, furorem bacchantem, idololatriæ autem cultum vbique propagatum & fidei radios extinctos apud gentes video: ideo, vt & à contage originali liberentur & à gentibus per fidem secernantur, Sacramenum hoc constitui inter me & te & semen tuum, nempe circumcisionem, quo & ad fidem excitentur, & eandem animo conceptam, signo exteriori testentur. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus quam emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra: eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia, pactum meum irritum fecit.* Circumcisio itaque signaculum fuit fidei in Christum venturum. Neque ista ego in somnis somniaui, sed à Doctore fidei Paulo accepi. Is enim dum quærebat, quomodo Abrahæ fides reputata esset ad iustitiã? inquit, *Non in circumcisione, sed in præputio. Et signum quidem accepit circumcisionis, signaculum fidei iustitiæ quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur* *Rom. 4.*

tetur & illis ad iustitiam, & sit Pater circumcisionis: non ijs tantum qui sunt ex circumcisione, sed & ijs qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius vt esset hæres mundi, sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides; abolita est promissio. Ideo ex fide, vt secundum gratiam, firma sit promissio omni semini. Videtis Paulum, fidei omnia tribuere, non circumcisioni. Scilicet quod fides in Christum venturum, Abrahamo contulit iustitiam; & quod eius fidei signaculum, esset circumcisio. Euincitur hoc exinde, quia ante circumcisionem credidit Deo, *& reputatum est ei ad iustitiam.*

Quæ iustificationis origo. *Heb. 11.* Quamobrem idem S. Paulus, dum catalogum Sanctorum pertexit, fidem & non circumcisionem assignat causam iustificationis eorum: *Fide*, inquit, vberiorem hostiam obtulit Deo Abel, quam Caym, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: & per hanc *testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim habuit testimonium placuisse Deo. Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt nesciens quo iret. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, & vnigenitum offerebat, arbitrans quia & à mortuis suscitare potens est Deus. Vnde eum & in parabolam accepit.*

Enumerat deinde & plures alios Patres veteris instituti, quos non à circumcisione, sed per fidem in Christum venturum Saluator asseuerat, dicens. *Heb. 11.* *Sine fide impossibile est placere Deo*, non sine circumcisione, sine qua & antiquiores illi Mathusalem, Seth, Noë, Iaphet, Iared, & alij; tum deinde & omnes sanctæ Iudæorum feminæ, & in vniuersum totus femineus sexus sanctificatus est. *3. p. q. 70. ar. 1. & 4.* Circumcisio enim erat symbolum iustitiæ, non ipsa iustificatio, quæ tunc ex fide.

Libet hic verba Doctoris Angelici adnectere, in confirmationem eius quod diximus. Circumcisionem fuisse signaculum fidei. Baptismus, *ita ille docet*, dicitur Sacramentum fidei, in quantum scilicet in baptismo fit quædam fidei professio, & per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra, & antiquorum Patrum; secundum illud Apostol. 2. Corinth. 4. *Habentes eundem spiritum fidei, credimus.* Circumcisio autem erat quædam protestatio fidei: vnde dicitur Rom. 4. quod *Abraham accepit circumcisionem tanquam signaculum fidei.* Vnde & per circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Ex quo manifestum est, quod circumcisio fuit præparatoria ad baptismum, & præfiguratiua ipsius; secundum quod antiquis patribus, *omnia in figuram* futuri *contingebant*, vt dicitur. 1. Cor. 10. Et in circumcisione conferebatur quidem gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei & passionis Christi, cuius signum erat circumcisio, ita scilicet quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talē fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis. Iustitia ergo erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. *2. Cor. 4.* *Non antē circumcisio.* *Rom. 4.* *1. Cor. 10.*

Ex his habeo, quod postquam Christus natus, passus, mortuus, resurrexit, sedens ad dexteram Dei, Spiritum sanctum abunde effudit in credentes: tum deinde postquam sanguine suo pretioso maculam tam hæreditariam quam voluntariam abluit, & antidota præsentissima, quæ vi & efficacia sua omne scelus emacularent instituit, atque reliquit, nihil opus habemus circumcisione. *Christo itaque nato & passo abrogata circumcisio.*

Vbi enim veritas illuxit, ad quid vmbræ? Vbi Sol iustitiæ affulsit, suæque gratiæ radijs noctē antecedaneam discussit, quid nobis cum figuris circumcisionis? Vbi *iustitia de cælo prospexit, & veritas de terra orta est*, quid nobis cum signaculo? Nā si circumcisio erat signum fidei in Christū venturum, itaque nato Christo abrogata est. Si præsignabat iustitiam à Christi passione, sanguine & morte manantem, igitur post- *Psal. 84.*

postquam in cruce dixit Christus, consummatum est, salutisque nostræ mysteria iam perfecit, frustranea est circumcisio. Alioqui vt Paulus clamat, *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, qui propterea aduenit, vt Aram Mosaycam euerteret, legis elementa aboleret, finemque legalibus afferret. Euersa Ara Moysis, antiquatis ceremonijs legis, abrogato Sacerdotio Leuitico, non est necesse vt Christum ad aram istam sequamur.

Testantur hoc vel ipsi inuiti Hebræi, quorum morientibus hoc est solenne, vt Christum quem crucifixerunt inuocent, & plerique eorum baptismum postulent Christianum.

2. *Circumcisio non suscipiẽda quia melius signaculum habemus.*

Altera causa est, cur non debemus circumcidi, licet Christus sit circumcisus, quia nobilius signaculum, quo ab infidelibus secernamur atque sanctificemur nobis reliquit Christus. Circumcisio siquidẽ ob eam rem quoque instituta erat, vt per eam Israëlitæ à cæteris nationibus distinguerentur. Sciebat, *inquit Chrysostomus*, Deus prauas mentes Iudæorum futuras: ideo signum circumcisionis quasi frænum quoddam eis imposuit, ne gentibus commiscerentur. Quemadmodum enim vir aliquis prudens & lenis, ancillam habens petulantem, mandata illi dat, ne vnquam extra vestibulum prodeat, neque cum prætereuntibus confabuletur; ita & misericors Dominus circumcisionis signum, carni eorum indidit quasi pedibus vinculum quoddam, vt domesticum habentes signum, non vltra doctrina & conuersatione aliorum opus haberent. Et quemadmoqum si quis seruum suum possidet, nomen eius & figuram sæpe immutat, omniaque facit vt sciatur esse suus, & Dominium suum innotescat, ita & nimirum omnium Dominus, dum populus ex succensa Chaldæorum fornace, & post è durissima Ægypti seruitute abduxisset, & multa mercede sibi in peculium coëmisset, quasi post hac separare eos volens ab alijs hominibus, adiecit literam nomine eius Abram: vt non Abram, sed Abraham, multorum scilicet populorum pater esset atque vocaretur, adiecit, & circumcisionem quo electus eius populus, ab alijs gentibus sequestratum semen cognosceretur, & per fidem quam significabat, & sanctificaretur.

Nobilius signum & sanctificationis & thesserationis imposuit nobis Christus: Sanctificationis quidem baptismatis sacramentum, thesserationis autem Crucem sanctam. Baptismatis tanta præstantia est, vt præter id quod est signaculum, est etiam causa iustificationis animarum. *Baptismi quanta virtus.*

Tanta fidei vis, *inquit Chrysostomus*, tanta est gratiæ exuberantia, & quemadmodum ignis si metallorum terram attigerit, eam quamprimum aurum reddit: sic & longe magis pro luteis aureos eos baptisma facit quos abluerit, cum spiritus Sanctus tanquam ignis in ipsa hora animos nostros ingrediatur, & terrena absumpta similitudine cælestem illam nouã & claram tanquam ex fornace fulgentem afferat. Et quemadmodum, *ait Theophylactus*, argentum Soli obiectum, ex Solis occursu micantes radios in ipsum Solem reflectit: sic & nos baptismo accepto, purgati per spiritum, & huius splendore denique illustrati, fulgorem & ipsi spiritalem quendam ex aduerso remittimus, eandemque imaginem à spiritus gloria in gloriam nostram & claritatem transferimus, & talem inquam imaginem, qualem decens est vt is sortiatur; qui à spiritu Domini nulli rei obnoxio lucem acceperit. Dominus enim ille cum sit, & regium habet splẽdorem, fideles autem omnes baptismi gratia spiritu Sancto opplentur, & illarum est fulgentior anima: quandoquidem & Moyses Dei gloriæ fulgore inspecto, in eius gloriæ imaginem est transformatus: hoc est & ipse Diuinæ gloriæ & splendori participauit. Et sicut scorpij & serpentes, *ait Cyprianus*, qui in sicco præualent, in aquã præcipitati, præualere non possunt, aut sua venena retinere: sic & spiritus nequam, qui scorpij ac serpentes appellantur, & tamen per nos data à Domino potestate calcati, permanere vltra non possunt in hominum corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit spiritus Sanctus habitare.

Est & aliud signaculum thesserationis, quo nos Christus discreuit à cæteris, Crucis

cis viuificæ signum, cuius quidem prædicatio & figuratio, licet sit Iudæis scandalum, Gentibus autem & hæreticis stultitia; tamen nobis credentibus Dei virtus est atque Dei sapientia. Crux spes est Christianorum, *vt celebrabat Chrysostomus*, & mortuorum resurrectio. Crux aduersus dæmones triumphus. Cruce, Christus & eius sequaces infernum debellant. Cruce paradisum, vt claue aperiunt. Per crucem, vt scalam Iacobi beatam, cœlorum ardua conscendunt. Crucem non Iudæi tantum, non masculi tantum, sed omnes promiscuæ gentes, & Iudæi, & Gentiles, & viri, & fœminæ suscipiunt. Reges positis diadematibus crucem adorant. In purpuris eorum crux, in coronis crux, in armis crux, in mensa de thalamo crux. Neque sic regia corona caput eorum ornatur vt Cruce. Ad exemplum regum crucem in toto Orbe inuenies, apud Principes, apud subditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud seruos, apud liberos. Per hanc enim notam separare nos voluit à cæteris Dux noster Christus, qui per crucem nos sibi emit & conciliauit.

Crucis quanta vis.

3. Tertia causa quare nos circumcidimur, quia Christus nouam & magis salutarem circumcisionem ordinauit, spiritualem nimirum. Sed quid ego appello nouam? quam etiam Moyses populo Israëlitico pollicitus à Deo fuerit; ita enim ait. *Si ductus pœnitudine cordis tui, reuersus fueris à malo ad Dominum Deum tuum, & obedieris statutis eius, circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Vtinam & nos meliore hoc chalybe circumcidamus voluntariè, ea quæ in nobis excreuerunt monstra, non membra. An illud non superfluum cordis, quod concupiscit mulierem ad consuescendum cum ea? An illud non superfluum oculi vel pedis, quod scandalizat te? Ne vero & illud non monstrosum caput, quod ambulat in magnis & mirabilibus super se? Iam illi qui lasciuiunt *sicut equus & mulus quibus non est intellectus*, qui vt currunguia animalia rapiunt & effundunt sanguinem; qui linguam suam acuerunt sicut serpentes & venenarunt labia mendacia: qui demum calcitrant vt asini; ventri indulgent vt vrsi; dolo malo agunt vt vulpes; aperto dente mordent vt canes, diductis faucibus lancinant vt leones vel lupi, an non hi monstra non homines? non indigentes spirituali cultro? Oro si quis talis inter vos, abscinde pestilens membrum eiusmodi, & proijce abs te. Si quis es Pygmæus, tamen Atlantis caput attollis; præcide cultro humilitatis elatum hunc verticem, & retorque sub alas tuas. Lynceos in alienis malis habet aliquis oculos, & in suis talpa? Siue deinde si quis videt aliquid ad concupiscendum illud? Si scilicet, oculus tuus scandalizat te? erue eum & proijce abs te. Bonum est tibi luscum ad vitam ingredi, quam oculatum in tenebras detrudi. Si demum, vel manus, vel pes, aut auris, aut lingua, vel amicus, vel quilibet alius, scandalizat & pessundat aliquem? præcide, abijce abs te. *Minus gaudebis, minus dolebis. Circumcidimini circumcisione non manu facta. Deponite secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Ad hanc Aram Sacerdos noster Melchisedech rex iustitiæ litauit, & excrementia membra mentis nostræ demembrauit, imitamini: Si ad altare non manufactum in cælis vos pertingere posse speratis, Amen.

Circumcisio non suscipienda quia spiritualem substituit.

Deut. 30.

Psal. 31.

Allusio ad rationem sacrificationis.

CONCIO II.

Vocatum est nomen eius Iesus. Luc. 2.

Cur eo nomine appellatus Saluator?

MOYSE mortuo, non alius dignus successione præterquam Iosue. Lege etiam Mosaica antiquata, non alius magis dignus Legislator, Dux, & signifer, quam Iesus

Iesus Orbis Saluator. Superior enim est omnibus iuxta carnem assumptam, natura, gratia, dignitate, factis, & beneficiorum quæ in genus humanum contulit magnitudine. Huic nato hodie imponitur nomen, cui geniculat quicquid est sub Deo. Sed cur tale? requiremus.

Delphici templi superscriptio.

Delphico templo, præter illam auream gnome. *Nosce teipsum*, inscripta erat vocula Græca E I, quæ Latinis significat E S. Quid duabus literulis veteres innuerent, in controuersia apud eosdem fuerat. Nec enim fors aut temere, in tali templo, in loco edito, aureis literis insculptum videbatur verbulum, & alij quidem Solis & Lunæ, alij vero aliquorum hominum notam, alij quinarium quo Deum oblectari contendebant, censuerunt. Ammonius cæteris sapientior, thesseram & perfectam appellationem Dei, interpretatus est apud Plutarchum. Dicebat enim: Vnumquemque nostrum huc accedentem, velut salutans Deum compellat, *Nosce teipsum*, inquiens, ideoque illud suprascriptum erat foribus templi. Nos autem vicissim respondentes Deo, E I. Id est, E S dicimus, veram, certam, solamque soli conuenientem ei appellationem, qua esse dicitur, tribuentes. Reuera enim essentiæ nos nequaquam sumus perfecte participes, sed vniuersa mortalis natura in medio ortus & interitus versans, speciem opinionemque obscuram & instabilem sui præbet. Natura quoque illa immortalium spirituum, licet non defluat vt nostra; vt nostra tamen & ortus sui principia, & essentiam suam, non vndequaque perfectam obtinet. Deus autem est esse perfectissimum, cuius nihil præterijt, nihil accessione amplificabitur, sed cumulentissima omnium bonorum affluentia refertum, idem & inuariabile Deificum perseuerat. Quamobrem hac salutatione, E S, summo iure & salutabatur, & appellabatur. Eodem quoque nomine seipsum indigetauit Moysi requirenti, quod nomen eius foret. *Ecce ego*, inquit, *vadam ad filios Israël, & dicam eis, Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi, Quod est nomen eius? Quid dicam eis?* Deus autem, vt innueret ex nomenclatura indita, se non esse de numero vel gentilium Deorum, vel cælestium geniorum, sed qui omnia creata, tum essentia, tum æternitate, tum maiestate, gloria, virtute, omnipotentia, felicitate præcellebat, proprium augustum nomen suum reuelans dixit. EGO SVM QVI SVM. hoc est nomen meum. Sic itaque dices filijs Israël, quando à te nomen meum sciscitati fuerint. QVI EST, misit me ad vos. Itaque Damascenus recte docebat. Principalius, *inquit*, omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus est, QVI EST. Totum enim in seipso comprehendens, velut quoddam pelagus substantiæ indeterminatum & infinitum significat. Cum ergo Saluator noster Deus & homo sit; & ex eo quod Deus, omnes essendi gradus exhibeat, & ex eo quod homo omnium perfectiones contineat, cur hoc nomine Es vel Est, non est cognominatus? Quid ei cum nomine Iesu, quod multi ante illum vsurparunt?

De EI apud Delphici templi fores superscrip.

Est primũ nomẽ Dei.

Factum consulto ab Archangelo, vt non Qui est, sed hoc nomen Iesus Saluatori imponeret. Nomina, vt apud omnes constat, quæ Diuinitus alicui imponuntur, proprietates vel res gestas aut gerendas explicare solent. Sic Adam ab Æden, quod est terra, dictus fuit: quia terrenus vel de terra sumptus esset. Sic Noë à Niah, quod est quies; eo quod quietis author erat. Sic Abraham, à trans vel vltra, quia transiens peregrinus, vel excellens fide omnes multarum gentium Pater foret. Sic Iacob à supplantatione; eo quod fratrem suum in primogenitura, & in benedictione paterna supplantasset. Sic Saluator ille Ægypti; eo quod vniuersam regionem à fame liberasset. Sic omnes alij quicunque à Deo vocante nomina sortiti sunt, & varietate donorum, & rerum gestarum seriem, nominibus proprijs insinuarunt. Non expressisset nomen EST, illud quod Saluatori nostro ex assumptæ humanitatis vinculo atque officio congruens, explicat nomen Iesus.

Quod non expressisset attributa & officia Saluatoris.

Infans

Infans qui hodie agnominatur, futurus erat Orbis Saluator Nomen Est, non innuit Saluatorem. Alioquin & Pater, & Spiritus sanctus essent dicendi Saluatores, & quidem humanitatem assumpsissent, & in vtero virgineo primum concepti, postea in mundum effusi fuissent, tum circumcisi sanguinem fudissent, atque subinde pro nostra salute, mortem atrocem in cruce obijssent; quod aures Catholicorum abhorrent. Quorum enim nomen commune est, communis essentia, commune officium, & operationes communes censentur. Si itaque Patris & Filij & Spiritus sancti commune est nomen Est: & illud tanquam peculiare impositum esset Verbo quando caro factum est; euenisset necessario, quod sicut Filius est mundi redemptor, idem esset & Pater & Spiritus sanctus, vt Filius naturam Adæ accepit, & ex Mariæ aluo prodiens circumcisus, crucifixus occubuit, & illi assumpsissent, orti & passi decessissent, quod absurda & nefaria hæresis est.

Explicata nomina Iesu. Infans hodie nuncupatus Saluator, secundum humanitatem assumptam, tempori, mutationi & passionibus suppositus erat. Nomen Est non innuit talem, sed hunc qui horum expers est. Iesus autem mihi demonstrat Deum hominem factum, qui secundum scripturas, nouem mensibus in vtero materno ad iustam infantuli corporei molem excreuit, & imperante Augusto intempestiuæ noctis silentio natus, statim ab ortu continuis accessionibus adolescebat, infans, puer, adolescens, iuuenis, vir, semper posteriore priores abolente ortus. Vir enim factus erat intereunte iuuene, hic puero, hic infante, & quod heri fuerat, deficiebat orto hodierno, materiæ humanitatis circa vnum illud inuisibile & immotum Dei simulachrum circumagitata atque labascente. Quare secundum naturam assumptam & existebat & decedebat, quousq; tandem mortis præfinitum tempus venit, quo solubilis ille nexus, inter eius animam & corpus ad modicum disruptus est. Quibus vero passionibus, secundum hanc naturam, subiectus non fuit? Quid perpessus non est? Infans in præsepio vagiens frigore hiberno contractus, stridentia membra ad horridum præsepe collidebat. Delatus hodierno die ad Sinagogam, durissimi lapidis cultro vulneratus, postmodum ferro candente ne sanguis efflueret adustus, acerbissimos sensit dolores. Sub cura positus materna, obiurgationes, & quærimonias Iosephi & Mariæ, summa cum patientia audiuit. Cum adoleuit, paupertatem extremam, opprobria, blasphemias, conuitia, detractiones, famem, sitim, molestias, angores, labores immensos subijt. Sanguinem postea morti vicinus sudabat, comprehendebatur, vinciebatur, lancinabatur, inique iudicatus percutiebatur, corona spinea forabatur, ad columnam flagellabatur, Cruci suffixus moriebatur; ita vt Isaias in spiritu contemplatus futuras eius pro nostra salute perpessiones, dixerit. *Vidimus eum virum despectum & nouissimum virorum, virum dolorum & scientem infirmitatem cui non erat aspectus, qui vere languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portauit, & vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra, & sicut ouis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum, & Dominus voluit conterere eum in infirmitate sua, & de angustia sublatus est.* *Isai. 53.* Conteri autem, vulnerari, dolere, liuere, sanguinem stillare, scire dolorem, & infirmitatem, capi, ligari, flagellari, depalmari, terebrari, damnari, in cruce extendi, angi, plorare, exinaniri, Spiritum in manus Dei tradere, nomen Est non designat. Qui enim vere Est, vt Est, impassibilis & immutabilis est.

At hoc salutiferum atque adorandum nomen Iesus, omnia hæc mihi insinuat. Dum enim Iesum nomino, Saluatorem intelligo, qui Deus & homo. Namque Deum & hominem futurum, longe ante Sacra Oracula prædixerunt. Et cætera quidem Christi nomina, maiestatem, gloriam & Diuinitatem eius significant, non autem salutis nostræ principium: hoc nomen

Iesus præter illa omnia, saluationem etiam continet. Præfert enim medelam, redemptionem, peccatorum veniam, gratiam, iustificationem, cœlum apertum & omnia nobis à Christo collata quæ Patribus optata.

Quod eminentius cō uenit Saluatori quā Iosue. Expectabat quidam Patriarcharum, SALVTARE DOMINI. Ad eius vota aspirabat & vniuersa captiua captiuitas animarum. Dati fuerant plurimi Saluatores, Authores scilicet salutis, sed corporalis & temporaneæ. Iesus autem noster Conditor est vtriusque.

1. Anthitesis Iosue & Iesu. Iosue introducens populum in terram promissam, Hebræis contulerat salutem, quæ illis communis cum brutis: Iesus vero noster, illam quæ nobis cum beatis-
2. simis cæli Ciuibus vna est. Iosue concesserat Iudæis vitæ corporeæ vel adiumenta vel ornamenta, opes & diuitias, quæ plerumque sunt incitamenta malorum, curarum fomenta, nutrimentaque ignis æterni: Iesus autem vitæ spiritualis prætiosa dona, inæstimabilis animæ thesauros, & innumerabilia felicitatis bona, secum aduexit, atque inprimis illam incomparabilem Diuinitatis suæ imaginem, ad quam hominem, dum *Verbum caro factum est*, conformauit. Multum est origini humanæ datum, *ait Leo*, quod fecit nos Deus ad imaginem suam, sed reparationi nostræ longe amplius est tributum, quando ipse Deus ~~factus est~~ ad imaginem nostram, & seruili ~~formæ ipse se Domi~~nus aptauit. Contulit deinde nobis, Regale Sacerdotium, Dei amicitiam, necessitudinem cum Angelis, *pacem his qui longe & qui prope*, dignitatem adoptionis, hæreditatem filiorum Dei, splendorem animarum, Cœlorum domicilium, immortalem gloriam, consessum ad dexteram suam, bonorum omnium societatem & participium perenne. Ipse siquidem *fecit nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus*, non super terram quidem, sed in Regno Dei sidereo. Ipse *coronat nos in misericordia & miserationibus*, reponens *coronam pro cinere, pallium pro luctu*, & lætitiam inenarrabilem pro spiritu mæroris. Ipse introducit in tabernacula sua, in quibus *vna dies melior super millia*, tum deinde deducit *in cellam vinariam*, in qua facit accumbere, *super mensam* suam, & *transiens ministrat manna absconditum* deliciarum, & inebriat singulos *ab vbertate domus suæ*. Ipse deinde ex sideribus, quæ manu non præparca spargit, suos illustratos, & melligine dulcedinis quam cor hominis mortalis non gustauit affluenter potatos, *considere facit in cœlestibus* ad suam prope dexteram, quos thesauris inæstimabilibus in æternum diuitat & felicitat.

Et Iosue quidem quæ contulerat in 3.
Hebræos beneficia, subiectiua fortunæ concesserat: Iesus autem in perpetuum duratura, quæ neque ærugo arrodit, nec ti- 4.
nea demolitur, neque ignis edax absumit. Iosue muros Hierichanos vocibus lituórum & Leuitarum; Iesus autem inexpugnabiles inferni portas, vectes ferreos, & præsidia ærea subruit, illumque totius Orbis tyrannum in suo sepeliuit sabulo. Iosue inimicorum visibiles phalangas, ab Hebræorum conspectibus depulit & prostrauit; Iesus autem sæuissi-
mos mortis authores, Beheemothos, Le- 5.
uiathanos, Dracones decem capitum, pede ignito calcauit & contriuit. Sanguis ille, *ait Augustinus*, qui eius erat, qui nullum omnino habuit peccatum, ad remissionem fusus est nostrorum peccatorum, vt quia nos Diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, nos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit. Hac iustitia victus, & hoc vinculo vinctus est fortis, vt vasa eius eriperentur, quæ fuerunt vasa iræ, & in vasa misericordiæ conuerterētur. Et Iosue
quidem quinque illos superbos Reges o- 6.
lim in terra promissa grassantes, è spelunca eductos trucidauit: Iesus autem innumerabiles & insuperabiles Principes tenebrarum, harum ex inferni spelæis extractos & catenis ferreis vinctos in triumphum duxit; atque igni inextinguibili ad-
iudicauit. Iosue stare fecit Solem diei v- 7.
nius spatio; at Iesus Diuinitatis suæ Solem per tot myriadas annorum, super militantem

tem Ecclesiam, splendidius quam Sol collucentem retinuit. Iosue ex Ægypto, per terram inuiam & desertam, populum ad terram introduxit: noster autem Iesus ex idololatriæ & impuræ seruitutis carcere, per salutiferi baptismatis vndam, atq; per Oceanum sanguinis sui, in cœlestem Hierosolymam suos euexit, in qua vita mortis nescia, deliciæ doloris expertes, felicitas miseriæ impermixta. Vbi omnia pacifica, omnia iucunda, omnia pulcherrima, vbi Deus non in vmbra, sed in lumine; non in sanctuario inter aureos, sed in throno splendido inter fulgentissimos Seraphin, facie ad faciem videtur, ad illam conuiuationem & coniunctionem ineffabilem omnes admittens.

Non inuidemus veteribus suos Saluatores, felices à nostro Iesu Principe Pacis & felicitatis æternæ. Et vtinam quidem tanta gratitudine simus erga Saluatorem nostrum, vt quondam Hebræi erga Iosue. Cum enim ille beneficia illa magna populo præstitisset, & morti vicinus in Concionem omnes aduocatos, hortatus esset, vt pro acceptis muneribus Diuinam munificentiam agnoscerent; illumq; vitæ & beneficiorum largitorem diligerent, colerent, præ illo omnes Deos gentium contemnerent, audi quam feruenti animo Iosuanis præceptis se adstringunt: *Absit à nobis vt relinquamus Dominum & seruiamus Dijs alienis. Dominus enim Deus noster; ipse eduxit nos de terra Ægypti, & de domo seruitutis, fecitq; videntibus nobis signa ingentia, & custodiuit nos in via per quam ambulauimus, & in cunctis populis per quos transiuimus, & eiecit vniuersas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ quam nos intrauimus. Seruiemus igitur Domino, quia ipse est Dominus Deus noster, & præceptis eius obediemus.* Maiora nobis quã illis concessit Iesus Saluator beneficia. Tenebamur oppressi abominanda seruitute, in qua tartareæ legiones fonte lumine in animabus nostris extincto, nostrisque oculis ludificatis, nos in palpabiles errorum tenebras abducebant; abductos autem & Cyrceis poculis dementatos in bruta impura demutabant, ex demutatis vero sanguinem & animas, non tantum *filiorum & filiarum quas sacrificauerant sculptilibus Chanaan*, sed etiam nostras proprias hauriebant, nec nostris saturati malis, vllum finem crudæ crudelitati imponere aut volebant, aut permittebant: sed hic naturæ honestate proculcata, animas cultorum suorum ad perennes flammas & indicibiles cruciatus rapiebant. Misertus nostri Iesus Saluator, ab intoleranda ista seruitute nos liberauit, per torrentem cruoris traduxit, in oculis nostris Principem mundi confecit, virtutem conculcandi leonem & Draconem nobis indidit, inque terram melleæ suauitatis Diuinæ introduxit. An amplius tam benefico, ingrati erimus? Lego quendam Draconem fuisse non ingratum erga suum benefactorem, sed narrabo. Ciuitas est in Achaia nomine Patræ, in ea puer Draconem paruulum emerat, magnaque cura eum educauerat, cumque creuisset loquebatur quasi cum intelligente, ludens ac dormiens cum ipso. Cum vero ad ingentem magnitudinem draco peruenisset, in solitudinem à Ciuibus est dimissus. Postea vero cum puer adolescens factus, reuersus à spectaculo quodam, cum aliquibus æqualibus in latrones incidisset, & clamores extulisset, ecce draco præsto fuit; & alios in fugam vertit, alios interemit, ipsum vero saluũ conseruauit. Belluæ gratæ sunt beneficij quod semel acceperunt? pudeat nos, si nos ingrati, tam magni, tam inæstimabilis à Iesu accepti; nos enim ille à latronibus Hierichanis, & à Draconibus infernalibus, eripuit.

Iosue vlt. *Gratitudo populi pro salute Iosuana.* *Draco gratus beneficij.* *Ælian. l. 13.*

Par itaque est, vt nos quoque dicamus. Nolumus amplius cultum, reuerentiam & amorem alteri quam Deo exhibere. Seruiamus Domino Iesu soli, Regi sæculorum immortali & inuisibili, & præceptis eius obediamus, quia ipse est Iesus Saluator mũdi. Sanguinem & animam pro nobis donauit? accipiat & ille nostra omnia, qui nobis hæc omnia communicauit. Ipsi sit gloria, & benedictio in sæcula, Amen.

CONCIO III.

Quod vocatum est ab Angelo. Luc. 2. cap.

De reuerentia Sacri nominis.

Sacrum qui violarit parricida esto.



LEGE perpetua apud Gentiles sanctum fuerat. *Sacrum Sacroue commendatum, qui violarit, dempserit, rapueritq́, parricida esto.* Cum enim cultum Numinis, inter primas partes ponerent, à quibus manat felicitas, rectè, tam seuere animaduertebant in eos, qui verbo aut manu temerassent. Proinde neque à summis viris abstinuerunt, qui se ab iniuria Numinis, non continuerunt. Diagoram enim, Socratem & plerosq; alios, propter sermones irreligiosos morte mulctarunt. Longe maiorem Diuini nominis reuerentiam, præsertim vero quod eius Filio impositum est, requirit Deus. Ad hoc enim dedit ei tale nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum. Itaque parricida esto, qui vel blasphemia, vel peieratione violarit illud, quod vocatum est ab Angelo. De hac reuerentia Sacri nominis, mihi hodiernus sermo.

Quaternarium ne temere effutieris.

Sapientioribus Philosophis, quaternarius numerus adeo sanctus est visus, vt illum temere proloqui, capitale existimarent. Quambrem illud edixerunt. *Quaternarium numerum, ne temere effutieris.* Ridiculum forte an dogma vobis videtur, de hoc Quaternario tam sancte venerando, neque temere efferendo: at ego summam de cultu Diuino Philosophiam, in eo reconditam animaduerto: quam obseruare cum primis necessarium & vtile: negligere autem pestiferum. Si vobis secreta admiranda patefecero, nihil dubito, quin supremam felicitatem nostram ab hoc symbolo Quaternarij propendere omnes constanter adfirmabimus. Dei nomen significat Quaternarius, ea ratione quia fere omnibus, nomen Dei Quadriliterum. Latinis Deus, Græcis Theos; Italis, Idio: Germanis Goth: Polonis & Illyrijs, Bogh; Gallis, Dieu: Hispanis, Dios; Hebræis כדמה Iehouah. Cum itaq; nomen Diuinum quatuor literis exprimatur; vt reuerentiam se illi habere demonstrarent, quaternarij religione tenebantur. Vnde etiam non nisi per quaternarium iurabant dicentes, *iuro ego per sanctum pura tibi mente quaternum. Æterna fontem natura animique parentem.* Nec solum apud Gentiles hæc obseruatio quaternarij, sed etiam apud Hebræos Dei præcipuos cultores. Hi enim nomen illud tetragrammaton Iehoua, ineffabile vocant, nec illud proferre audent, sed vbicunque illud siue exaratum siue exsculptum, repererint, loco eius proferre solent Adonai, vel Eloim. Qua autem reuerentia Summus Pontifex illud idem colebat, non est difficile demonstrare ex Sacra scriptura. Namque illud nec temere vsurpare, nec in vulgus promiscuum efferre audebat, quod aureæ laminæ insculptum, & tiaræ Pontificiæ illigatum, in capite, semel in anno, dum sanctuarium ingrediebatur, summa cum veneratione gestare præcipiebatur. Ita enim Deus ad Moysen. *Facies laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris Sanctum Domino: ligabisq; eam vitta hyacinthina, & erit super Tiaram imminens fronti Pontificis, erit autem lamina semper in fronte eius, vt placatus sit ei Dominus.* Dignum nomen tam excelso cultu. Qui enim singulos & vniuersos maiestate, pulchritudine, & gloria præcellit, iustum est vt à vulgaribus secretus labijs & conspectibus, in maxima veneratione habeatur. Nam si regis terræ ob primam inter homines dignitatem, imago & nomen, ea coluntur reuerentia, vt nomen non sine capitis inflexione audiatur, imago depicta in loco honorifico reponatur, vel auro fusa collotenus gestetur; iure maximo maiori veneratione dignum est, vt persequeretur sanctum Domino quod primas in tota rerum vniuersitate obtinet. Deus enim est Rex Regum & Dominus Dominantium. Monarcha Omnipotens, infinito interuallo post se relin-

Diuini nominis reuerentia apud gentes.

Apud hebræos. Exod. 28.

relinquens omnes Reges terræ. Huius nomen in tanta veneratione apud Gentiles, & Hebræos, quanta etiam in reuerentia apud cælites habeatur, si vultis scire? videte illam visionem quam vidit vel Isaias inter veteres, vel Ioannes inter posteriores Dei Numinis cultores.

Apud cælites. Isai. 6. *Videbam*, inquit ille, *Dominum sedentem in throno alto & eleuato, & seraphini stabant circum ipsum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth, plena est omnis terra gloria eius.* Ioannes autem de alijs refert. *Apoc. 4.* *Vidi* ait, *quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas in circuitu, & intus plena sunt oculis, & requiem non habebant die ac nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, Qui erat, Qui est, & Qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores, ante sedentem in Throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes. Dignus es Domine Deus accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* In tanta reuerentia Diuinum numen & nomen apud superos. Neque in minore apud *Apud inferos.* inferos. Nam propterea, quia humiliauit semetipsum Dominus Iesus vsque ad mortem, dedit ei Deus nomen, quod est super omne nomen, vt in Iesu nomine omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum. Et flectunt sine dubio, quando ad nomen Iesu inuocatum contremiscunt, deque aris, delubris, & idolis, quinimo, & ex corporibus humanis dicto citius exiliunt. Ipso Iesu in terris agente, an non auditæ illæ voces: *Venisti ante tempus torquere nos?* Ipso in cælis regnante, an non visum olim & nunc, quod prædixit. *In nomine meo dæmonia eijcient, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint, non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene habebunt?* Ita & immundi spiritus, & vniuersa natura reueretur Iesu nomen, vt & *Apud vniuersam naturam.* illi diffugiant tanquam flagro igneo percussi, & hæc obtemperet, velut amulæto perfusa. Quinimo & mortem ipsam inexorabilem, scio non semel cessisse, nomini Iesu, quando ab eius pronunciatione, mortuos vitæ reddidit. Superfluus essem, si miraculose excitatos in hoc theatro producerem, vel illos tantum, quos Diui nostri Tutelares Stanislaus, Hyacinthus & Ceslaus, à morte ad vitam reduxerunt.

Quamobrem Deus inter primos indices cultus sui, voluit reuerentiam sui nominis esse secundum, in Decalogo legis. *Non assumes nomen Domini tui in vanum.* Assumitur autem in vanum, & si modis alijs, præcipue tamen iurandi consuetudine, quam nobis quomodo interdicat Sapiens operæ pretium est audire. Monitum aureum recito. *Iurationi ne assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* *Eccles. 23.* *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo; & nominibus Sanctorum ne admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.* Sed quare? *Sicut enim seruus verberatus seu tortus assidue, à liuore non liberatur: sic omnis iurans & nominans, in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans, implebitur iniquitate & non discedet à domo illius plaga. Et si frustrauerit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulauerit, delinquet dupliciter: & si in vacuum iurauerit, non iustificabitur, replebitur enim retributione domus illius.* Multi, ait, casus in iuratione. Et primus ille est irreuerentia sacri nominis: secundus, deliquium ad periuria; tertius ad homicidia plerumque. *Tres casus ex iuratione* In irreuerentiam quid dicam, nisi illud Chrysostomi? Dic mihi, si seruis vestris inter se contendentibus, & sibi fidem non habentibus, diceret conseruus se prius non crediturum quam Regem sponsorem acciperet, nonne summum esset regis dedecus? nonne conseruus ille multa ferret verbera disceretque quod ad alia Rege sit vtendum, non ad huiusmodi? Et contumeliam Dei non existimabitis, Deum in vadimonium vocare? Et Christus quidem nobis *1. reuerētia Sacri nominis.*

tantum

tantum parcit, vt & per proprium caput iurare prohibeat; nos autem putabimus nihil pertinere ad Dei irreuerentiam, vt eum passim trahamus? Nec solum hoc mali habet iuramentum, quod contumeliam infert nomini Diuino, sed & aliud non minus isto malum. Quod autem hoc est? Quod neque volentibus, sæpius possibile est bene iurare. Continuo enim iurans, & voluntarius & inuitus, & ignarus & sciens, & serio & ioco loquens, & ab ira sæpe elatus, & à mutis alijs sæpe peierabat. Catenata sunt ad inuicem hæc peccata, quæ Sathanas mota semel lingua tanquam initio catenæ, vnum ex altero nectit. Saulem videamus bellum gerente contra Philistæos, iurauerat se nihil omnino cum exercitu gustaturum, ante partam victoriam. Aspice nempe qualis hoc iuramento laqueus exoritur. Syluam præteribat exercitus fauum habentem ante faciem, & ingressus transibat loquens. Vidisti quanta vorago? mensa extemporanea, vt & aggressionis facilitas, & suauitas nutrimenti, & latendi spes, in iuramentorum præuaricationem ipsos alliceret. Nam fames, labor, tempus (omnis enim, inquit, terra prandebat) tunc ad præuaricationem impellebant. Fauorem vero aspectus quoque intentionem soluens extrinsecus ipsos inuitabat. Mensæ enim tum iucunditas, tum facilis apparatus, & dephrendendi furti difficultas, omnem sapientiam fallere poterant. Si nempe carnes fuissent, quas elixare & torrere oportebat, non tantum animos allexissent: cum in ipsis ad escam præparandis cessare, & tardare, & capi expectare oportebat: nunc vero nihil erat tale, sed mel solum, vbi occupationis nullius talis opus erat. Sufficiebat autem summum digitum intingentem nutrimenti partem capere & latere. Veruntamen illi cupiditatem continuerunt, nec intra se dixerunt. *Quid autem nobis curæ est? Nunquid enim quisquam nostrum hoc iurauit? ille inconsideratorum pœnas dabit iuramentorum. Quare namque iurabat?* Sed nihil huiusmodi cogitarunt, sed cum multa transibant reuerentia, & cum tot essent ipsos allicientia, disciplinam seruabant, *& transibat populus loquens.*

2. *Lapsus ad peierandū.*

Quid est, *transibat loquens?* Dolorem verbis consolantes, inter se loquebantur.

Quid igitur postquam omnis populus disciplinam seruauit? Num nihil actum est, & seruatum iuramentum? Nec ita quidem seruatum est, sed temeratum. Qualiter autem, & quo modo? statim audietis, vt & omnem artem Diaboli, addiscatis.

Ionathas enim qui non audierat patrem suum iurantem, *extendit summitatem sceptri, quod habebat in manu sua, & intinxit in fauum mellis & conuertit manum suam in os suum, & respexerunt oculi eius.*

Ars diaboli in decipiēdis hominibus.

Vide quem ad periurium impulit, non vnum militum, sed iurantis filium, nec enim periurium tantum patrare volebat, verum & filij cædem componebat: & hoc à longe moliebatur, & naturam ipsam in seipsam diuidere festinabat: & quod olim in Iephte fecerat, hoc & postea facere sperabat. Etenim cum ille Deo pollicitus se primum sibi occursurum, post belli victoriam iugulaturum, in filiæ necem cecidit. Talem nunc malignus Dæmon tragædiam patrare contendebat: ideoque Ionatham ad præuaricationem impulit. Si quis enim multum præuaricatus fuisset legem, nullum magnum fieri malum ipsi videbatur: nunc autem malis insaturatus humanis, nec vnquam nostris expletus miserijs, nihil gloriosum se facere putabat, si cædem molíretur simplicem; sed nisi filij regis morte dexteram pollueret, nihil se magnum facere arbitrabatur. Et quid dico filij cædem? Excogitauit enim sceleratus ille, & hac rursus prophaniorem moliri cædem. Si enim sciens peccasset, & iugulatus fuisset, filij cædes tantum id erat: nunc autem ex ignorantia præuaricans (*nec enim audiuit iuramentum*) deinde interfectus, duplicem patri dolorem effecisset, filium enim, & filium qui nihil peccauerat, immolaturus erat. Sed ad historiæ continuationem eundum est.

3. *A periurio ad cædem venitur, nō simplicem tantum.*

Inquit Saul; *Descendamus post alienigenas, & diripiamus eos,* & Deum Saul interrogauit. *An ascendam post alienigenas, & trades*

trades eos in manus meas? Et non respondit ei in die illa Dominus. Respice benignitatem & mansuetudinem clementissimi Dei. Non enim fulmen immisit, neque terram concussit, sed quod in amicos amici faciunt, quando contumelijs affecti fuerint, hoc & in seruum Dominus fecit. Tacuit, tantum per silentium loquens, & omnem ipsi demonstrans indignationem. Cognouit hoc Saul & dixit: *Adducite omnes tribus populi, & cognoscite, in quo factum est hodie peccatum hoc, quoniam viuit Dominus, qui saluum fecit Israël, quod si responderit contra Ionathan filium meum, morte morietur.* Vidisti temeritatem? Vidit temeratum iuramentum; & secundum adijcit. Hic considera Diaboli malignitatem. Quoniam enim cognoscebat, quod potius iuuenis conspectus, patrem ipso aspectu mitigaret, ideo necissitate secundi iuramentum animum eius præoccupauit, duplici quodam vinculo cohibens ipsum, nec permittens propriæ sententiæ fieri Dominum, sed vndique in illam cædem iniquam impellens. Et nondum apparente qui peccasset, iudicium fecit, & reum nesciens, lata sententia damnauit, & pater factus est filij carnifex, & ante examinationem, damnationis sententiam tulit.

Deus Sauli iratus propter periurium.

Permittit illum secundo iurare.

Sed respice & aliam ex iuramento conflatam contrarietatem, ex ira enim & furore multo, sorti negotium concessit, & sorte deprehenditur Saul & Ionatas. Et dixit Saul. *Iacite sortem inter me & Ionatan*, & iaciunt sortem, & capitur Ionatas, cui dixit. *Annuncia mihi quid fecisti?* Ille rem vt erat narrauit. *Gustans gustaui summitate sceptri parum mellis, & en ego morior.* Quem non inflexissent hæc verba? Considera quantam pœnam deinde Saul sustinuit, cum ipsius viscera diuiderentur, & vtrinque profundum appareret præcipitium. Sed tamen nec ita correctus est, addidit & tertio iurare dicens, *hæc faciat mihi Deus, & hæc adijciat, quoniam morte morieris hodie.* Vides tertium iuramentum? Nec simpliciter tertium, sed cum multa temporis angustia. Non enim simpliciter dixit, quod *morieris*, sed *hodie*. Festinabat enim Diabolus ipsum in hoc parricidium impellere. Propterea nec sententiæ studium adhibere permittit, ne qua ex mora, mali fiat correctio. Et dixit populus ad Saul. *Hæc faciat nobis Deus & hæc addat, si morte morietur, qui fecit salutem magnam Israël. Viuit Dominus, si cadet capillus eius de capite in terram, quia misericordiam fecit in die hac.* Ecce nunc & populus secundum iurauit, & regi contrarium iurauit. Nunc mihi recordamini funiculum à pueris tractum, & disruptum, & trahentes supinos proijcientem. Iurauit Saul neque bis, sed & sæpius, contraria iurauit populus, & iam contendebat, necesse est iam penitus iuramentum scindi, nam hos omnes vere iurasse impossibile est. Nec mihi rei euentum dicas, sed cogita quot mala nascebantur; & quomodo, quæ fuit postea in Ionatan calamitatem & tyrannidem hinc Diabolus struebat. Si enim voluisset Rex resistere, & ad iuramentum procedere, totus restitisset populus, & tyrannis crudelissima facta fuisset, & rursum si voluisset filius propriæ consulens saluti seipsum exercitui dedere, parricida statim fuisset. Vides ergo tyrannidem, & filij cædem, & bellum domesticum, pugnam, iugulationes, cruores, & infinita cadauera ex vno parata iuramento? Si namque bellum oriri accidisset, & Saul iugulatus fuisset, & forsitan etiam Ionatas, & multi militum fuissent trucidiati, non sic tamen iuramenti veritas processisset. Itaque ne consideres hoc, quod non est factum, sed illud considera, quod rei natura hæc fieri cogebat. Numeremus ergo commissa periuria. Temeratum est primum Saulis iuramentum à filio, secundum rursus & tertium ipsius Saulis de filij cæde. Et populus quidem visus est vere iurasse, sed si quis rem diligenter examinet, & hi rursus omnes periurij criminibus obnoxij facti sunt. Saulum enim peierare coëgerunt, patri filium non dedentes. Vides quot homines, tum volentes, tum inuitos, periurio obnoxios vnum fecit iuramentum? Vides quot mala molitum est?

Et tertio.

Addit etiã populus exinde iurare.

Iuramentũ funiculus malorum.

An etiam apud nos talia eueniant ex iurandi consuetudine? Non est necesse recense-

censere. Post iurationes, quanta periuria? post periuria, quantæ ereptiones bonorum? quantæ cædes? sed sustineo mouere —Miseri quod non videant supplicium, sibi à talibus impendens, quod à Zacharia olim visum, inquit enim. *Respexi oculis meis & vidi, & ecce falx volans, longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem.* Cui autem bono hæc falx volans? *Ingredietur*, inquit Deus, *domum iurantis in nomine meo, & dissoluet in medio, & suffodiet lapides & ligna.* Falcis volantis nomine expressit certam & citam damnationem, his, qui iniurij numini; certitudo in falce, tam lata & tam extensa intelligitur. Ensem potest quis effugere: at tam longe lateque porrectam Dei vindictam quis effugiet? Cum autem & alæ adsint, quæ salutis vlterius spes? Cito & certo solet se vlcisci Deus, de his qui temere vsurpant maiestatem sui nominis. An & vos qui tales, non videtis: Non experimini? A periurio partis rebus, succedit ne tertius hæres: Post iuramentum facta cæde; an etiam sanguinarij immunes? Sed narrabo vnum aut alterum, quod periuris accidit olim. Quidam à suo compatre mutuo acceperat argenteum nummum. Reposcenti mutuum, accepisse negabat. Tum creditor, *iura mihi*, inquit, *per sanctum Audomarum quod non acceperis, & ego acquiesco.* Cumque iste manum ad iurandum eleuaret, illico vtroque oculo orbatus, tertio post die expirauit. Duæ quoque sorores, coram Carolo Imperatore, Fratrem Ducem conuenerant, quod eis hæreditatem vsurpasset. Neganti, iuramentum iniunxit Carolus super corpus S. Saluij. Cum peieraret, statim medius crepuit, & sanguine per os, nares & oculos stillante, post duas horas interijt. In Sardinia, Deo ita efficiente, quasdam aquarum scaturigines esse legimus, in quibus si periuri demergerentur, cæcitate admissum facinus luebant: hi autem qui bene iurassent, incolumi fama clarius cernerent: Iuxta Tyanam quoque fons erat Ioui sacer frigidissimus: qui cum cæteris foret innoxius, in peierantibus pustulas liuentes & vomicas faciebat calamitosissimas. In Bitynia iuxta Brieti templum, fons ceremonijs sacer manabat feruentis naturæ; vbi periuri velut vrgente flamma necabantur. Polemarchum quendam quod periurio Corinthorum classem euasisset; fingunt, quoties noctu somnum caperet, à mustelis morsum; ac tandem despondentem animum sibi mortem consciuisse. Apud Indos de periurio conuictus, manuum pedumque digitis & extremis membris priuabatur Apud Ægyptios periurij pœna erat permaxima. Capite enim mulctabantur depræhensi, eo quod duplici tenerentur scelere, vt qui & pietatem in Deos violassent, & fidem in homines. Scythæ per solium regium peierantes, morte mulctant. Sed non possum præterire quod Gandolphi Burgundi vxori contigit peieranti. Erat hæc adulterio commaculata, sed Diuino prodigio declarata. Cum enim probare vellet se innoxiam esse, in frigido fonte demersa manu adiurauit, ne eam sine prodigij specie, si culpam ferret, inde posset leuare. Mira & à Deo res facta fuit, cum à fonte manum tolleret, desiccatam extraxit, non aliter quam si in medijs ignibus eam tenuisset. Ita vltus est Deus peierantem.

Supplicium iurantium. expl. loc. Zach. 5.

Spec. hist. Vinc.

Periuriorum pœna diuersa.

Alex. ab Alex. li. 5. cap. 10.

Cum itaque iuramentum & in maximum Dei contemptum cedat, & periuriorum atque malorum innumerabilium causa sit, tum deinde & temporariam & sempiternam adducat falcem supplicij; per Dei vos maiestatem oro, ne Sacratum Quaternarium temere vsurpaueritis. Sit in primis sermo vester, *est, est, non, non,* prout decet filios veritatis. Sit deinde maior Numinis ratio, quam apud gentes prophanas, prout par est apud filios Dei. Illud demum in mente hæreat: quod Ecclesiasticus insinuauit. *Sicut seruus qui continue flagellatur à cicatrice non liberabitur*, sic iurans & Deum sæpe nominans, à peccato non innocens fiet. Si huius memineritis & Sacrato numini & nomini non iniurij fueritis, falcem volantem effugietis, & Iesum in gloria videbitis, cuius *Nomen sit benedictum in sæcula,*

Amen.

IN

IN FESTO EPIPHANIAE.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam. Matth. 2. cap.

CONCIO I.

Cur Reges vocarit?

Deus dux & baiulus.

AD se reducibus, Deus ipse Dux & baiulus. Vocauerat ex Ægypto ad terram mellifluam, atque adeo ad suum consortium, gentem electam: & talis illi fuit. *Circumduxit eos* vt quidā cecinit, *& docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui, expandit super eos alas suas & portauit in humeris suis, deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.* Pellexerat quoq; ad se, ab extremis terrę, Reges Tharsis, insulæ Arabum, & Saba, & hunc eundē se ijsdem exhibuit, dum stellam Ductricem præmisit: quæ illorum iter dirigeret, inque spelæo sacrato Deum reconditum indicaret. Cur hos vocarit, id vnicum inquiremus.

Et si Oriens noster Iesus, Sol iustitiæ nuncupetur apud Malachiam prophetam, non tamen necessitate naturæ quemadmodum Solis iubar, sed pro arbitrio voluntatis suæ, radios benignitatis diffundit. Ita de illo apud Iobum Eliu. *In manibus*, inquit, *abscondit lucem, & præcipit ei vt rursus adueniat. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.* Cum etenim & Patri coæterno, & Matri temporali æqualis sit, Deus & homo, Verbum caro factum, pro nostra salute, eueniebat necessario, vt pro ratione ministerij salutis, libere lucem vel absconderet, vel reconderet. Itaque abscondebat lucem in manibus: præsertim (vt alia lectio apud D. Gregorium habet) *immanibus*, inhumanis, crudelibus, ad quos venit, & sui eum non receperunt. Rursus vero præcipiebat, vt emicaret ex manibus; præsertim humilibus, amicis, humanioribus: de quibus illud pronunciauit. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Hinc recens natus, occulit ortus suos Doctoribus, & reuelat pastoribus. Stellam producit in Oriente, quam occidui Iudæi non viderent in suo horizonte. Reges barbaros excitat ad sui cognitionem, & domesticos tumentes permittit ire præcipites in perditionem. Faciebat siquidem vt se Deum esse celaret & reuelaret, hominemque assumptum vel proderet, vel illustraret. Christus enim: *vt docet Ambrosius*, est Dei filius, & sempiternus ex patre, & natus ex virgine, quam quasi gigantem Sanctus Propheta describit, eo quod biformis geminæque naturæ, vnus sit consors Diuinitatis & corporis; qui tanquam sponsus procedens de thalamo suo exultauit tanquam gigas ad currendam viam. *Sponsus* animæ secundum verbum, *gigas* terræ, quia vsus nostri officia percurrens, cum Deus semper esset æternus, incarnationis Sacramenta suscepit, non diuiduus sed vnus, quia vtrumque vnus & vnus in vtroque, hoc est vel Diuinitate vel corpore. Hunc & supparem Virginis, secundum susceptionem carnis non negabo, & Creatorem temporis confitebor. Secundum hominem homo natus ex Virgine, sed ante omnia generatus ex patre, qui MATREM CORPORE, VIRTVTE REFERAT PATREM. Vnigenitus in terris, vnigenitus in cœlo. Deus ex Deo, partus ex virgine. Iustitia de patre, virtus de potente, lumen de lumine. Non impar generanti, non potestate discretus, non verbi extensione aut prolatione confusus, aut cum Patre mixtus. Sed vt à patre generationis iure distinctus sit, ipse est frater tuus, sine quo nec cœlestia, nec marina, nec terrena consistunt. *Verbum* patris bonum quod *erat in principio*: habes eius æternitatem, *& erat apud Deum*: habes indiscretam à patre inseparabilemque virtutem, *& Deus erat Verbum*: habes ingenitam eius Diuinitatem. Ipse est quem Pater *genuit ante Luciferum*, vt æternum, *ex vtero*, generauit vt Filium; *ex corde eructauit*, vt Verbum. Ipse est, in quo complacuit Pater. Ipse est Patris brachium; quia creator est omnium. Ipse Patris sapientia; quia ex Dei ore processit. Ipse Patris virtus; quia Diuinitatis in eo

Iob. 36.

Christus pro ratione salutis nostræ se velabat & reuelabat.

Namq; erat Deus & homo.

Lib. de incarnat. Domin Sac. c. 5. & 4

Li. 3. de virginib.

Paraphrases locorum de Diuinitate Filij Dei.

corporaliter habitat plenitudo. Quem pater ita diligit, vt in sinu portet, ad dexteram locet, vt sapientiam dicat, virtutem nouerit. Si igitur virtus Dei Christus, nunquid aliquando sine virtute Deus? Nunquid aliquando sine Filio Pater? Si semper vtique Pater, vtique semper & Filius. Perfecti ergo Patris, perfectus est Filius. Nam qui virtute derogat, ei derogat, cuius est virtus. Inæqualitatem non recipit, perfecta Diuinitas. Diligendus æque vt Pater, quem diligit Pater: & honorificandus æque vt Pater, quem honorificat Pater. Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem, & qui negat Filium, nec Patrem habet. Hæc quantum ad Fidem.

Itaq; causa Diuinitatis astruendæ, per stellam non stellam.

Huic fidei de sua Diuinitate astruendæ & confirmandæ, vocauit Reges, vt impleretur quod prædictum est per prophetam. *Reges Tharsis & insulæ munera afferent, Reges Arabum & Saba dona Deo adducent: Coram illo procident Æthyopes, & inimici eius terram lingent.* Istum paruulum, *ita Ambrosius ad Arrianos*; quem tu quasi vilem, qui infidelis es arbitraris, Magi ex oriente venientes, tam longo spatio sequebantur, & procidentes adorant, & regem appellant, & resurrecturum fatentur, offerentes de thesauris suis, aurum, thus, & myrrham, aurum regi, thus Deo, myrrham defuncto. Aliud enim regis insigne, aliud Diuinæ Sacramentum est potestatis, aliud honor est sepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui, sed reseruet.

Li.2.in Luc.c.de adu. magorum.

Indidem. Hom.6.in Matth.

Sed placet hos indices Diuinitatis Christi, pressius examinare. Et imprimis stella se offert, non stella, sed certissimus radius Solis orientis Iustitiæ, Stellam non stellam, sed virtutem quandam inuisibilẽ in specie sideris, vel figuratam vel occultam, voluit fuisse D. Ambrosius & Chrysostomus. Nec immerito, nam & 1. loco, & 2. cursu, & 3. luce, & 4. apparitione, & 5. occultatione voluntaria, nihil commune visa est habere cum stellis. *Loco.* Nam cætera astra in Cæli conuexo, hæc in aëre voluebatur. *Cursu.* Nam siue Solem, siue Lunam, siue alia sidera dixeris, ab oriente in occidentem omnia ferri videmus: hæc vero à Septentrione in meridiem veniebat. *Luce.* Aliæ stellæ, nocte visuntur: hæc lucente prorsus die ac fulgente Sole quam lucendi vim non modo stella nulla, sed nec ipsa quidem Luna sortita est; quæ licet multo clarius omnibus coruscet astris, continuo tamen ortu Solis hebetatur; & quæ prius illustrabat omnia, sub multo clariore sidere, vix ipsa conspicitur, hæc vero stella ipsos etiam Solis radios proprio quodam præcipuoque fulgore superabat, clarius illis profecto apparens, atq; tanto in eorum lumine magis ipsa resplendens. *Apparitione.* Non erat insuper stella hæc, omnino stella: nunc enim occultabatur omnino, nunc toto prorsus fulgore radiabat, nam vsque ad Palæstinam venientibus Magis, quasi Dux itineris semper apparuit; cum vero Ierosolymam introijssent, sese rursus abscondit. Deinde cum Herodi causam itineris indicassent, eoque relicto pergerent ad puerum adorandum, iterum se illis eadem stella monstrauit. Hoc autem non agit motus sideris, sed virtus quædam plena rationis. Neque etiam proprium illa tunc stella cursum tenebat, sed cum eos videret pergere, ipsa etiam pergebat: cum vero eos stare conspexerat, stabat: ad voluntatem prorsus viatorum & vtilitatem cuncta dispensans. Quid nisi ex arbitrio eius, *qui vocat stellas, & illæ dicunt Adsumus?* quem illa tunc indicabat.

Vocauit Reges, ab Oriente.

Et profecto sicut illa quondam in eremo nubis columna, pro opportunitate rerum, nunc stans loco, nunc progrediens exercitum mouens, index erat certus Dei ductoris; ita & hæc luminis baiula descendens, & inferiorem aëris partem tenens, adque locum tugurioli Bethleemici se voluens, manifestus erat proditor Dei Saluatoris.

Cæterum quod Reges attinet, hos exciuit & adduxit, propter maiestatem Diuinitatis suæ manifestandam & illustrandam. Ita enim per Isaiam ante denunciauit dicens. *Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, ad ornandum locum sacrificationis*

I. Reg. 4.

tua, & locum pedum Domini glorificandum. Namque *In propria* venerat, *& sui eum non receperant*; quia Sacerdotis Mosaici *oculi calliganerant, & videre non poterant*, nocte intempesta orientem Solem iustitiæ Iesum. Oportebat itaque alios, veternum licet dormientes excitare, ad salutandum & adorandum salutare lumen, vt impleretur scriptura prænuncians, *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.*

Recenseamus totius historiæ seriem, & videamus, Qui, Vnde, Quo venerint, Quid egerint, dixerint, obtulerint? non aliud aspiciemus, quam confessionem Diuinitatis absconditæ in paruulo, quam illi voce, gestu, muneribus, profitebantur.

Qui voce, gestu, muneribus, confitentur Iesum esse Deum.

Queris qui venerint? Reges ego agnosco, ortus initia ab Abrahamo Patriarcha, per filium Cethuræ Madan, Madian, & Epha, & deinceps ab Balaamo Prophera ducentes. Reges autem video, non tantum generis nobilitate, sed & amplissimis Imperijs insignes, atque sapientia pręcellentes. Namque totius Arabiæ felicis, & Tharsæorum, & Sabæorum, & Æthiopum, & Persarum, & vastissimi ad Orientem terræ, & Oceani tractus, auri, gemmarum, myrrhæ, thuris, aromatum, serici, byssi, purpuræ, camelorum, dromedariorum, & quicquid siue ad cultum corporis, siue ad vitam vel seruandam vel tuendam spectat feracium regionum Principatum administrabant; sapientia, prudentia, rerum gerendarum peritia, tum ex vsu assiduo, tum ex scientia astrorum, tum deinde ex traditione secretioris doctrinæ, vere Magi, id est, Sapientes. Isti nobilitate, potentia, dignitate, diuitijs & splendore præsignes, quod non tanta sublimitate elati, sed suæ dignitatis obliti, à tam longinquis regionibus venerint, magnæ Diuinitati in quæ puero vocante latebat, magnum argumentum dederunt. Cum & enim Stellam ab Atauo suo prędictam aspexissent, & à multo sidere Principem Orbis natum esse intellexissent, nihil cunctati, itineri longissimo & periculosissimo se dederunt. Non dixerunt vt superbus Pharao, *Quis est Dominus, vt eum agnoscamus? apud Gentem seruituti natam inquiramus? nostra capita illi inflectamus?* Sed cum clarum eis ostendisset astrum, quod plurimum ab his quæ spectamus sideribus discrepabat, aduocarunt præfectos domorum, qui itineri necessaria festinato pararent, dromedarios & camelos muneribus onerarent, comitatum instruerent atque ornarent. Sicque Regnis vastissimis relictis, ad iter processerũt. Quid nisi Numine impellente?

Sed interim vide; quo venerint? Ad Bethleemi oppidum, in Iudaica tribu minimum. Quod enim regem in regia residentem Ierosolyma non adorant Herodem, sed alium alicubi, obscurum & ipsis Iudæis ignotum quærunt, nonnisi Diuinitatis in puero absconditæ opus est, quæ tanto magis se exerit ab incunabilis Dei, quanto illa magis sordida. Cum enim Ductrice Stella ad antrum venissent Bethleemicum, quid in eo inueniunt? Quem splendorem? quam Regiam maiestatem? Nullum vtique, pro palatio, stabulum; pro peristromatis & auleis; blattas & tineas; pro maiestate illustri, humilitatem putentem. Intrauerunt modicam specum, cuius dorso maxima incumbit rupes, vndique saxis pendentibus & latera eius cingentibus, & in ea inuenerunt animalium multitudinem ad præsepia procumbentem, atque Virginem Mariam decoram quidem aspectu, verecundam facie, sed tremulam & pauperem sedentem in angulo, inter duo iumenta. Macti virtute. Hunccine Regem putatis natum?

Ita sane illi Diuino radio à sidere icti, existimabant, in medio duûm animalium esse requirendum eum, qui in cœlis premit dorsa Cherubinorum. Vident itaque infantulum tepido inuolutum amictu, super stramine in præsepi reconditum, anhelo flatu mitium iumentorum calefactum. Hiccine Rex Israëlis, cui merito vestra supponatis colla?

Ita plane illi credebant, & confitebantur. Non illis sordet stabulum, non olent olenticeta, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, non matris extrema inopia, non comitatu iumento-

mentorum. Non dicunt. Si iste Rex est, vbi Regius thronus? vbi Regiæ cunæ? vbi auro & ostro nitentes fasciæ? vbi margaritis distincta puluinaria? vbi ancillarum, nutricumque sedulitas? Hic nonnisi tugurium vile, præsepe vix dignum iumento, duas pecudes & vnum senem, vnamque virgunculam videmus. Hæccine est regalis pompa? hæc origo imperij? Nihil horum loquuntur, sed in humili infante, Magnum gigantem occultum; in homine, Deum, in paupere Regem Regum cernentes, ab eius insolito splendore perculsi, in genua *procidentes adorauerunt eum*, nisi fallor dicentes. *O Diua Diuarum Virgo, quæ sola, sola, antequam mundi moles consurgeret, multis de millibus electa es, aurora, Luna, Sol, vt Solem stella proferres, & Solem Sole amicires, ecce nos hic ab Æthiopum terris, Duce stella ducti, adsumus, Regi Regum Immortali Soli, Deo honorem, gloriam, imperium deferentes. Eia serenissima Orbis Regina, misericordes vultus Misericordiæ, nobis ostende, Filium quem enixa es ostende.* Silebat Virgo pudica. Quid enim faceret? Mentiri non poterat: prodere non audebat. Instabant acrius Reges, pacis, amoris, & reuerentiæ signa præferentes. Proditur itaque aspectibus decorus infans, atque è præsepio à Matre eleuatur. Magnum & stupendum Diuinitatis argumentum. Fremunt cuncti viso puero, & diademate deposito ad pedes pusionis prosternuntur. Prædixerat hoc olim Psalmographus, cum illorum prophetaret aduentum. *Reges,* inquit, *terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum. Ipsi videntes sic admirati sunt, commoti sunt, conturbati sunt, tremor apprehendit eos.* Reges iacent purpurati, ad puellæ & puelli abiecti pedes, & pannosum infantem Regia celsitudo pauescit. Quid facitis ô Magi? Lactantem puerum in tugurio vili, in vilibus pannis adoratis? Ergone Deus est iste? Deus certe in templo sancto suo, & vos illum quæritis in stabulo? Deus, in cælo sedes eius, & vos eum requiritis in matris gremio? Venimus, *inquiunt*, adorare in loco vbi steterunt pedes eius: pellecti nimirum splendore & maiestate eius; qui paruulus licet iacet in præsepio, tamen immensus regnat in cælo; vilis in pannis, pretiosus in stellis; putido habitu brutorum calefactus in stabulo, adorato suffitu Angelorum recreatur in excelso solio.

Ad partum Virginis adorandum (ita Concionabatur August.) Magi ab Oriente venerunt. magnum Sacramentum. In præsepio iacebat, & Magos ab Oriente ducebat. Abscondebatur in stabulo, & agnoscebatur in cœlo, vt agnitus in cælo, manifestaretur in stabulo, vt qui in aperto cœlo signis sidereis monstrabatur magnus, in angusto diuersorio quæsitus inueniretur inualidus, infantilibus in membris natus, infantilibusque pannis inuolutus, adoraretur à Magis, timeretur à malis.

Iam vero munera quæ obtulerant, Maiestatis confitendæ satis clarissima indicia fuerunt. Aurum dederunt vt Regi Regum & Domino Dominantium. Sabæum thus incenderunt, vt Mystæ Mystarum, Sacerdoti Deo, secundum ordinem Melchisedech. Myrrham Arabæam effuderunt, vt soli immortali & incorruptibili Deo. Omnia in summa, & voces, & gestus, & munera; nonnisi astruendæ & confirendæ Diuinitati Iesu nata, cuius regi gratia illos, vt quærebamus, ab extremis terræ vocauit.

Vtinam & nos quoque humilitatem istorum imitemur. Illustramur quidem scintillantibus diuinæ gratiæ radijs, & tanquam aliquo sidere excitamur ad Iesum quærendum: faxit vt vocanti Deo obedientes, egrediamur de terra Natiuitatis nostræ, ad illum requirendum. Scitis quid maxime displiceat Deo? neglectus veniendi, cum vocamur. Iste tantopere Deum proritat, vt ferre nequeat, quin sæpe vocatos castiget. Narrabo in exemplum vnum. Natolius quidam ab Asclepiodoro & Theodoro mensario persuasus, denarios 150. menstruo tempore acceperat, vt hæresis huius vocaretur Episcopus. Illis itaque coniunctus, per visiones à Domino ad fidem, & ad pœnitentiam vocabatur. Quibus cum negligentius attenderet, tandem ab Angelo quoque flagris

Natolij supplicium ab Angelo. Euseb. li. 5. cap. 28.

gris cæsus est. Mane ergo cum multis lachrymis, cinere & cilicio, ante Zephyrinum Episcopum procidens, ostensis etiam vibicibus, vix tandem ab Ecclesia receptus est. Sic abominatur Deus contemptum veniendi. Surgamus nos & accedamus post ductum vocantis.

Videmur quidem ipsum manibus nostris inquirere, at vereor ne, *nocte contra eum*, vt est in Psalmo. Et Reges quidem vbi stabulum ingressi sunt, animo expauescentes, oculis fixis, Deum vbinam decumberet scrutati sunt, quem statim ac in præsepio conspexerunt, in terram prostrati adorauerunt: nos templum ingressi, risu & lasciuia dissoluti, vbi nam Dei pedum locus, nihil omnino cogitantes. Quam verecunde & reuerenter nos habeamus? clarum est. Patres Gentium capita inclinant, & Filij erigunt ceruices? Imperatores Orbis genua prosternunt; & villæ rustici terga vertunt? Angeli exhorrescunt, & vilis homicidio superbit? Quærite Dominum in isto loco Sancto eius, sed cum humilitate, sed in toto corde, sed cum muneribus, offerentes ei odoratam orationem, mortificatos affectus, auream charitatem; si facimus gratiam hic obtinebimus, & in futuro gloriam à Domino gloriæ qui regnat in secula. Amen.

CONCIO II.

Ecce Magi ab Oriente venerunt.
Matth. 2. cap.

De Gentilium vocatione & Iudæorum reprobatione.

NOn minus mirabilis, quam *terribilis Deus in consilijs super filios hominum.* Sicut enim in administratione Orbis, ponit deserta in stagna, & rupes in fontes aquarum: maria quoque & flumina demutat in aridam: sic & in gubernatione animarum hos eleuat, hos deprimit, illos à se abijcit, illos alios ad se allicit, vocat & trahit, & qui prius cœlum tangere videbantur, nutriti in croceis, deponit potentes de sede & in stercore collocat. *Suscitat deinde à terra inopem, & de stercore erigit pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat.* Fecit hodie, dum populum olim dilectum repudiauit, & eum qui non populus eius dicebatur, misericorditer accersiuit. Sed quare? In id præcipue inquiremus.

Deus terribilis super homines.

Psal. 112.

Prodigiorum opifex Deus, inter alia stupenda quæ operatus est voluit prostare gemellorum Pharez & Zaræ genituram. Instante partu, cum apparuissent gemini in vtero, *in ipsa effusione partus*, prodidit historia, *infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egreditur prior. Illo vero retrahente manum, egressus est alter. Dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria? & propter hanc causam vocauit nomen eius Pharez. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara.* Miranda hæc natiuitas, ordinem naturæ superare mihi visa est: quam cum obstetrix vidisset ordinemque Diuinæ prædestinationis comprehendere nequiuisset, nouitate facti obstupefacta exclamauit: Quare diuisa est propter te sæpes? Quid hic noui conspicio? Quod secretum absconditum? At illud longe admirabilius est, quod sub isto ænigmate adumbratum mirabilis in consilijs Deus hodie patrauit.

In Pharez & Zara genitura.

Parturiebantur illi duo filij, seu duo populi, ab vna originatione Adami. Iudaicus nempe & Gentilis. Sed generationem eius quis enarrabit? Quis prodigiosæ natiuitatis huius secreta cognoscet? Primogenitorum ius vendicabat sibi populus Israëlis Zara Oriens, quem sibi Deus fœdere sempiterno tanquam funiculo coccineo illigauerat. Sed ô infelicem, retraxit manum Deo nato obstetricanti. Nascitur Christus, & Hierosolyma turbatur, & qui prius votis ardentissimis venturum exoptabant, veniente illo & radios Diuinitatis exercente, terga vertunt. Illi autem, qui tanquam in vtero infantiæ conclusi, cæca tenebrarum caligine tenebantur, præuertentes ab vmbilico idololatriæ exilierunt, *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam quærentes, vbi*

In Iudæorũ reprobatione & gentilium vocatione.

Matth. 2.

Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Quem eum in Bethleemi stabulo inuenerunt, *procidentes*, in terram, *adorauerunt eum, & obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham*: neque hæc tantum, sed & seipsos, Regna, populos, nos omnes Christo dediderunt.

Dum hanc gentilitatis generationem Paulus aspiceret, velut illa Thamaris obstetrix, exclamauit dicens. *Quid*, inquit, *dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam, Israël vero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit?* Quare? Quid est hoc? Quæ ratio, quod illi *quorum est adoptio filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium & promissa, cuius Patres ex quibus est Christus secundum carnem*, ab his omnibus deciderunt; ille vero populus qui à lege Dei auersus, in omni sordium genere impurissime volutabatur ad gratiam, Sacramenta, Sacerdotium, Regnum & gloriam sempiternam adducitur?

Respondet Paulus & causam assignat. *Quia non ex fide.* Quid est quod *non ex fide*? Voluit dicere. Primogeniorum iure vendicabat quidem sibi hæc omnia, populus ille electionis. Namque is ipse primo dederat manus suas Deo: at quia fidem spōsam non seruarunt, *lingua sua mētiti sunt Deo, auerterunt se & non seruauerunt pactum, quemadmodum Patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum*, ideo Deus spreuit eos. Quid enim illi Deo non fecerunt? Et nunc quidem irritabant eum in adinuentionibus suis; nunc prouocabant eum ad aquas contradictionis; alias commiscebantur gentibus interdictis, & discebant opera eorum, atque sculptilibus illarum seruiebant; nunc vitulum conflatilem adorabant; nunc initiabantur in Beelphegor & sacrificia comedebant mortuorum; alias naturæ viscera perrumpebant, & sanguinem innocentem filiorum & filiarum suarum quas sacrificauerant sculptilibus Chanaan fundebant: alias Reginæ cœli & militiæ Dæmonum, placentas & liba dulcia offerebant, modo post Baalim vtroque pede claudicant, vel

Iudæos reprobanti propter infidelitatē.

Molochi aut Astharres sacra celebrant, vel Adonidem deplorabant; vel excelsa erigebant. Quis numerare sufficiet Principes Israëlis, qui Deum ad iracundiam concitantes sua terga ad Deum vertebant? Quis Roboamos, Ieroboamos, Asas, Baasas, Achabos, Iezabeles, & alios sexcentos Reges & Duces? Quis infinitam populi multitudinem, sub Ducibus, Iudicibus, Regibus, Sacerdotibus, sub Principibus Dei fœdera infidelitate violantem percensere queat? Quoties Deus vociferatus est ad eos, Relinquite Deos alienos; nolite sequi idola gentium; seruite mihi soli totis conatibus vestris. At illi quid? Audite quid de eis Deus. *Expandi*, ait, *manus tuas tota die ad populum non credentem, qui graditur in via non bona, post cogitationes suas: populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis & sacrificant super lateres: qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, & ius prophanum in vasis eorum. Ipsi & Reges eorum*, ait Hieremias, *& Principes, Sacerdotes, & Prophetæ eorum ligno dixerunt, Pater meus es tu, & lapidi, Tu me genuisti.* Quoties exacerbauerunt Deum in cordibus suis, auerterunt se & non seruauerunt pactum? Quod si aliquando alias, sed magis tunc infideles fuerunt Deo atque rebelles numini, quando Deus assumpta carne humana inter illos visus & conuersatus est. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, populus autem meus*, inquit Deus, *me non cognouit.* Turtur, miluus & ciconia cognouerunt tempus aduentus sui, Israël autem noluit intelligere. In propria venit, & sui eum non receperunt, cui neque locum in diuersorio concedere voluerunt. Hæc itaque causa est, propter quam Iudæos reprobauit. *Quia non ex fide*, quia scilicet vinculum illud fidei coccineum, quo Deo colligati fuerant ruperunt, & manus desponsas à luce vera in matricem Synagogæ retraxerunt, neque in Iesum natum verum Messiam credere voluerunt. Dicis? *Fracti sunt? Bene, propter infidelitatem suam fracti sunt.*

Isai. 65.

Raha-

Allusiones. Rahabæ parturientis domicilium signarat eodem coccino Deus, tunc quando stellam pronubam, misit ad Orientales Reges, vt sibi ex eis filios adoptionis progigneret. Satis feliciter. Cum enim primum dixisset, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*, non multum morati, statim exilierunt, Deoque manus vinciendas porrexerunt. *Ecce ego*, ait Deus, *ad gentem quæ nesciebat me, & quæ non inuocabat nomen meum*, & illico, *quæsierunt me*, inquit, *qui ante non interrogabant, inuenerunt, qui non quæsierunt me* *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* Non oportebat Deo tot ante oculos eorum mirabilia, quanta coram Iudæis patrare, non inimicos submergere in mari, non nube aut ignea columna protegere, non petras vertere in flumina, non panem de cœlis rorare, non coturnicibus pluere, non Amalechitas manu protensa sternere, non muros clangoribus lituorum subruere, non fulgoribus oculos eorum perstringere, non tabernaculi, sanctuarij, altaris, arcæ, candelabri, rationalis, thyaræ, Cherubinis obiectis ad maiestatis æstimationem excitare. Sufficiebat insusurrasse in aurem, iuxta quod est prædictum ab Isaia. *Et erit in die illa, Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & Api quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuersis foraminibus.* Sibilauit itaque his qui à longe, & verba susurri eius cum primum audierunt, exaudierunt. *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi*, ait Deus, *in auditu auris obediuit mihi*, mihique soli obsecutus est: Aptè, per hæc duo insecta, populus gentilis designatus est. Muscæ de limo vel aëre corrupto nascuntur, inquietissimæ, inordinatè volantes, in oculos & faciem hominis irruentes, non permittentes hominem quiescere; dum abiguntur, iterum irruunt, dum expulsæ fuerint, iterum redeunt. Tales olim gentiles, in cæno voluptatum volutati, inquieti, inordinati, importuni, Deo odibiles, nullibi in recto perannantes, hac atque illac prout appetitus ferebat volaces, atque ad impietatem & improbitatem semper reduces. Apes mordaces; mellis tamen feraces, pollicebantur de se gentiles, quod licet olim odio maximo in Deum exarserint, & non nemini Sanctorum aculeum infixerint, capaces se fore vitalis alimoniæ, quam flos Iesseus in præsepio, vel in Cruce recubans pandebat, vt de eis quoque diceretur illud Ecclesiastici, *breuis in volatilibus apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* Ad has ergo muscas petaces, & ad has apes furaces, non oportebat vociferari: *Exite, relinquite idola, properate.* Sufficiebat sibilasse; & illi in momento ad cauernam petrarum aduolant, petramque de cœlis latam, & hœdinis mortalitatis nostræ velatam adorant. Vide quam acris fides illorum? Non eos longitudo itineris, non splendor regius, non inueterata in malis consuetudo, non superstitio ab æuo immemorabili obseruata, non dæmonum terrores & blanditiæ, ab instituto propositæ fidei distrahere potuerunt: Vt enim audierunt vocem susurri Diuini; cuncta obstacula perfregerunt, & ad Deum cucurrerunt, Deoque & suorum & omnium nostrum nomine fidem obstrinxerunt. Vis autem scire & constantiam fidei eorundem, atque fere omnium gentilium, quos Christo detulerunt? Hanc exinde perspicio, quod Matthæus ait, quia *per altam viam reuersi sunt in regionem suam*, quod non regressi sunt ad idololatriam, vt Iudæi sæpissime recidebant, sed quam Deo semel spopondissent fidem, in ea constantissime perseuerarint.

Gentes elegit propter fidei negligentiam.

Isai. 65.

Esai. 7.

Musca & apis gentiles.

Et cur.

Eccles. 11.

Fides gentilium quã acris.

Matth. 2.

Quam cõstans.

A prisco æuo commemorabo vnum memorabile, vel à Sathana extortum, cuius etiam D. Augustinus meminit. Interroganti, ait, cuidam, quem Deum placando, reuocare possit vxorem suam à Christianismo? hæc ait Apollo: *Forte magis poteris in aqua impressis literis scribere, aut inflans pennas leues per aëra, vt auis volare, quam semel pollutæ reuoces impiæ vxoris sensum.* Ita quidem Dæmon de illius temporibus constantia Christianorum.

Lib. 19. de Ciuit. Dei. cap. 23.

Vtique si quippiam aliud in gentilium fide

fide Diuinis placitum est oculis, certe hoc est vel maximum quod in cultu Dei non lapsarint. Vt enim summo odio, Israëlitarum ad idola recidiuam prosecutus est, & ob eam rem illos à se repudiauit, quod toties relictas abominationes, toties resumerent: ita gentilium fidem, vel ob hoc dilexit, quod semel abiecta idololatria, non ad eam redierint. Postquam enim vniuersa gentilitas ad Iesum in præsepio Ecclesiæ recumbentem accessit, non amplius sunt in nostra Ecclesia; Iouis Cretensium tyranni natalitia furta, & stupra promiscua: non hic nocturna Veneris sacra, ex turpitudine mysterium facientia; non hic semiuir Deus, & ebriorum chorus, exercitusque lasciuus; non alia cum obscæna, tum vero cruenta, vel sacrificia, vel idola instaurata: sed vnius veri Dei maiestatis sempiternus ex pietate & iustitia cultus. Quod si aliqui gentilium à fide defecerint, atque ad vomitum redierint, non tamen vniuersa Ecclesia, quæ sicut Sol & velut Luna testis in æternum fidelis permanet, quadrato huic constantiæ innixa. Propter tam acrem & constantem fidem, in gentilibus depangendam hos elegit Deus. Depangentem autem dixi, non iam ante in illis depactam: ne existimes nos quippiam boni egisse, vt eligeremur, aut prædestinaremur, *Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur*: Dei benignitas est, non merita aliqua, quod vocati simus in admirabile lumen. Quæ enim tunc dignitas, aut merita nostra, quando *eramus natura filij iræ*, & vt Paulus commemorat, *insipientes, increduli, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Apparuit autem benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam magnam misericordiam saluos nos fecit.*

Narratio de quodam volente reuocare vxorem ad ethnicismum.

Ephes. 2.

Ad Tit. 3.

Dei benignitas elucet in vocatione gentium.

Benignitas Dei est, quod *sibilauerit muscæ* insolenti, *& api* mordaci; illamque ad vnguenta pretiosa, hanc autem ad floreum paradisum, omni venustate variegatum vocauerit. Humanitas nostri paruuli est, quod vixdum natus, dignatus sit *mittere manum in cauernam reguli, & ab vbere delectari super foramine aspidis*, & obstetricante manu potentissima, *educere colubrum tortuosum, serpentem vectem*, ab animabus nostris.

Isai. 11.

Typi & symbola vocationis gentium.

Iob. 26.

Benignitas Dei est, quod impleuerit, quod olim per Isaiam promiserat dicens, *Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ, ô Emanuel.* Hodie siquidem *vir oriens Sol iustitiæ, in cuius alis est sanitas*, vt vidit Malachias, irradiatione sua multicolori, illustrauit faciem vniuersæ terræ, & plena est terra à maiestate eius. Hodie in regione vmbræ mortis sedentes, & in terra obliuionis sepultos, lucis suæ radio illuminauit, vt peccati agnoscerent deformitatem, iugum ferreum deponere discerent, & ad veram libertatem ab impura seruitute conuolarent. Hodie oculos cæcorum aperuit, vt perennem lucis fontem agnoscerent, & pulcherrimam Diuinæ bonitatis speciem, carnis nostræ fascijs inuolutam contemplarentur. Hodie magnus parens fidelium, à filijs accipiens munera ijsdem amplissima donaria distribuit. Hodie nigra illa, sed formosa, noua Sephora, nouo Moysi in matrimonium iungitur, & annulo fidei subaratur. Hodie Raab meretrix coccineo funiculo insignitur, & populo Diuino accensetur. Hodie populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam habitantibusque in regione vmbræ mortis lux orta est eis. Hodie à templo Salomonis, à sanctuario, & ab altari aureo, ad stabulum, ad præsepe, & ad gentes Deus declinans, illos reprobauit, nos vocauit: illos à participio bonorum exclusit, nos vero in consortium suum asciuit: illos à facie sua abiecit, nos autem sibi adpectorauit. Hodie omnium diuitiarum, thesaurorumque cælestium copiam nobis ante oculos proposuit. Hodie claues paradisi in humeris suis deferens Deus, ante nos apparens processit, vt nos ad felicitatis sedem introduceret, omnique voluptate bearet. Nostra hæc est dies felicissima, & festiuitas faustissima. Ideo Deum bonorum istorum largitorem celebrare, atque alacritatem vocibus festiuis demonstrare

Isai. 8.

ſtrare nobis conuenit: Noſtro enim fratre ſanguineo fune illigato, nos in libertatem aſſerti ſumus, atque illo manum in vterum ſinagogæ retrahente, nos ad veræ lucis vſuram producti ſumus. Felices Magos, qui ante Iudęos, ſtellę miniſterio Solem immenſi luminis aſpexerunt. Felices & nos, quos ad myſteria incomprehenſa contemplanda, in vlnis ſuis traduxerunt! Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. *Gratias* demum, *agamus ei*, vt monet Petrus, *qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum: qui aliquando non populus, nunc autē populus Dei, qui aliquando non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

Grati animi ſignificatio à nobis requiritur.

1. Pet. 2.

Carneadem Philoſophum tanta fuiſſe gratitudine erga Chryſippum præceptorem, memorant, vt nunquam obliuiſceretur fateri: *niſi Chryſippus eſſet, ego non eſſem.* Accenſent aliorum grati animi ſignificationes pro ſapientia acquiſita, vtpote Æſchini, qui à Socratis latere nunquam diſcedebat, tantaque obſeruantia eum colebat, vt Socrates diceret, *Solus nos colere nouit Æſchines.* Platonem autem tanti fecit Ariſtoteles, vt nomini eius aram, in templo conſtruxerit, ſtatuamque conſecrauerit; in qua ſcriptum erat, hunc eſſe illum quem probi omnes merito debeant imitari & cōmendare. Eundem Platonem tam feruenter diligebat Xenocrates, vt Dionyſio aliquando dicenti Platoni, *aliquis auferet tibi caput.* Xenocrates, qui tum præceptori aderat, reſponderit, *Non prius*, inquit, *quam hoc*, ſuum oſtendens caput. Vtinam nos tales erga noſtrum Doctorem & ductorem.

Gratitudo maxima quorundā philoſophorum erga præceptores.

Oro, obteſtor, gratias agamus Deo, vt monet Chryſoſtomus, quod ſaluati ſumus, quodque cum ex operibus ſaluari nequiuerimus, dono Dei gratis ſaluati ſumus. Gratias vero agentes, non verbis tantum, ſed & rebus ipſis grati ſimus. Ea quippe diligens ac vera demum erit gratiarum actio, ſi ea per quę Deus glorificari poterit fecerimus, eaque fugerimus à quibus liberati ſumus. Vt de nobis non dicatur, *Populus hic labijs me honorat, cor de vero longe diſtat à me*: ſed potius, *populus tuus omnes iuſti, germen plantationis meæ, opus manus meæ, ad glorificandum, fortes iuſtitiæ, populus Sanctus Sanctificans Dei nomen*, nunc & per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.

Iſai. 29.

CONCIO III.

Et procidentes adorauerunt eum. Matth. 2. cap.

De Chriſti adoratione.

PRÆCLARA Salomonis maieſtas & ſapientia, tantum decus ei conciliauit, vt ad eum viſendum non tantum Iſraëlitarum principes, verum etiam longe remotiſſimi reges accederent. Sed & regina Saba audita eius fama, ingreſſa Ieruſalem, multo cum comitatu & diuitijs, venit ad eum: cumque vidiſſet omnia quæ rumor non incertus vulgauerat, *Verus eſt*, inquit, *ſermo quem audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni & vidi oculis meis, & probaui, quod media pars nunciata mihi non fuerit. Deditque Regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſas. Non ſunt allata vltra aromata tam multa, quam ea quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* Noſtri quoque Pacificatoris Ieſu tanta erat maieſtas, decus, & ſapientia, vt ad eum adorandum, & ſui, & alieni, & vulgares, & Ciues, & Reges barbari, & Angeli cœleſtes acceſſerint. Acceſſerunt Angeli, & fauſtis acclamationibus, ſuum erga illum ſtudium teſtati ſunt: Acceſſerunt paſtores, & reuerentiam humiliato corpore profeſſi ſunt: Aduenit & Sabæa propago, Reges Arabum & Saba, atque procidentes adorauerunt eum. De hac Chriſti adoratione mihi hodiernus ſermo.

3. Reg. 10.

Adoratio, vt docent Sancti Patres, tres complectitur actus: Vnum intellectus; Alterum voluntatis; Tertium vero corporis. Imprimis exigit munus intellectus, vt illius perſonæ, quam adorat quiſpiam, maieſtatem, & rebus præclaris agendis aptum

Tria exigit adoratio.

1. Fidem.

aptum animum cognoscat & censeat. Quod enim quis ignorat, quomodo adorabit? Hinc D. Chrysostomus, illis qui Deum adorare cupiunt, fidem qua Diuinam dignitatem assequantur, primo esse necessariam asseuerat. Fide, *inquit*, adoratoribus Dei opus est. Fide, inquam, bonorum omnium matre, salutis medicina, sine qua nullam magnarum rerum doctrinam percipere quisquam potest: sed illi similis est, qui sine naui pelagus tranare aggressus parum proficiens, lassatis manibus pedibusque fluctibus cito obruitur: neque aliter qui suis nituntur rationibus ante cognitam veritatem, vt Paulus ait, naufragium faciunt, *quam*, inquit, *quidam repellentes, circa fidem naufragarunt.*

2. Reuerentiam. Secundo exigit adoratio munus voluntatis; vt scilicet illi personæ, quam aliquis adorare pergit, reuerentiam voluntario mentis motu exhibeat: quod fiet si erga illam interno affectu feratur, totoque cordis conatu inclinetur. Vnde monebat Saluator, *Adoratores* ait, *Dei oportet adorare in Spiritu & veritate. In spiritu*, inquit, vt ex corde externa reuerentia procedat; *in veritate* autem, vt externa corporis signa interiori cultui respondeant. *Ioan. 4.* Tunc enim beatum pectus est, quod Deo offers, si purum est: tunc acceptæ Deo manus, quas in venerationis signum expandis, si non plenæ sanguine, aut sorde, tunc gloriosa facies, si simplicitate resplendet. Digni oculi, si concupiscentia non sunt inquinati: Sancta genua quæ in Dei reuerentiam flectis, si non curuata ad scelus.

3. Corporis actum vel munus. Tertio exigit adoratio externum corporis actum; vt illi personæ, quam quis veneratur, mentis affectum & internam reuerentiam, externa demonstret submissione. Quum enim mens nostra inuoluta sit corpore, vt homini quem adoramus intranea veneratio exterius pateat, & Deo quem supra omnia omni cultu prosequi debemus, & corporis & animi officia exhibeamus, oportet adorationem quam mente concipimus, rebus ipsis comprobemus. Quamobrem Augustinus dicebat. Pietas Dei cultus est; nec colitur ille nisi amando. Cæterum vbi verus est amor, nequaquam sic in ipsa mente reconditus & abstrusus esse potest, vt non per signa quædam & indicia se foris proferat, ac ad spectantium oculos traducat. Hinc illæ in Diuino cultu subleuationes & deiectiones oculorum, pectorum percussiones, capitum inclinationes, genuum inflectiones, & hoc genus externi gestus alij, qui cærimoniæ, oblationes, vota, sacrificia & religionis obseruantiæ vocantur, quibus magis seipsum excitat homo ad Deum colendum; & nescio quomodo *ait Augustinus*, cum hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdemque rursus externis visibiliter factis, ille interior inuisibiliter, qui eos fecit, augetur. Ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit.

Tria hæc munera in adorando Christo, ipsi Cœlestes spiritus exhibuerunt. Cum *enim iterum Deus introduceret primogenitum in orbem terrarum, atque diceret. Et adorent eum omnes Angeli eius*, illi accedentes ad Bethleemi stabulum, & ibi sub duris cautibus lustrantes gramine constratum præsepe, videntesque mutum pecus Domini lambens vestigia, & piam matrem in molli complexu filiolum fouentem; & teneris illius labris lac irrorantem, Deum in homine latentem agnouerunt, & festiuis laudibus celebrarunt. Pars illorum igne corrusco tota rubens, pars innexi stellatis coronis, pars inuisibili auro lapidibusque inæstimabilibus ornata Deum reparatorem ruinarum suarum agnoscentes, supplices adorauerunt. Pars deinde in nouenos choros distincta, supra stabulum innumeras laudes concinebat. Recensebāt illis cātilenis suauissimis, quomodo noui orbis prima fundauerit firmamēta, quomodo terram varijs discluserit aquis, quomodo varios ignes suspēderit in cœlo, quomodo axes supremos Luna, stellis, & magni Solis lumine illustrauerit, quomodo belligeras dæmonis cohortes exturbauit ex alto, quomodo hominem manibus suis plasmarit, quomodo eiusdem

dem miseritus, humanam assumpserit carnem. Quæ dum vocibus altisonis personarent, intermiscebant, vel *Gloria in excelsis Deo*, vel, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, vel, Salue Rex Regum maxime, Salue hominum Salus, cui diffusum per terram humanum genus seruiet. Salue qui omnia regis, cui Sol & sidera & cuncta creata obediunt. Salue Imperator noster, ecce nos tibi adsumus humiles ministri. Adoramus te. Benedicimus te. Glorificamus te. Et quidem hæc & his similia multitudo militiæ cælestis exercitus laudantium Deum.

Tria quoque eadem præstiterunt, & Reges, adorantes Dominum. Fidem imprimis; nam quem vident Herodem & Archelaum, regnantem in Ierusalem, non adorant, sed alium requirunt; quem credunt verum esse Regem Iudæorum. De hac eorum fidei acrimonia, lego illud quod est dictum olim à Balaamo. *Dixit homo, cuius obturatus est oculus. Dixit auditor sermonum Dei qui nouit doctrinam Altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum sed non modo, intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet Duces Moab, & vastabit omnes Filios Seth.* Quid est hoc quod dicit, homo cuius obturatus est oculus; & qui apertos habet oculos? homo qui cadens iacet in terra, & qui visiones Omnipotentis videt? Si enim obturatos habet oculos, quomodo habet apertos? Si cadens iacet pronus, quomodo videt visiones Omnipotentis?

Expend. loc. Num. 24.

Fides Magorum.

Duplicem oculum expressit in sua progenie Balaam, alterum corporis, alterum animæ, illum quo colores & sub aspectum obiectas res coloribus imbutas cerneret; hunc vero quo inuisibilia & nonnisi in lumine Diuino apparentia conspiceret. Obturauerant sibi oculos corporis, tunc cum regem non in regia quærebant: alterum autem quem Ierosolymis imperantem repererant contemnebant. Procidentes vero in terram, & præsepio sese aduoluentes, apertos habebant oculos mentis; videntes eum *sed non* pro *modo* corporis; intuentesque illum *sed non* tantum *prope* iacentem in stabulo, sed longe lateq; dominantem in cælo. In antro quodam maris Erithræi, ferunt reconditum esse lapidem iridem, quem aiunt à percussura Solis radiorum lumen concipere, & radios instar iridis varij coloris exerere, atque vniuersam specum illustrare. Iacebat in spelunca Bethleemi lapillus speciosissimus Iesus, candidus, rubicundus, & ignitus. Quis putasset in tam sordido loco, tantos thesauros? Quis inter putida animantia, tam pretiosum monile crederet abscondi? Credunt illi, & accedentes intro stabulum, fidei oculis apertis, prostrati vident illustrationes & coruscationes, emicantes ab intus ex fasciato infante. Non ibi vident palatij splendorem, non cubiculorum diuersitatem, non domum aulæis adornatam, non lectum eburneum mollibus constratum, non cunas gemmis fulgentes, non matrem diademate coronatam, non infantulum bysso vel purpura inuolutum, non ancillarum aut obstetricum parturienti obsequentium ministeria; non deniq; aliquid tale, quale Regina Saba apud Salomonem, sed omnia situ squalentia, Regem autem pauperrimum inuenerunt. Fide tamen firmissima hæc omnia transcendentes, aliud oculis corporeis, aliud lynceis mentis aspiciunt. Humilitas corporis assumpti cernitur, sed Diuinitas gloriæ peruidetur. Puerum vident, sed Deum esse profitentur. Infantulum cernunt, sed gigantem immensæ virtutis & potentiæ esse credunt. Leonem in agno; maiestatem immensam sub teneri corpusculi cortina; Solem radiantissimum sub leui carnis nubecula, ineffabilem in elingui; omnipotentem in imbecilli, incomprehensibilem in fascijs illum qui verbo omnia condidit, in facto homine incarnatum, fide indubitata credunt.

Iris lapis.

Fidei regum acrimonia.

Monebat olim Iobus. *Considerate*, inquit *semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.* Theman Austrum significat; vnde gratia, pietas, misericordia atque Redemptor ipse gratiam daturus venit, iuxta illud quod est in Propheta, *Deus ab*

Explic. loc. Iob. 6.

ab Austro veniet. Theman etiam secundo significat, regionem Themanitarum, in qua filij concubinarum propagati ab Abrahamo consederunt, hosque Magos qui hodie venerunt Christo deferre munera reliquerunt. Theman deinde si deducatur à Thamim Hebræ, significat tertio simplicem mundum & purum: iuxta quod docet Georgius Venetus. Has semitas& hęc itinera Regum Saba & Theman Austriorum, monet considerare Iobus, dum scilicet vadunt ad adorandum Deum ab Austro misericordiæ venientem,& de monte vmbroso, in vmbra carnis nostræ procedentem, quam simplici, sed tamen illo acri oculo incedant? quam mundo & puro affectu, scilicet fraudis & doli inscio, ad præsepe accedentes nihil eorum omittant, quæ ad Deitatis latentem maiestatem fatendam atque glorificandam facere videbantur? *Expectate*, inquit, *Iob, paulisper*, non multum temporis intercedet, quando *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent*, quando inundatio camelorum inundabit Ierusalem, & dromedarij Madian, atque Epha operient terram Bethleem: *omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Hæc quidem de fide Magorum in Christum absconditum. Cæterum quod attinet reuerentiam externam, hanc multam præstiterunt, *dum procidentes adorauerunt eum.* Videres hic purpuratos Imperatores, diadematibus reiectis alium terram osculis fatigare, alium caput ad præsepium inclinare, tertium vero palmas ad infantem tendere. Audires suspiria ex imo pectore ducta, & ab eliquato in dulcedinem corde, piam lætitiam erumpere, quam voce, gestu testabantur, alius Deum ex Deo, verum Numen de Numine, quod Deus æterna originatione, se in semet reflectens concepit & parturiuit prædicabat, alius Regem Regum, vere Dominum Dominantium quem Deus omnibus Orbis Monarchis, celsitudine, maiestate, sapientia, potestate, & rerum gestarum gloria, præstare voluit, magnificabat: tertius Sacerdotem Melchisedechianum, innocentiæ & veræ salutis mystam, cui Deus claues vitæ & mortis, imperium Paradisi & inferni permisit, suspiciebat. Eorum autem comites, sublatis in altum vocibus, has orationes ingeminabant. *Deo Deorum vero, Regi Regum Supremo, Pontificum Antistiti Diuino, Honor, Virtus, & gloria.* Quæ tunc mens Sanctissimæ Virgini? Quis animus Iosepho? cum viderent Principum potentissimos ante infantulum iacere, muneribus illum obruere? sceptra & regna ad pedes eius prosternere? tum demum tot populos quot vnquam tellus gentilis ab eo tempore tulit, dominio eius subijcere? Tunc enim videbat impleri, quod ei Gabriel nunciauerat. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Tunc intelligebat, vere esse olim à Prophetis de suo pusione prædictum. *Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominum. Reges erunt nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lambent. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei, & dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum.* Hos itaque tres artus adorationis fidem, reuerentiam, cultum externum, Christo Deo Saluatori nostro, tres isti reges coram ipso prostrati præstiterunt.

Imitemur & nos, *vt monebat Chrysostomus* deuotionem illorum, veroque amore sapientiæ prauam consuetudinem subiugemus. Longo itinere curramus, vt Christum videre mereamur. Nam & illi nisi procul religionem & regionem propriam reliquissent, nequaquam vtique Christum videre potuissent. Recedamus igitur à terrenis negotijs atque curis: Etenim Magi illi cum adhuc morarentur in Perside, stellam vidêre tantummodo; quia vero à Perside recessêrunt, Solem aspexêre iustitiæ, qui certe nec stellam quidem ipsam tamdiu videre meruissent,

Quid via Theman, & Sabæ.

Psal 71.

Externi motus.

Orationes.

Munera.

Luc. 1.

Votum, vt imitemur Magos in excessu à peccato.

ſent, niſi cito à Perſide fuiſſent profecti. Surgamus ergo etiam nos; & licet omnes reſiſtant, nos tamen alacres ac prompti ad pueri accurramus domum. Et ſi aliquis velit curſum itineris impedire, nequaquam tamen accenſi deſiderij extinguamus ardorem. Sic enim & illi vndique oppoſita diſcrimina peruaſerunt. Et tu itaque inſidiantem tyrannum, & fallacem iſtius ſeculi vmbram relinquens, in Bethleem feſtinus accurrere, ac domum ſpiritualis panis ingredere, modo vt adoraturus atque honoraturus Dei filium, & non quaſi conculcaturus aduenias; modo vt honorem illi cum gaudio ac tremore offeras, poſſunt enim vtraque hæc pariter conuenire.

Et in cautela ab Herode. Sed caue ne Herodi ſimilis efficiaris & dicas *vt & ego veniens adorem eum*, cumque veneris interimere coneris. Huius etenim ſimiles ſunt, qui indigne abutuntur myſterio. *Reus eſt enim*, talis, *corporis & ſanguinis Domini*. Qui enim eiuſmodi ſunt, habent in ſe tyrannum, Regno Chriſti iugiter inuidentem, longe ſane Herode illo nequiorem, peccatum ſcilicet. Hoc enim in homines tenere imperium geſtit, ſuoſque cultores ſtimulat, & mittit ad Chriſtum, vt ſpecie quidem adorare videātur; quantum vero in ipſis eſt, interimunt eum quem adorare ſe ſimulant.

In munificentia denariorū. Adoraturi etiam Chriſtum, cuncta proijciamus è manibus. Si habuerimus aurum? offeramus ipſi, non in arca recludamus. Si enim illi tunc barbari tantummodo in honorem Domini obtulerunt aurum; qualis tu eris, ſi ei non tribuas indigenti? Et certe ſolemus ægrotantium atque vinctorum, & variæ horrentium debilitate miſereri: tu vero, ne erga Dominum quidem tuum, & eum qui tantorum tibi auctor eſt bonorum, hoc permoueris affectu? Et illos quidem aurum ſcimus obtuliſſe, tu vero panem ipſum vix tribuis? Illi viderunt Stellam, atque lætati ſunt, tu autem ipſum aſpiciens Chriſtum peregrinum, egentem, nudumque, non flecteris? Regina Saba pro inſtitutione ſapientiæ, dedit Salomoni centum viginti talenta auri, aromata pretioſa & gemmas multas. Fac & tu dona Chriſto aliquem à te pauperem inauratum, vel ingemmatum. Non poſſum hic præterire Macharij Alexandrini pietatem. Præerat Xenodochio apud ſuos, in quo numero innumerabili leproſorum, tanquam Chriſto ſeruiebat. Sumptibus exhauſtis, non erat quo cibos & medicamina illis pararet. Sciuit Virginem quandam ætate iam prouectam, & ad rem nimis attentam, multam pecuniam congeſſiſſe. Ibi tum ad illam, fingens Mangonem naufragum Alexandriam appuliſſe, qui magnam copiam Sapphyrorum & Smaragdorum inæſtimabilium, vili diſtrahere vellet. Orat ſubinde, velit 500. nummos mutuo concedere, vt poſſit ex his quippiam lucrari, & lucrum cum ea participare. Numerat illa, is expendit in pauperes. Poſt aliquot dies venit ad videndas gemmas. Annuit ille & quærit, *Quas prius? Sapphyros an Smaragdos?* Virgo reſpondet. *Vtroſuis.* Introductæ deinde in infirmitorium inferius, oſtendit numerum ingentem fæminarum depetigine laborantium. *En*, inquit, *Sapphyri.* Poſtea aſcendenti in ſuperius ſolarium, monſtrat virorum agmen eodem morbo obſitorum. *En*, inquit, *Smaragdi. Aurum tuum in hos vniones ego effudi, coronam Chriſto plexurus. Tu ſi lubet, à Chriſto extorque, vel ei liberaliter concede.* Non erat quod reſponderet virgo capta. Aurum illud totum Chriſto donauit, quem iſthoc donatiuo adorauit. Nos quoque imitemur. *Macharij Alexandrini pius dolus propter pauperes, quos ille gemmas eſſe dixit.*

Age, venite adoremus & procidamus ante Deum; munera ei pro noſtra tenuitate offeramus, aurum ignitæ charitatis, thus bonæ famæ, myhrram mortificationis ad eius pedes proijciamus. Parua fuerint licet quæ obtulerimus, non deſpiciet à paruulis magnus, ſed grato animo ſuſcipiet, atque magnis compenſabit muneribus, & in regno cœleſti. Amen.



DOMI-

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Regreßi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Luc. 2.

CONCIO I.

De liberorum Christiana educatione.

VEtvs diuerbium. *Omnis Christi actio, nostra est instructio.* Proinde & hodierna eius parentibus præstita obedientia, in exemplar facta est & pueris & parentibus. Illis quidem vt se formandos regendosque genitoribus permittant, his autem vt curam liberorum quam diligentissimam habeant. De hac liberorum Christiana educatione hodiernus sermo: Vos qui Parentes attendite.

Tabella hieroglyphica Bochl. lib. Symbolic. quæst. 5. Qui antiquorum liberos procreassent, tabellas hieroglyphicas illis proponebant; ad quarum notas eos efformarent. Fecit nuper Bochus Bononiensis; & ad morem priscum, hanc quam profero delineauit. *Caput bouis cum duobus malleis. Altare cum vno oculo, gallo, & ardentibus flammis. Infusorium seu Polubrum. Solea oculo vno figurata & palmæ atque oliuæ virentibus ramis circundata. Vncinus abscisorius vitium. Lucerna. Delphinus alligatis arcæ. Glomus filo plenus. Globus igneus. Anchoræ olor alligatus*, hæc omnia depicta erant in tabella ordine pulcherrimo, & Filiolo proposita, hoc fine, vt tenellus animus obiectis imaginibus delectatus, inquireret quid notæ illæ secretæ innuerent, quæ cum Pater cattus & cautus ipsi explicaret, ad res præclaras Filium suauissime conformaret. Namque isti characteres symbolici, exactam educationis filiorum formam perfecte exprimunt. Hos ego quantum potero deumbrabo, & ad exemplar educationis Iesu applicabo.

Educationis liberorum summa.

I. *Caput bouis & mallei labor.* Delineatum erat in tabella Bochiana, inprimis *caput bouis cum duobus hinc & inde malleis ambientibus.* Docebant antiqui, otium esse primo fugiendum laboreque superandum, à pueris optime instituendis. Bos enim & malleus apud Ægyptios, laboris symbola fuerant. Sed quare id primo fugiendum esse docuerint? Causa est. Virtutis stadium, in laboris contentione situm est, itaque illud vitandum est his qui virtute tingendi sunt. Mentem enim hebetat, animum corrumpit, hominis præstantiam labefactat; & ne quid aliud dicam, rationem de statu deijcit, & libidinem in Dominatu constituit. Otium, deinde, flagitiorum omnium est seminarium. Qui enim nihil agit, aliena curat; & hinc maleuolentia, inuidia, obtrectatio, iniuria, magnaque rerum perturbatio & vitæ consequitur. Qui otio torpescit, vel æstro libidinis ictus præceps in turpitudinem delabitur, vel potentia nixus ferales assumit affectus, & vel ingenio præcellens, quo clariori indole, eo in teтriora facinora ruit. Vt enim ager neglectus & incultus, quo fertiliorem, eo magis vepribus & spinis, & agrestium plantarum asperitate horrescit; ita cum animus minime colitur, quo acrior est eius indoles, eo pluribus vitijs obruitur. Quamobrem censebant antiqui, exercitatione continuisque laboribus animos puerorum, quasi malleo ferrum ad recipiendas formas, disponendos esse, si illos virtutum ornamentis inarare optabant. Obseruatum hoc fuisse à Diua Dei Parente, in educando Saluatore, multi Patrum affirmant. Ita enim à primis incunabulis ipsum instituerat, vt nullo ocio ipsum quietis impatientem & contentionis honestæ cupidum, marcescere permitteret, sed semper decenti aliquo exercitio occuparet. Sciebat enim puerulis delicate nutritis, otium maximam perniciem afferre, exercitium vero pro viribus magnos ingressus ad virtutem parare. Qui enim à teneris vnguiculis corpus laboribus durauit, non erit ei difficile postea, sapientiæ disciplinam, quæ inedia, & patientia laborum adipiscitur, deinde culturam Diuinæ maiestatis, quæ nonnullo labore constat; tum demum omnium virtutum perfectionem, quæ in arduo sita est, tentare consequi, & non tantam ex quiete, quantam

quantam ex labore voluptatem percipere.

2. *Polubrum tẽperantia.* In tabella Bochiana depictum erat *Polubrum* seu *Infusorium*, symbolum tẽperantiæ. Docebant veteres, non esse operam consumendam in saginando, sed in parce nutriẽdo filiolo. Non enim pullum anserinum, non porcum, non vitulum, sed filium, gloriæ & posteritatis hæredem educandum susceperunt. Apud Persas, filijs eorum, nasturtium tantum obsonij loco erat. Apud Lacedæmonios, vnico & simplici ferculo viuebant. Apud Romanos sola aqua, nunquam vino potabantur. Ciborum enim redundantia crudelitatem efficit, vires debilitat, aciẽ mentis obtundit, desidiam, ignauiam, stupiditatem ingenerat, atque animum ad nihil honestum vtilem reddit. Si igitur parentes desiderabant filium euadere pium in religione, excelsum in sapientia, magnanimum in rebus agendis, non illũ cibis onerabant, sed paruo contentum esse iubebant. Plato censebat, non potuisse virtutem tradi Siculis & Italis eo tempore, quo ille eas oras peragrau t: propterea quod se bis in die extructis epulis satiarent. Et recte quidem censuit. Corpus enim cibis expletum non solum virtutis imperium minime sequi potest, verum etiam mentis altitudinem deprimit, indolemque totius honestatis extinguit. Accedit etiam illa deformitas, quæ in corpus ex nimio adipe & aruina redũdat, abdomen enim prodigiose distenditur, labra tument, oculi fluunt, malæ turgent, aspectus hebescit, eoq; tandem humana species redigitur, vt nõ hominem sed monstrum hominis intueri te putes. Et cum monstrum in corpore, monstrum quoq; in anima sit plerumque, cauebant veteres ne ex intemperantia chymeras, vel harpyas pro filijs haberent. Temperato itaque & mediocri victui illos assuefaciebant. Temperantia enim pulchri, sani, agiles, & industrij facti, facile ad virtutem applicantur. Nihil hic dicam, de ratione educationis Iesu à Maria, quæ & paupertate oppressa, & diutino exilio Ægyptiaco à rerum copia destituta, ex necessitate virtutem facere docta, Iesum modico viuere assuefecit.

In tabella Bochiana, *Vncinus* recisorius sequebatur, index disciplinæ, qua docebantur parentes, filiorũ siluescentes mores præscindere. Vt enim agricolæ in teneris plantis omnẽ diligentiam adhibẽt: ita parentes quib. cultura filiorum commissa est, quamdiu teneri animi sunt, si aliquid à recto distortum in eis pullulare cõspexerint, vel recidere vel dirigere debent. Iuueniles impetus, *monebat Plutarchus*, accuratis rationibus vinciri ac compesci conuenit. Est enim vigor illius ætatis incontinens voluptatum, lasciuitque & fræno opus habet: & qui ætatem istam non magna cura regendam suscipiunt, imprudentes animo, licentiam qua ad flagitia feratur concedunt. Ergo parentibus vigilandum est, vt adolescentes intra modestiæ terminos cohibeant, docẽdo, minando, rogando, cõsulendo, pollicendo, exempla demonstrando, cum eorum quos voluptatum studium in miseriam cõiecit, tum eorum qui recta disciplina laudem sibi gloriamque compararunt. In vniuersum vero, à malorum consuetudine prohibendi sunt pueri. Nã affricatur eis aliquid inde vitij; maxime vero ab adulatoribus. Nam si parentes commendant liberis sobrietatem, isti ebrietatem, illi continentiam, hi libidinẽ, illi parsimoniam, hi prodigalitatem, industriam illi, hi ignauiam. Non desunt ex ijs qui & scorta submittant, & nuptas prostituant, & quæ parentibus erant senij viatica, interuertant atque rapiant. Impuri sunt isti homines amicitię simulatores, ad decipiendos adolescentes veluti histrionica quadam arte instructi, animi subdititiæ ac vitæ spuriæ partes, ad nutũ diuitum viuentes, fortunæ statu liberi, instituto serui. Quare si quis est Pater solicitus de bene educandis liberis, fœdum hoc pecus domo eijciat, & vncino præcidat. Ante omnia vero, nutrices illæ quæ ex mixto semine fornicario suos procrearunt fætus, domo pellẽdæ sunt. Scortari enim, & turpia dicere, atque facere cum assuetæ sint, filios quoque alienos infan- 3. *Vncinus Disciplina.*

tes licet, flagitiosa loqui & experiri, ante rationis vsus, prædocent. Tenellus autem animus, quo semel imbutus est, perpetuo olet. An hæc omnia SS. Mater, circa Iesum perfecerit, non difficile conijcere est. Licet enim nunquam in prauos motus, sed ad excelsos Diuinæ mentis actus propensus fuerit Iesus, tamen dum puerulus erat, à perditorum consortio illum custodiebat. Vnde nunquam à se vel suorum conspectu eum auelli patiebatur. Siue enim ad templum accedebat, illum secum ducebat. Siue à templo regrediebatur, putabat inter cognatos remansisse. Ab ea consuetudine doctum Iesum, non in medio parasitorum aut lurconum sed in medio Doctorum residentem; sed quam modestum, quam religiosum reperit?

4. *Altar, oculus gallus, flamma. Religio.* In tabella Bochiana, *Altare*, & in huius anteriori parte *oculus* inditus, & *gallus* & *ardentes flammæ* depictæ erant. Instruebantur parentes, vt filijs, sic per laborem, & temperantiam, & disciplinabilem animum dispositis, Religionis studium primo imprimerent, scilicet, vt Gallinaceo more maiorem partem temporis in Diuino cultu consumerent, vt oculos intentos ad Dei Aram & pietatem, cuius symbolum ara, semper haberent, vt in altari cordis sui flammas Diuini amoris ardentes, à consideratione maiestatis & beneficiorum Dei accenderent & nutrirent, vt si fieri possit, cũ lacte nutricis religionem & pietatem exsugentes, discerent atque intelligerent, nihil esse religionis cultu, nec ad nominis amplitudinem clarius, nec ad firmandas opes vtilius, atque hinc nunquam aliquid aggrediendũ sibi fore existimarent, priusquam in cœlum intenta mente respicerent, & opem Diuinam assiduis precibus, castissimis votis, inflãmato studio propitium sibi reddant, & in omni eo quod agere atq; moliri debent, nunquam studium religionis intermittant. Nec enim impudens potest esse filius, neque pusillo animo præditus, nec iracundus, nec inhumanus, neque mendax, nec vlli denique flagitio affinis, is qui religionem vnice coluit. Omnium enim virtutum fons, origo, incremẽtum, & perfectio denique absolutissima, vna religione continentur. Cum etenim pueri ediscent Deum semper præsentem esse, & per omnia commeare, & ea etiam quæ sunt densissimis occultata tenebris intueri; rum deinde iniquitatem, intemperantiam, & reliquas animorum labes, esse Deo vehementer inuisas, sic facile tandẽ ad pudorem, ad vitæ puritatem, & animi constantiam sese component. *A religionis cultu quanta bona?* Si enim cum oculis hominum notari posse suspicantur, cupiditates omnes continent: certe multo diligentius cum cogitauerint se Dei aspectum effugere non posse, se ab omni flagitio & turpitudine reuocabunt. Si dum aliquorum gratiam se amittere putant, ab eius indignatione sibi cauent: multo accuratius, cum meditati fuerint Dei amicitiam, summi Domini & parentis opt. & vindicis scelerum iustissimi gratiam deperdituros se, abstinebunt. *Vitiorum fuga.* Hinc deinde agnoscent Deum, quem pia mente colunt, largitorem bonorum omnium esse, qui mentem dat, qui animum confirmat, qui motus intestinos comprimit, qui iustitiam, prudentiam, fortitudinem, continentiam cæterasque virtutes infundit; qui mentem gratia corroborat, qui eam Diuino præsidio sæpit & studio immortalitatis inflammat, quique omnia pulchra & optima confert. Cum vero scient Deum neque improborum nec incontinentium, neque timidorum, neque inertium preces exaudire; à Deo autem illis omnia expostenda esse; à socordia, amentia, & scelere animum suum facile ad virtutum cultum & studium transferent. Quis, *oro*, est inter homines qui recte sentiat, cernat, intelligat, qui vitam optima ratione moderetur? qui deniq; sapiẽs appellari possit? *Sapientia.* Ille profecto qui sanctissimum Dei numen, pure & caste colit, qui Dei legem sempiternam consulit, qui mentem illius qui nunquam falli potest inquirit, qui diuinis monitis instruitur, qui animum suum ad similitudinem illius qui idem semper est, sibique in omni æternitate similis, effingere conatur, qui nequaquam hominibus stultis se similem

reddit,

reddit, sed se suaque omnia dicta & facta, ad diuinum exemplum quantum potest accõmodat, qui omnia sua consilia cum Deo communicat, inque Deum refert. *Fortitudo.* Deinde quis fortis, magnanimus & inuictus? Isne qui rebus fluxis & interituris affixus est? An qui semper animo ac spe, de sempiterna vita & immortali gloria cogitat? Is qui lucis huius vsuram nimis iucundam esse putat, an qui prę verissimę gloriæ studio mortem contemnit? Is qui nullis firmis opibus se munitum videt, an qui se diuino præsidio confirmatum animaduertit? Nec enim vnquam is qui se cultui sanctissimæ religionis addixit, fuit ab ope Diuina derelictus. Cum igitur in cælo mente versetur, & Deum præsentem videat: quantumuis omnia ardeant, & terra ingenti motu concutiatur, & cælum fragore, fulminibus, incendio extremum exitiũ terris minitetur, qui pietati innutritus est, nunquam animo concidet, neq; de statu demigrabit: sed in totius orbis confusione, diuinam constantiam retinebit. *Modestia.* Iam vero modestiæ laus & honestatis elegantia non nisi ab hac prædonomia proficiscitur. Si enim metus hominum multis in rebus temeritatẽ reprimit, & libidinem refrænat: multo certe magis metus Diuini numinis omnem intemperantiam resecabit. Et si formido dedecoris in oculis hominum constituti, homines ad modestiã format; multo certe vehemẽtius pudor & verecundia, puerum pietate excultum ad eandem instituet, cum cogitabit ne in offensionem Dei, quem præsentem sibi constituet veniat.

Charitas. Adde quod puer, cum in pietate educabitur, discet in illam sempiternam pulchritudinem mentem defixam habere, quod cum didicerit, mirum est quo amore in Deum inflammabitur, quantoque studio incendetur, vt se totum ad eius imitationem effingat. Quod dum faciet, Diuinæ cuiusdam pulchritudinis speciem, & admirabilem elegantiam in eo cernere licebit. *Iustitia.* Iam & iustitiam, ab eadem pietate edíscet. Cum etenim considerabit quia Deus est, mens & ratio iuris, officiorum omnium regula, modus & temperatio rerum, qua omnes naturæ reguntur, & firmissimo inter se fædere colligantur, & ipse verens Dei puer, ad eius voluntatẽ & moderationem sese adæquabit, nec quicquam faciet, quod nõ ad metrum & normam diuinæ æquitatis, admensum sit. Hinc discet parere maioribus, æquales parili in honore habere, inferiores nõ despicere, sed beneuolentia & beneficentia prosequi. *Virtutum chorus.* Hinc obedientia, mansuetudo, comitas, benignitas, & cætera animi ornamenta, quibus se magno natum Deo probabit puer, si ad altare hoc oculatum fuerit institutus. Talis Samuel Propheta, à teneris vnguiculis sanctuario destinatus, quam magnus? quam præluſtris? Talis Moyses Ægyptius in religione paterna, à matris lacte imbutus, quã excelsus, quam præsignis? Talis Isaac Abrahami in tabernaculo Dei præsentiæ, Diuino dogmate instructus, quam sanctus? quã beatus? Talis & Saluator noster ab hac Ara diuinitatis, cui statim à conceptione innixus. Diua enim virgo Deipara, licet sciret Diuinis insignitũ esse characteribus, atq; perfectam præferre Deitatis imaginem: omnem tamen operam in eo insumpsit, vt illum huic altari applicaret. Proinde, singulis diebus mane & vesperi ad Sinagogã ducebat: singulis annis ter in anno Ierosolymam cum illo veniebat: singulis horis de lege Dei atq; mysterijs abscon-ditis disserentem audire volebat. Facile enim sciebat à tinctura religionis, reliquarum virtutum venustatem prouenire.

Faxit Deus, vt exemplo Mariano (alia enim symbola tabellæ, in sequentem reijcio dissertationem) maiorem curam impendatis liberis educandis, quam hactenus à nonnullis factum. Illud enim de vobis omnes boni conqueruntur, potiorem vos curam equorum, quam puerorũ habere. Etenim equum, si generosus fuerit natus, equisonibus erudiendum traditis: filiorũ vero animos ita negligitis, vt licet præclara indole sint, vobis tamẽ annuentibus, in varia vitiorum turpitudine adolescant. Nunc enim infantes prius turpia verba, turpiores cantilenas, quin & turpissima quoq; flagitia, quam Dei timorẽ,

Dominicam orationem, vel Decalogum prædocentur. Stulti & vecordes, in quos etiam recte illud torqueatur, à Diogene in Megarenses pronunciatum. *Megarensis alicuius arietem esse malle, quam filium.* Malim pace vestra, si optio possibilis esset, vester canis esse quam filius. Maiorem enim multo curam canum, quam horum habetis quidam.

Megarensium Filij.

Quid vobis adhuc dum viuentibus à talibus expectãdum sit? vel ex alienis videritis. An non videtis illos, perniciem pestemq; iuuentutis, parasitos & adulatores sibi adsciuisse, alios meretricio sese taminasse? alios alijs flagitijs se & parentes suos dedecorasse? Causam quæritis? A neglecta educatione venit. Si enim in pietate, in disciplina, in continentia, in laboribus, & non in otio educati fuissent; si vncino præcisi essent, non audirent illud tritum. FILII NOXÆ. Si ergo vobis filij sunt, exemplo Diuę parẽtis, illos erudite: characteribus virtutum inarate, otio ne assuefacite; continentiã eis insinuate, vncino quicquid luxurians est abscindite, & imprimis Aræ pietatis admouete. Sic enim & solatium senectutis, & meritum cœleste exinde vobis conciliabitis. Amen.

CONCIO II.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, &c. Luc. 2. c.

Residui characteres tabellæ Bochianæ, de educatione liberorum.

REPROBATVS Heli Sacerdos, non propter aliquod proprium crimen, sed quod filios educare neglexerit, illosq; multo facinore sese contaminãtes, non correxerit. Laudata virgo Deipara, quæ Filium Dei vnigenam enixa, pie nutriendum & educandum susceperit. Huius educationis, non obscura specimina hodie Iesus dedit in templo. Sapientiæ quidem & doctrinæ, in solenni consessu cum Doctoribus disputans, Obedientiæ, modestiæ, & aliarum virtutum, in humili regressu, Parẽtibus obsequens. Has ego ad residuos characteres tabellæ Bochianæ expendo, & de educatione liberorum sermonem instituo.

Veteri vsu apud antiquos receptum erat: vt in ænigmaticis scripturis, soleam calceorum, inque eius medio oculum depingerent. Delineauit & Bochus in sua tabella, & eandem duobus ramis virentibus, altero oliuæ, altero palmæ ornauit. Hoc symbolum, dum ad quandam Salomonis sententiam componebam, ridiculum primo aspectu mihi videbatur. Salomon enim cum sapientem à stulto secernebat, dixit: *Sapientis oculi in capite eius, stulti autem in calcaneo.* Si ergo sapiẽtis oculi in capite, stulti autem in calcaneo, cur veteres, qui hac Solea oculata, commendabant sapientiæ studium, in solea oculos sapientis collocabant.

5. Solea oculata prudentia.

At neutiquam ista adinuicem pugnãt. Cum enim solea, calcaneus non sit, nec calcaneus idem quod solea, verum est quod oculi stultorum sunt in calcaneo, sapientis autem in capite, & non tantum in illo, verumetiam in solea. Huius rei mysterium quale sit audite.

Duo munera sapientię aduerto, ex descripto Ciceronis. Ita enim ille sapientiam definiebat. *Sapientia est rerum Diuinarum, & humanarum scientia.* Altero itaque oculo sapiens aspicit Diuina, altero humana: & quidni, nisi vt illa aspiciat, hæc autem despiciat? Ita n. idem ipse assignabat artem sapientiæ, quæ scilicet docta sit docere hominem, fortunæ iniuriã fortiter ferre, & cupiditatum ardore restincto omnia quę infra sunt contemnere, atque nonnisi ad studium rerũ immortalium aspirare. Neque enim ego sapientiam dixerim, illam vaniloquam loquentiam, non scientiã, de qua etiam Seneca dixit. *Postquam docti prodierunt, boni desunt. Simplex enim illa & aperta virtus, in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurq; disputare non viuere.* Sed illam ego esse censeo, quæ & sublimia Dei cogitatione apprehendit, & ad ea animũ hominis efformat, & inferiora

4. Tusc. q.

homine

homine omnia despicit, eoque indigna ducit.

Igitur sapientis oculi erunt & in capite, & in solea, in illo vt Diuina aspiciat, in hac vt humana contemnat. Ista sapiētia institutos esse cupiebant liberos, veteres Patres. Reliquorum studiorum, *ita docebat Plutarchus*, quasi caput & summa constituenda est sapiētia: Hæc enim animi ægritudinibus sola medetur. Hæc siquidem duce & comite cognoscere datur quid honestum sit, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid expetendū, quid fugiēdum: quomodo nos erga Deum, erga parētes, seniores, leges, alienos, magistratus, amicos, sodales gerere debeamus. Hæc docet siquidem, vt veneremur Deum, parentes honore & obsequio prosequamur, seniores reuereamur, legibus obtemperemus, amicos diligamus, sodales non contemnamus: & quod summum est, neque rebus secundis efferamur gaudio, neque aduersis nimio luctu deijciamur, ac neque voluptatibus diffluamus, neque ira ad sæuitiam nos abripi sinamus, quæ ego omnium nobis à sapientia obtingentium bonorum antiquissima iudico. Fortuna enim prospera ingenuè vti, boni viri officium est: citra inuidiam, hominis moderati: ratione vincere voluptates, sapientis; iram compescere, non cuiusuis viri, sed supra hominem collocati.

In lib. de puer.

Cum igitur à fonte sapientiæ, vt audiuistis, tot profluant bona, filijs autē parentes omnem felicitatem thesaurizare tenentur, iure merito sapientiæ soleam illis illigabāt, vt & Diuina docerēt aspicere, & contemnere humana. Nihil ex eodem studio institutionis remisit sapiētissima virgo mater Maria. Quanquam enim sciret Iesum esse sapientiam, imo illum *in quo omnes thesauri scientiæ & sapientiæ Dei absconditi sunt*: tamen quia etiam nouerat, illum ex his quæ passurus fuerat *discere obedientiam*, humilitatem, & patientiam, ideo oculata solea prudētiæ illum calceabat: Verisimile est enim ipsam illum paruulū ad Synagogæ præfectos frequenter duxisse, præceptaque viuendi, & parendi & patiendi illi instillasse. Quos autem in hac schola progressus fecerit, Euangelista recenset. Nam duodennis inter sapiētissimos Legis Doctores residens, ita de rebus siue ad Dei maiestatis venerationem, siue ad virtutis & honestatis vsum spectantibus sapienter differebat, vt omnes stupore correpti mirarentur, exactam illius prudentiam, quam tenellus interrogans & respondēs demonstrabat. Iam vero modestia & humilitas illa quam ostendit, dum monitus à parentibus cum eis reuersus *erat subditus illis*, an non ab hac pædonomia? Sed pergo ad reliquos characteres tabellæ.

6. *Lucerna. Beneficentia.*

In tabella Bochiana depicta erat *lucerna* accensa, per quam parentes monerent filios, ne sapiētiam quam adepti essent, sibi tantum sed & alijs prodesse putarent. Sapiētis enim est opē afferre, malū auertere, propulsare pericula, prodesse quamplurimis, curam aliorum omni conatu suscipere, atque alterius commoda seu incommoda tanquam sua existimare. Partem siquidem hominis patria & parētes; partem superiores, partem amici, partem æquales & inęquales sibi vendicant. Sapientia itaque sua omnes illustrare debet, quia sapientia illustris esse cupit. Hanc quoque partem sæpe filio suo inculcabat Diua Deipara. Legebat de illo vaticinium Isaiæ Prophetæ. *Propter Syon non tacebo, & propter Hierusalē non quiescam donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius tanquam lampas accendatur.* Nouerat deinde illum esse Orientem lucem, sed *ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israël*, vt illuminaret his *qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis*, scilicet non ob sua commoda, sed propter hominum salutem de cœlis descendisse. Igitur nihil non moliebatur, sed omnia consilia perquirebat, vt filius suus sapientiæ thesauros inexhaustos mortalibus proferret, & lumen illud inadspectabilis scientiæ, cæcutientibus visendum exhiberet.

Luc. 2. *Luc. 1.*

7. *Globus igneus obedietia.*

In tabella Bochiana, flāmmabat *globus igneus*, symbolum obedientiæ. Docebantur

bantur filij parentibus obsequentes esse, vt scilicet, quemadmodum globus volubilis, tum materia nitrosa sponte subsiliẽte constans, tum igne sua inclinatione ad supera exiliente accensus, vel huc atque illuc proiectus voluitur, vel versus cœlos adactus aëra penetrat, sic illi obtemperent dicto citius iubentibus. Obedientiã enim qua rationi & postmodũ legitimo imperio obtẽperatur, qui filius nõ tenet, nullius moderationis & disciplinæ capax aut tenax, fit effrenatæ libidinis mancipium. Vbi vero animus fuerit oppressus, libidinis impurissimæ dominatu, luce cõtinuo priuatur, & terræ caligine circunfunditur. Qui autem modum non seruat, qua tandem ratione affectus suos moderabitur: & qui libidinum est seruus, quomodo fundamentum virtutum continentiam assequetur? & qui mentis cæcitate laborat, quomodo vitiorum turpitudinem præcauebit? In obedientia itaque continendi sunt filij. Huius virtutis exemplum dedit nobis Maria in suo filio. Is enim, cum ad nutum parentũ domum descẽdisset, *erat subditus & obsequẽs illis.*

8. Delphinus humanitas. In tabella Bochiana, depictus erat *Delphinus*, humanitatis symbolum atq; amoris, Delphino enim inter aquatilia nihil est tractabilius, nihil erga hominem mitius. Legitur enim cum pueris in aquis ludere, illosque supra scapulas deferre citra periculum, & plurima alia officia nautis exhibere, docebantur hoc symbolo humanitatem, vt intelligerent, se homines hominum causa natos esse. Pręclare Ambrosius. *Considera ô homo vnde nomẽ sumpseris*, inquit, *ab humo vtiq; quæ nihil cuiquam eripit, sed omnia largitur omnibus, & diuersos in vsus omnium animantium fructus ministrat, inde appellatur humanitas, specialis atq; domestica virtus hominis, quæ consortem adiuuat.* Non erat opus Diuæ Deiparenti hanc virtutẽ inculcare filio, qui totus erat humanitas, suggerebat tamen frequenter occasiones exercendi illum in ipsa.

9. Glomus continentia. In tabella Bochiana depictus extabat *glomus*, seu *fusus filis plenus*, vitæ non dissolutæ signum, vt hoc symbolo demonstrarent filijs, omnes actus vitæ eorum virtute connexos, nõ dissolutos esse oportere. Arcendi sunt, *inquit Plutarchus*, filij à turpitudine sermonis, quum auctore Democrito, *sermo actionis sit vmbra*. Deinde opera danda est vt estabiles fiant, & incongressu comes, nihil enim ita dignũ est odio, ac eorum mores, qui compellantibus, difficiles se præbent. Iam in colloquijs & congressibus pueri inuisi alijs nõ fient, si non omnino in disputationibus victoriam semper obtinere laborent. Nõ enim tantum egregium est, scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrũ est, vbi victoria est damnosa: quum sit reuera etiã quædam *Cadmæa victoria*, vt habet verbum vetus. Possumque huius rei testem laudare Euripidem illum sapientem, cuius hæc sunt verba. *Altercantibus duobus, irato altero, qui non repugnat dictis sapientior est.* Addamus his ea, ad quæ nõ minore quam dicta hactenus, imo & maiore studio est contendendum. Vita degenda est sine luxu, lingua coërcenda, ira superanda, manus continẽdæ. In his igitur summa cum diligentia instruẽdi sunt pueri. Instruxit Diua Deipara Iesum paruulum, vt quod à naturæ atque gratiæ beneficio astrictus fuerat, lingua, tactis, externo motu corporis declararet.

In tabella Bochiana ad extremum, depictus fuerat olor albissimus anchoræ illigatus, cum diuerbio. *Festina lente*, hoc symbolo monebantur pueri, vt meminerint temporis prudenter dispensandi, ne quodlibet eius momẽtum sibi in vanum effluere patiantur. Nam eius iactura, irreparabilis est. Insuper & constantiæ alphabeto instruebantur, ne in huius vitæ turbulentis fluctibus vel aduersis deprimantur, vel secundis attollantur: sed anchora fortitudinis inuictæ, immoti persistant, nec animo concidant: sed siue etiam fatalis aduenerit hora, læto animo vt olores cantantes, omnia perferant. Fecit Christus ex institutione religiosa. Dies apud eum & horæ appensæ numerat æq; ad hanc curam, vt Deo placeret, & Salutẽ hominum curaret. Porro quanta constãtia in rebus fractis? Crucis istud lignum osten- *10. Anchora olor illigatus, constantia & prudens temporis dispensatio.*

ostentat, in quo Constantiæ sacrificauit, & spiritum fine motu, fine metu, lætus & ouans Patri dedit. Hæc ad Bochianæ tabellæ explicationem.

Monitum ad parentes pro Institutione filiorum. Nihil iam superest, quam apud vos precibus contendam, vt eandem filijs vestris proponatis, omniaque faciatis, vt has incorruptibiles pietatis opes, quæ solæ æternant, eis pia & ingenua educatione relinquatis. Pudeat vos vel Barbarorum, qui insignes liberorum formatores. Si exempla non mouent, moueant supplicia, quæ in neglectores Parentes olim & semper Deus sanxit.

Maxime vt euadāt suppliciū. Sacerdos erat inter Hebræos, vir inprim s moderatus atq; mansuetus, Heli, vt dicebam. Huic cum duo essent filij, videretq; illos vitijs deditos, non corripuit aut coërcuit; siue vt verius loquar, corripuit illos quidem & cohibuit, verum non omni cum studio & vehementia hoc fecit. Horum autem hæc fuêre crimina, ventris ingluuies & fornicatio. Quibus compertis Pater, non illos pœna affecit; cæterum verbis tantum castigare, leuique admonitione ab hac eos peruersitate reuocare conatus est, atq; huiusmodi verba iugiter ad illos loquebatur. *Nolite filij, nolite sic facere, non enim bona fama est, quā ego audio de vobis, vt faciatis populum non seruire Domino. Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro illo Dominum: si autem Domino peccauerit vir, quis pro illo orabit?* *Namq; Heli ideo castigatus.* Et certe plena sunt grauitatis, reuerentiæ ac ponderis hæc verba, & quæ emendare, atque ad statum vitæ melioris reuocare possent, eum qui penitus excors & amens non esset, quippe sceleris immanitatem indicant; & quā sit metuendum & cauendum admonent; & quæ pœna illud subsequebatur ostendunt; grauissima scilicet & intollerabilis. Verum quia non omnia quæ fuerant agenda, vt ea resecarentur vitia, molitus est; & ipse cum illis vna perijt. *Quia neglexit corrigere filios.* Namque & minas ille addere debuerat, & à suo eos conspectu amouere atq; abdicare, etiam & verberibus afficere, multoque illis grauius & durius instare. Quia igitur nihil horū egit, verborūq; tantum monitis contentus fuit; & illis, & sibijpsi Deum infestum reddidit: cumq; intempestiue & improbe filijs parceret, & suam & illorum simul salutem perdidit. Audi enim quid ad discipulum de magistro locutus sit Deus, quippe & discipulo & Prophetæ alteri, & cunctis penitus eius clades reuelare & loqui, quam illi maluit, adeo illum auersabatur, atq; oderat. Quid ergo inquit Samueli? *Iuraui*, ait, *domui Heli, si peccatum istud de domo Heli expiabitur, siue incenso, siue sacrificijs vsque in æternum.* *Supplicium quo affectus Heli propter neglectum institutionis filiorū.* Videsne ingentem indignationem, cruciatumq; vehementissimum, & ab omni spe veniæ exclusionē? Prorsus inquit, illum perire necesse est: nec ipsum modo vel eius filios, verū cum illo quoq; domum vniuersam: nullumq; medicamentum erit, quo vulnus istud curari possit, quamquā seni illi misero præter filiorum neglectum, nihil quod crimini daret, haberet Deus. Erat enim admirandus in cæteris, eiusque pietatem, cum ex alijs locis intueri licet, tum ex ipsa quoque calamitate casuum suorum. Cum enim omnia ista audisset, seque ad supremum cruciatum peruenisse conspiceret, non acerbe, non grauiter, non indignanter tulit. Dixisset alius. *Quid nam istud est? Num ego Dominus sum alienæ voluntatis? Peccatorum meorum pœnas persoluere habeo. Filij ætatem habent, ipsiq; soli merentur cruciari.* Nihil omnino horum dixit, ne cogitauit quidē, cæterum vt seruus fidelis & gratus, & qui vnum tantum sibi obseruandum nouit, vt quicunque Dominus ei suus iusserit, æquanimiter & faciliter ferat, quantumlibet illa tristia & accerba sint, ita plenissima piæ philosophiæ verba edidit. *Dominus, inquit, ipse quod gratū est in conspectu suo faciat.* Non solum autē ex loco isto, verum ex alio quoq; virtus eius animaduerti potest. Nam cum bello finitimorum lacesserentur Iudæi, profectusq; ad illum quidam belli cladem annunciasset, vtq; turpiter & miserabiliter illius liberi in ea dimicatione corruissent, eousq; quidē audiebat quietus, verum cū ille huic tātæ cladi arcam Dei direptā ab hostib. fuisse adiecisset, tū vero prę męroris magnitudine examinat⁹ senior, cecidit de sella

de sella retro iuxta ianuam, & contritus expirauit. Senex enim erat & grandæuus, & honorabilis; & ipse iudicauit Israel viginti annis. Tamē hic tantus vir nullo eorum excusari potuit quin periret, propter filiorum neglectum.

Et vos si cupitis euadere Dei vindictā, sedulam nauate operam, liberis educandis. Monet Paulus. Patres, educate filios vestros in disciplina & correctione Domini. Si facitis, & illorum & vestram salutem promerebimini. Amen.

CONCIO III.

Puer autem Iesus proficiebat sapientia &c. Lucæ 2. c.

De Christi & Crhistianorum profectu.

INTER beneficia quæ Deus max. Orbi post natum Messiam contulit, erat illud quod ab Isaia pronunciatum est. *Nō erit ibi infans centum annorum.* Non fuit ipse natus Messias. Namque vt à lacte depulsus fuit, statim maximos in virtutibus & sapientia profectus conceptos opere declarabat, nosque omnes exemplo suo, ad profectum virtutum incitabat. De hoc eius & nostro profectu, hodierno sermone tractabimus.

Isai. 65.

In Pymādro. *Anima ex denario numero generata, quid.*

Philosophorum omniū doctiss. Mercurius Trismegestus, asserit, *animas ex denario numero esse generatas*. Quærenti mihi cur? Venit in mentem numerus denarius, qui apud antiquos perfectionis index. Nā cum vltra denarium completum, alius numerus non detur: quotquot enim succedūt numeri, sunt repetitiones vel denarij, vel componentium denariū: recte denarius numerus pro nota sumitur perfectionis. Vnde animam esse generatam ex denario nihil aliud erit, quā esse, vel debere esse omnimode perfectā, ad imaginis & similitudinis increatæ perfectionem denariam completā. Zohar, apud Franciscum Gregorium recēset, in productione hominis verba illa, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, prolata fuisse à sacra Trinitate, quæ denas perfectiones à se manantes, voluit homini communicare, quas si seruaret, tunc perfectam imaginem & similitudinem Dei referret: si vero aliquam earum vel negligeret, vel amitteret, in imperfectorū numero censeretur. Itaq; denarius numerus, erit quasi mensura, ad quā proficere debent animæ nostræ, si suo formatori Deo similes esse desiderant.

Accreuit profectibus suis Christus ad eam sapientiæ, gratiæ & virtutum altitudinem, vt meruerit esse exemplar staturæ ad quam omnes eius cohæredes crescere iubētur. Quantū enim adolescebat corpore, tantundem & factis, & quo maior fiebat ætate, maior in dies euadebat illustratione virtutum. *Non erat infans centum annorum*, qui adhuc in vtero, mira gratiæ gesta in domo Zachariana edebat. Quatuor ex innumeris siue indices, siue regulas, de profectu, ex Plutarcho proferam, ad quas Christi profectum expendam.

Perfectionē animorū requirit Deus à nobis.

1. Regula. profectus in sapiētia.

Prima esto. *Homo virtutis cupidus, ne sibi satis sapere videatur, sed ingenium ad maiora & meliora semper exerceat.* Quēadmodum enim illi, qui passis velis vastum pelagus nauigant, non computant quantum confecerint, sed quantum superest spatium: sic & ille qui in studio sapientiæ decurrit, non quid didicerit, sed quid adhuc supersit cōsiderare debet. Sicut arundo ab initio pulcherrimo incremento adsurgit, inque æquabilē & continuam longitudinem magnis interuallis rara admittit interstitia: cæterum vbi in altum se erexit, si spiritum & humorē internodijs crebris præcludit, in capillamentum abit, spiritu ictum tremoremq; patiente, sic qui initio magno cursu ad sapientiam contenderunt, si animum despondent, ad meliora nullum profectum facientes, crebro in vanum impingunt, atque ab instituto auelluntur: ad extremum omnino defatigantur ac deficiunt, at vero alter ille, velut alatus, ad vtilitatē sapientiæ studio propositam recta fertur, omnesq; præcidit prætextus; v. & ala-

critate

eritate industriæ. Sicut igitur signum est amoris incipientis, non delectatio quæ pulchri præsentia percipitur (est enim hoc vulgare) sed morsus & dolor qui absente eo sentitur: ita signum sapientiæ est, non contemplatio veri quod sub aspectum cadit, sed vehemens desiderium totius assequendi. Quamobrem illum, quem cernis auulsum ac seorsum agentem, animo inflammatum, res omnes & negotia auersantem, ac quasi mentis impos esset, omnium oblitum, vnius sapientiæ assiduo commoueri studio, hunc tu inter sapientes accense. Non enim vt pigmento, sic sapientia, præsente oblectari, eam quæ deest non curare, vel sine molestia illa carere debet, quisquis sapientiam cupit: sed vere proficientis est, simile aliquid fami vel siti sentire; si vel amicitiæ vel negotij causa auelli contingat, ægerrime ab eius studio seiungi. Hæc quidem quam sint conformia S. scripturæ, facile est videre. Monita enim ille sapientiæ; *Circunda eam gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui. Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam, liga eam in digitis tuis, dic sapientiæ soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.* 1. nihil aliud insinuant quam assiduum studium indipiscendæ illius. *Audiens enim sapiens sapientior erit.* Proficiebat Iesus in sapientia apud Deum & apud homines, tantoque desiderio illius quam Theologi acquisitam vocarunt flagrabat, vt & noctes & dies omnem operam insumeret, quo aliquid præclari ex creaturis edisceret. Non enim per disciplinam ab hominibus, sed à rebus sensibilibus per contemplationem, scientiam istã vt docet D. Thomas acquirebat. Vnde siue sidera distincta, siue Solem luminarium Principem, siue globos ipsos cælestes & celeritate concitatos, & fulgoribus illustratos suspiceret, diuinum Numen immensa pulchritudine atque bonitate præditum, admirari & colere discebat. Si deinde oculos ad terram demittebat, & eam herbis virentibus indutam, floribus ornatam, plantisque onustam cerneret, omnia hæc in vtilitatem hominis proferre, in Dei amorem exinde se incitabat. Si demum fontes, fluuios, maria, metalla, gemmas, siue concreta alia ex illis initijs quæ elementa dicuntur cõsideraret, ex ijs primum naturæ secretas vires, deinde decentissimum ordinem perpendẽs, totum se, ad pulcherrima quæque componens, inquiebat. Ad nutum Dei orbes cælestes perenni motu voluuntur? Mihi quoque non est par Deo reluctari, sed in omnibus ad eius nictum obsequentem esse. Terra vario ornatu florum, vt purpura nitescit? condecoranda quoque mea est anima, multiflora spirituali venustate. Sublunaris orbis, maximis vtilitatibus præstat? Omnes etiam meum studium, omnes operæ, omnia quæ in me sunt, ad emolumentum aliorum conferenda sunt. Sic paruulus noster Iesus ex contemplatione creaturarum, magnos progressus in sapiẽtia faciebat. Propter hoc enim, mente & cogitatione omnia creata perlustrabat; propter hoc adultior factus, terras & maria & ciuitates obambulabat: propter hoc in deserto solitarius Angelorum contubernio delectabatur, vt nouis se eis offerentibus formis, nouas deciperet species, & solidam acquireret sapientiam.

Christi profectus in sapientia.

3. p. q. 12. ar. 3. quã ex creaturis acquisiuit.

Altera profectus regula esto. *Homo virtutis studiosus, passionibus repressis, virtutũ arduum facile conficiat.* Iam, *inquit Plutarchus*, quum omnium affectuum animi vacuitas, sit res magna ac diuina; profectus autem remissione quadam & mansuetudine affectuum constat; necesse est hominem virtutis studiosum, motus animi frænare. Sicut enim bonum recuperandæ sanitatis signum est, morbi in partes ignobiliores auersio: ita vitia proficiẽtium, dum vel in tolerabiliores mutantur affectiones, videntur paulatim extingui, vel si reciduntur penitus, perfectam virtutis indolem ostentant. Phrynidẽ quum septem neruis duos addidisset, Ephori interrogauerunt; *Superiores ne vellet an inferiores ipsis amputandos præbere?* Nobis autem & superiora & inferiora quæ excedunt modum, præcidenda sunt; siquidem volumus ad mediocritatem virtutis peruenire, & sane sicut diues qui augeri

2. Regula. Passionibus repressis ad virtutes tendere.

opes desiderat, etiam minimos sumptus ne faciat, contendit, sic recte proficiens nullum iam exiguum peccatum putabit, sed omnia studiose obseruabit & vitabit. Maceriam aliquam aut sepem inconditū parantibus, nihil refert obuium quodque lignum aut lapidem humi iacētem quoquo modo adhibere: ita & hominib. vitiosis omnia temere coaceruare: at qui in virtute exercenda proficiunt, quibus vitæ velut Sacri aut regalis ædificij iactum est aureum fundamentum, nihil eorum quæ agunt temere admittūt: sed veluti amussi rationis aptant singula atq; concinnant, quo de ædificio vsurpari potest Polycleti dictū, qui pronunciauit, eos *difficillimum opus tractare, quibus lutum est ad vnguem exigendum.* Accedit ad hanc regulam, quod ille qui virtutis est cultor, nec in somnijs quippiam contra decorum volutabit. Sicut enim iumenta probe cicurata, nec dimissis quidem à rectore habenis, à via, alio diuertere conātur, sed quomodo adsueuerunt iter sine errore aut offensa continuant: sic ille qui facultatem animi brutam ratione subegit, vt neque in somnis, neque in morbis porro cupiditatibus impellatur, vt contra rationis rectæ præcepta aliquid proterue agat. Nā si ipsum corpus exercitatione potest ita animum domare, vt vacuitatem perturbationis eius sequatur, partesque obsequentes prębeat; ita vt oculi in miseratione lachrymis, & cor obiecto metu, palpitatione abstineant: cur nō sit probabilius exercitatione partem animi quę affectib. est obnoxia, ita subigi, vt motus eius & imaginationes etiam ad insomnia vsq; lęuigentur, & recte rationi conformes redigantur? Proinde Zeno *etiam ex insomnijs suis vnumquemq; sentire posse profectus suos* dixit. Nimirum si neq; turpi aliqua re, se per quietem sibi videatur oblectari, neq; quicquam inhonestum vel agere, vel approbare, sed veluti in serenitate profundissima, & omnis fluxus experte, vis animæ imaginans affectionibusq; obnoxia, pelluceat à recta ratione illustrata.

Ad vnguē omnia facta exigere.

Etiam in somnis virtutem seruare.

In omnibus his profeceritne Christus, non est in controuersiam vocandum. Ipse enim gratia Diuina plenus, omnes affectus inferioris partis animi ita perfecte sibi subiecerat, atque plane suppresserat, vt neque corpus appetitui nec appetitus voluntati, nec voluntas rationi, nec ratio Diuinæ legi vel in minimo reluctaretur: sed obedientiæ & moderationis fræno in ordinem redactis omnibus, singula superiorum suorum exequebantur Decreta. Non oculus ab aspectu rei pulchræ igniebat, non cor ad offensam accendebatur, non affectus ad incedens deflectebat. *Ipse enim peccatum non fecit, neque dolus inuentus est in ore eius.* Quamobrem etiam hostes eius, cum trabem in aspectu ipsius quærerent, ne festucam quidem inuenire potuerint. Ita enim sese astrinxerat, vt audacter interrogauerit. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Namque & in somnis, nihil nisi quod Diuinæ conformaretur pulchritudini, corde vigili reuoluebat. Plato *feralem hominem illum esse* censebat, *cui in somnis ferales obijcerentur species*, quid nisi Diuinus erat, cui Diuina occurrunt? Christo non spectra turpia, non cruenti conflictus, non aliqua à Dæmone efficta figmenta sese offerebant, sed constantiā rationis adepto, veniebat in mentem imago Diuinitatis pulcherrima, ad quam se componere statuerat.

Christi profectus in virtutibus.

Ioan. 8.

Platonis dictum de insomnijs.

Tertia profectus regula esto. *Hominem virtutis studiosum multum iuuabit, si quæ laudat, in alio imitetur, quæ vituperat, non admittat.* Talis Themistocles, *qui Miltiadis trophæis somnum sibi adimi, eisque se excitari è lecto*, fassus est. Parum itaque nos profecisse arbitremur, dum nos præclare agentium otiosa admiratio, non ad imitanda eorum facta impellit. Nam neque cibi amor efficax est, nisi fruitio adsit, neque laus virtutis ardens atque strenua est; quæ non pungit, neque stimulat, & loco inuidiæ æmulationē ingenerat bonis, idem præstare cupientem. Non enim ad orationem duntaxat sapientis, vt dicebat Alcibiades, *animum conuertere, & lacrymas excutere:* sed qui vere proficit multo magis viri boni & perfecti actionibus sese comparans, simul mordente ipsum inopiæ suæ conscientia, & spe, desiderio-

3. regula imitatio virorum illustrium.

derioq; lætitiam afferēte, plenus inquieto impetu, *Volet*, quod est apud Simonidem, *lactens veluti pullus, equum cursu assequi*, tantum non in idem corpus cum præstante viro coalescere affectans. Quādo igitur sic incipiemus bonorum esse amatores, vt non modo, sicut Plato ait, *ipsum temperantem putemus beatum*, sed & gestum eius & incessum & vultum admirantes charumque habentes, parati nos simus ei quasi concinnare & agglutinare, tunc existimandum est nos vere proficere, idque eo magis, si non modo rebus vtentes secundis eos admiremur, sed sicut amatores formosorum etiam balbutiem aut pallorem diligunt. Nam & Araspem lachrymæ quoque, & mæstitia lugentis, & calamitates afflictæ Pantheæ perculerunt: sic nos neque exilium Aristidis, neq; carcerem Anaxagoræ, neq; paupertatem Socratis damnationem neq; Phocionis. Et vt ad nostros transeam, neque vincula Pauli, neque flagella Apostolorum, neq; lapidationem Stephani, nec deniq; Crucem Iesu formidemus, sed virtutem etiam cum his amore dignam sentientes appetamus, ad singula vel Euripidis hunc versiculum accinentes.

Proh, quam virtute præditos omnia decent?

Vel Paulinum vsurpantes. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Consequens itaque erit, vt virtutis studiosus, quum rem aliquam aggredietur, vel casum occursantis fortunæ aspiciet, ante oculos sibi proponet exempla virorum, cogitabitq; quid dicturus fuerit hoc loco constitutus Plato, quid facturus Epaminundas, qualem se gesturus Lycurgus aut Agesilaus, & vt nostros quoque attingā, qua mente esset Paulus, quid diceret Petrus, quid ipse Christus, vt velut in speculum intuens, ornet se atq; componat, ne quid indecorum vel dicat, vel faciat.

Christus imitatus est parētē. In hoc autem quomodo Saluator Iesus proficeret, non vobis obscurum est. Ipse enim totus pulchritudinis & honestatis exemplar supremū continens, vitā suā omnē moresq; vniuersos ad instar Dei cōformabat. Vnde ait ipse. *Nō potest filius quicquā facere à seipso nisi viderit Patrem facientem, &, Omnia quæcunq; Pater facit, hæc & Filius similiter facit, nec latū crinem à perfectione paterna discedit.* Quo factum est, vt Patri se assimilem probans, eidem & Spiritu Sancto se spectaculum exhibuerit, ita vt Pater voce cælitus tonante eius perfectioni suffragratus fuerit. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cōplacuit, ipsum audite.* Hic est enim imago & character Diuinæ bonitatis, & natus, & datus ad exemplar perfectionis vniuersæ. Quapropter Petrus monens docebat. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exēplū, vt sequamini vestigia eius.* *Matth. 3.*

4. regula gloriæ contemptus. Quartam profectus regulam statuit Plutarchus, *Ostentationis contemptum* seu *cautelam. Proficientis*, inquit, *in virtutis studio est, nihil ad ostentationem & pompā facere.* Si enim verus honestæ Virginis amor, non requirit testes, sed fructum percipit suauem, etiamsi occulto rei desideratæ cogitatione fruatur, multo magis conuenit Sapientiæ & honestatis studiosum, quum agendo fruitur virtute, ipsum apud sese tacitū animo contineri, nec efferri aut laudatores requirere. Sicut ergo ille qui domi ancillam vocans clamabat; *Certe Dyonisia deposui fastum*, ita & hic qui egregium facinus passim narrat, satis aperte ostendit se foras respicere, nec fuisse virtutis, sed gloriosæ sectatorem, prudens, & proficiens, si quid amico bene fecit, si sententiam iustam dixit, si petitionem aut rem inhonestam auersus est, secum id seruabit. Sic enim ipse sibi placens, neq; seipsum contemnens, sed gaudens seipso contentus, vt satis idoneo spectatore bonorum, ostendit rationem iam intra se conuersam radices agere, & quod Democritus iubet, *ex seipso sui oblectandi materiam petere*, edoctum esse. Agricolæ spicas libenter vidēt, quæ inclinatæ versus terrā vergunt: quæ enim erectæ sunt, eas putāt esse fruge vacuas: ita & virtuti dare operā volentium, qui maxime vani sunt & grauitatis expertes audaciā ij habēt, vultumque & incessum superbiæ ac contemptus nemini patētis: qui vero fructū ex virtute colligunt, ij maxime sunt modesti. Sicut vasis humorē recipiētibus

inanis aër eliditur: ita hominibus quando veris implentur bonis fastus decedit, & arrogantia remittitur. Talis ille iuuenis ingenij probi, qui hoc nomine compellatus, rubore perfusus & subindignans mature sic occurrit.

Non ego sum Deus, ad quid me cœlestibus aquas?

Christi perfectus in cōtemptu gloriæ. Profectum virtutis in contemptu gloriæ, demonstrauit Christus. Nam cum ei nihil ad sapientiam, nihil ad gratiam, nihil ad virtutem perfectam deesset, nō hominem sed Deum testem facinorum suorum, esse volebat, neque ab hominibus, sed ab ipso Deo laudem requirebat.

Orandum erat? in cubiculum vel solitudinem se abdebat. Macerandum corpus? In desertum à spiritu ducebatur. Patrandum aliquod opus? Vel à turba educebat quos persanabat, vel deniq; ne cuiquam dicerent omnino præcipiebat. Quod si sapientia, gratia & virtutibus corā Deo & hominibus proficiens, quandoque diceret, *Discite à me quia mitis sum* *Matth. 11.* *& humilis corde*, non laudem exinde capiebat, sed quia absolutum perfectionis exemplar fuerat, humilitatis & contemnendi contemptus studium inculcabat.

Esset quod in nobis ad Plutarchianam amussim conformarem. ---sed--- Pudore suffundor quod video Gentilium maiores in virtute progressus, quam nostros. Nolo in medium adducere quomodo illi in adipiscenda sapientia indefessi, in comprimendis affectibus inuicti, in vitandis etiam per somnum peccatis soliciti, in consectanda virtute magnanimi, in contemptu contemptus prope Diuini fuerint; ita vt nihil fere quod ad ornatum & perfectionem denariam animæ illis, in suo genere defuerit. Moneo quod & Paulus monebat atque oro. *Crescamus in vnitate fidei & agnitionis fidei, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, qui non fuit *infans centum dierum*. Non sit etiam tam decrepitus pusio inter nos. *Puer enim centum annorum morietur*, qui autem indies seipso fit maior, pertinet ad regna cœlorum.

Amen.

DOMINICA SECVNDA POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt in Cana &c. Ioan. 2. cap.

CONCIO I.

Christiano, ducendane vxor? Consilium.



Adami & Euæ cōnubio voluit Deus non tantum interesse, sed etiam benedicere. Sic etiā dum recens orbi innotuit, dignatus est nuptias istorū, præsentia & miraculis illustrare. *Honorabile siquidem est connubium, & thronus immaculatus*, si ad regulas Tobiæ senioris ineatur. Sed quam rarenter id videatur, maxime dolendum, & ab his qui nondum illigati, cauendum est. Quamobrem institui differere, Sitne Christiano ducenda vxor, an non?

Diuus Paulus statim occurrit, qui decernit, *non esse ducendam. Bonum est*, inquit, *non nuptis, si sic permanserint sicut & ego. Bonum est enim homini mulierem non tangere.* *1. Cor. 7.* Sed cur? Multæ se offerunt rationes, sed prima hæc esto. *Rara phœnix in mundo, Bona mulier.* Hem? Ducenda ne vxor? Tinniunt vobis aures? Aio. Nō ducenda. Magno enim te periculo committis, magno malo te inuoluis; si hanc Phœnicem, nō inuenis. Non me sed D. Chrysostomum audite, qui malarum mulierū mores delineauit. *Nulla*, inquit, *in mundo bestia similis est mulieri malæ.* Quid inter quadrupedia animalia leone sæuius? Sed nihil ad hanc. Aut in serpentibus, quid dracone atrocius? Sed nec hic quidem iuxta mulierem malam & linguosam cōferri potest. Nam & leo & draco in malo inferiores sunt. Vt Salomon dicit. *Cohabitare leoni & draconi melius est, quam cum muliere mala & linguosa.* Et ne putes Prophetam in ironia hoc dixisse, ex ipsis rebus disce manifestius. Danielem in lacu leones reueriti sunt, iustum vero illum Nabuthem Iezabel interfecit. Cætus in ventre Ionam custodiuit; Dalida autem Samsonem circumuentum illecebris, raso etiam

Non ducēda vxor propter periculum, ne mala inueniatur, quarum infinitus est prouentus.

Ecclesi. 25. Nam tunc melius esset draconi & leoni cohabitare.

etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones, & aspides, & cornutæ, Ioannem Baptistam in deserto viuentem subdita virtute timuerũt: Herodias vero eidem caput abscidit. Heliam corui in monte pauerunt: & Iezabel eum post illam redditæ per ipsum terris pluuiæ gratiam persequebatur. Et timuit Helias, & abijt in desertum, ille qui totius mundi statum & cœli pluuiam linguæ potestate portauerat, qui ignem è cœlo eduxerat, qui per virtutem mortuos suscitauerat, hic timuit mulierem. Non est enim malitia super malitiam mulieris. Per mulierem, Adamum Satan in paradiso prostrauit, & de paradiso exterminauit. Per mulierem, mitissimum Dauid in homicidiũ Vriæ armauit. Per mulierem, sapientissimum Salomonem, in præuaricationis sacrilegium præcipitauit. Per mulierem, fortissimum Samsonem ligauit, excæcauit, & in manus hostibus tradidit. Per mulierem, castissimum Ioseph vinculis alligatum detrusit in carcerem. Per mulierem, diluuium in totum orbem induxit, & vix septem animas propagando generi reliquit. Propter mulierem Madianitidem, populum Israëliticum fornicatione & idololatria commaculauit; inque Dei odium adduxit. Per mulierem, Sychimitas olim deleuit; & Patriarcham Iacob exosum Chananæis fecit, propter mulierem, tribũ Beniamini integrã fere ad internecionem cecidit. Per mulierem, illum totius mundi lucernam Ioannem capite truncauit. Et quid dicam de hominibus? Per mulierem Angelos de cœlo deposuit; id est homines sanctos qui ad cælum pergebant. Per mulierem cuncta omnino prosternit, & iugulat, omnes interficit, omnes elidit repletos ignominia, & honore vacuatos. Mulier enim impudens, nemini parcit, non Leuitam honorat, non Sacerdotem reueretur, non Prophetæ defert. Malum omni malo peius mulier mala. Scio ego & aspidas blandimentis incantantium mitigari, & leones, & tigros, & pardos domita feritate mansuescere: mulier mala nunquam cicuratur. Timore enim Dei nescit frænare linguã,

Malæ mulieres quã mala.

Strages quãta per mulieres.

vnde nec in futurum iudicium prospicit. neque ad Deum attendit, nec amicitiæ iura seruare, nec religionis fidem nouit vereri. Nihil est ei, virum suum tradere ad mortem. Volebat iustum illum Iob, mulier ad mortem dare: *Dic*, inquit, *verbum in Deum, & morere.* O malignitas ineffabilis. Non est miserta viro suo, cum videret omnia eius membra atque vitalia vlceribus ignitis ardentia; non est inflexa ad misericordiam, cum aspiceret eum doloribus inuolui & duris cruciatibus constrictum in agone funereo conflictari, non est mitigata affectu vxorio, cum illum quem regali quondam purpura amictum viderat, tunc in aggere stercoris nudato corpore iacentem videret. Non est recordata pristinæ consuetudinis suæ cum eo, neque quanta per ipsum gloria in diuitijs & honoribus floruisset, sed oblita omnium bonorum, quid ait? *Dic verba contra Dominum & morere.* O gratia coniugalis, ô malagma doloribus leniendis accommodatum!

Iobi vxor ad blasphemiã virũ ducit.

Vis videre & aliam in malitia supparem? Da mihi Dalidam. Nam & ipsa fortissimum illum Samson virum suum nouacula rasum & vinctum, allophilis hostibus in prædam & ludibrium tradidit, illum cubilis sui cõiugem, cui mollissime blandiebatur, & quem seipsa chariorem habere existimabatur. Et quibus odiorum causis displicuerat vxori? Forte non erat speciosus? Et quis eo pulchrior illo tempore videbatur; qui septem crines sacrato vertice in septiformis gratiæ imaginem præferebat? An vero non erat fortis & contemptu ignauiæ spernebatur? Et quis illo fortior, qui leonem terribilem venienti sibi obuiũ, solus & inermis iniectis manibus strangulauit, & sicut hædũ caprarum discerpsit? Quis illo robustior, qui vna die vetustis ossibus asini, mille Philistæos prostrauit? Sed præterea & Sãctus erat, atque intantum Sanctus, vt cum sitisset post laborem pugnæ, in loco sicco deprecatus in defectu animæ suæ Dominum, statim ex ipsa maxilla quam in manu tenebat, erumpente aqua biberet, atq; inde sitis ęstum ex eodem mortui pecoris

Dalida tradit.

osse quo vicerat, refectus extinxerit. Et hunc talem & tantum virum, & pulchritudine, & virtute, & sanctitate, vxor sua sicut inimicum despiciens alligans, allophilis tradidit. Vnde illi forti viro præualuit? Vnde? nisi ingenita malignitate. Nāque subdola irrepsit in præcordia mariti simplicis, & importunis obsecrationibus atque illecebrosis blanditijs fatigatum, arcano illo virtutis suæ martyrio spoliauit, atque ita derasis crinibus virtute nudatum funditus euertit, vt quem multa millia hostium armata non vicerant, & ab inermi prostrata corruerāt, hunc vxor propria, sine armis, dolo malitiæ armata conuicerit. Dic mihi, quæ bestia contra masculum suū talia aliquando meditata est? Quæ dracena vult masculum perdere? Quę læena marem suum iugulandum tradidit? Vides ergo quia apte dixit sapientia. *Quoniam non est caput super caput serpentis, & non est malitia super malitiam mulieris.* *Eccles. 25.*

Mariticidæ. Subeant istud theatrum malitiæ muliebris, & aliæ, ne morbo inuidiæ tabescant, quod præ illis famosis, nihil ex hac gloria populari decerpere, si illas silentio obuoluerem, potuerint. Veni tu Clytemnestra, & auxiliante Ægysto, quo cū stupri cōsuetudinem habuisti, Agamemnonem maritum interfice. Succedat Semiramis, quę cum à marito Nino impetrasset, vt diem vnum modo in regio sederet tribunali, obiretque munus regium iuri dicendo, sanciendoque quæ viderentur, exploratis satellitum animis. Ninum ipsum apprehendi iussit, & in vincula cōijci, ac postremo interimi. Hoc celebrius factum quod sequitur. Danaus Beli filius quinquaginta habuit filias, quæ totidem Ægypti filijs nupserunt, factaque simul coniuratione, omnes maritos nocte vna interfecerunt, præter Hypermnestram, quæ Lynceo viro pepercit. Amphyaraus vates, quum præuidisset se periturum Thebis, si eo ad bellum proficisceretur, coniecit se in latebras & occuluit. Eum tamen prodidit vxor Eryphile, spe habendi monilis aurei, quod gerebat Polynices. Itaque vxoris fraude coactus ire Thebas, hiatu terræ absorptus dicitur. Fabia mulier Fabium Fabricianum interfecit, vt liberius posset lasciuire cū Petronio Valentiniano, liberali forma adolescentulo, quo cum adulterij consuetudinē habebat Liuia Cęsaris Augusti vxor, verita ne Agrippam filium Agrippæ in vrbem reuocaret Augustus, ad imperium ei relinquendum, ficus adhuc pendentes in arbore, quas Octauius manu sua decerpere consueuerat, illiuit veneno; cumque ipsa comederet eas quæ illitæ non erant, ei venenatas offerebat. Vnde cum profectus in Campaniam ludos apud Neapolim faceret, Nolæ extinctus est. Scribit Volaterranus, Albinā quandā Syriæ regis filiā, duas & triginta habuisse sorores, quę totidē maritos interfecerunt, expulsasque propterea à Patre venisse in Britanniam, & à nomine Albinæ, insulam vocasse Albionem. In hoc ordine lego Cyrce veneficam, quæ Sarmatarum regem cui nupserat, veneno necauit, lego Helenam, quæ Deiphobum, cui post Paridem adiuncta erat, toto corpore inhonestis plagis deformata ex insidijs occidit. Lego Candaulē Lydorum regis vxorem, quæ cum Gyge satellite contra maritū conspirauit. Lego Thebem Alexandri Pheræi vxorem, quæ ipsum dormiētem iugulauit. Lego Liuillam Drusi coniugem, quæ cum Seiano adultero, in mariti mortem consilium iniuit, suamque operam adhibuit, vt ille veneno interficeretur. Lego Agrippinam Tiberij Claudij, maritum veneno sustulisse. Lego Gandulphum pro fide Christi martyrē, ab vxore interemptum esse, & quis alias numeraret, Locustas, Lucillas, Cosimundas, Ioannas, Fridegundas, Elizabellas, quæ maritis exitio fuerunt, hocque nomine famam posteritati reliquerunt? Inscribamus itaque hæc elogia Aræ muliebri. Rara phœnix in mūdo Bona mulier, &, *Melius est cohabitare Leoni & Draconi, quam mulieri malæ*, & quatuor M. M. M. M. Mulier Mala Mors Mariti.

Clytemnestra. *Semiramis.* *Danai 50. filiæ.* *Eryphile.* *Fabia.* *Liuia.* *Albinæ 32. sorores.* *Cyrce.* *Helena.* *Candaulis.* *Thebes.* *Liuilla.* *Agrippina, Gandulphi vxor & aliæ.* *Elogia mulierum.* *Eccles. 25.*

Bene bene, dixerunt ante nos alij.

Ah! crudele genus nec fidum fœmina nomen. *Tibull. l. 3. eleg. 4.*

Ah!

Ah! pereat, didicit fallere, si qua virum.

Secundus Philosophus interrogatus, quid esset mulier mala? respondit. *Viris naufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, bellua conuiua, solicitudo considens, leæna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, malum necessarium.* O si ista ego singillatim deducerem, quam gratiam à vobis innupti haberem, ne in hanc Scyllam incidatis? *Viri naufragium*, inquit, est mulier. Nam ille versus vulgaris, ex tripode:

Mulier mala quid.

Adam, Samsonem, Petrum, Dauidem, Salomonem,
Decepit mulier: quis modo tutus erit?
Sed abstineo.----

Votum Dionis propter mulieres cōceptum.

Concludo & voueo cum Diogene, is quum aliquando vidisset mulieres ex oliua pendere, laqueo præfocatas: *Vtinam*, inquit, *& cateræ arbores similes ferrent fructus.* Dico de malis, quarum, sicut & stultorum, infinitus est numerus. Non igitur ducenda est vxor Christiano viro, nam qui cogitat, magno se periculo committit, ne pro Sara Agarā & pro Rachele Lyam, & pro proba improbam ducat, & si illam Phœnicem non inuenit, mortē sibi manibus proprijs accersit, lentam, incruentam, sed morte ipsa magis amariorem, imo & quandoque cruentam. An audistis illas duas & triginta, & illas quinquagenas, & illas deinceps quas recensui & non recensui, manus mariti iniecesse? Tu qui sapis, nec te periculo committe, nec te huic Scyllæ & Charybdi inuolue, aut crede. Vis audire quid Hieronymus dicat? *Optima fæmina, quæ rarior est Phœnice.* Omitto disserere de ijs, quæ vos ipsi vel inuiti sæpe numero cōfitemini, quod velletis potius dæmonibus cohabitare velle, quam vxoribus, & cur?

2. Non ducen. quæcunque enim obgerit: non felicitat.

Duas adhuc subnecto causas cur non ducenda vxor Christiano viro: quarum hæc à plurimorum quotidiana experientia esto. Ducas quam volueris vxorem, formosam, turpem, diuitem, pauperem, nobilem, plebeiam, viduam, virginem, non vinum sed absinthium in matrimonio gustabis. Si formosam? memento, quia *rara concordia famæ & pudicitiæ*, vt veteres dixerunt. Si deformem, sempiternam nanscisceris pœnam, non eam propter vitium corporis intenso diligens amore, tum deinde, quæ *monstrum est in corpore, monstrum solet esse in anima.* Si nec turpem nec speciosam? Tibi summopere displicebit, ei plurima ad speciem deesse. Si diuitem? te in seruitutem ferream coniecisti. Si pauperem? duplici miseria, labore & solicitudine te implicasti. Si pætis oculis? communem duxisti, propter quam personatus vel laruatus incedes, digitoque monstraberis Cornelius Becchus.

Si nobilem? totam substantiam effundas necesse est, in vestimenta, gemmas, monilia. Alias existimes te cum cornice cubaturum, quę auribus tuis totas noctes insusurrans, vel te conuitijs proscindet, vel alias tibi nectet ambages. Dicet. Ego vnicam vestem vix, & hanc de serico vili singulis diebus vestio; aliæ byssinas, holosericas sex & octo habent, ego pedibus Ecclesiam ire cogor: alię curribus vehuntur, ego vnam vix ancillam habeo: aliæ seruorum & virginum stipatæ cateruis in publicum procedunt, hæc & illa pomposa cum fastu diebus solēnibus vel in conuiuijs comparet, ego domi delitesco misera. Si ei auscultaueris; illa propter te à verecundia excidet, & malam atque perniciosam se multo exhibebit. Nam & ornabit se curiosius, & delicatiorum vestium, & progressus in publicum multam curam habebit, & quæ non licent continue nugabitur, & te si non manifeste, certe secreto irridebit, atque sua gloriabitur tyrannide. Si non obaudies, eiusque preces aspernaberis, quos cruciatus à probris illatis non sustinebis? præsertim si illa, vt est hoc genus hominum, contentiosa, aut garrula.

Diogenes conspicatus mulieres garrulas inter se colloquentes, *Aspis*, inquit, *à vipera venenū mutuatur.* Talis si tibi cōtinget vxor, vel à matre, vel ab ancilla, vel à vicina mutuabitur venenum, quod in te effūdat. Quę vobis colloquia in Ecclesia, ô Bonæ,

ô Bonæ? Quæ in congressibus? Sed non reuelo. ——Cyrce, vel Megæra, vel aliqua furia infernalis nescio an magis diræ, quam istarum aliqua procax.

Apoh. in mulieres. Protagoras interrogatus, quã ob causam, inimico, filiam nuptam duxisset? respondit, *Quia nihil ei dare poteram deterius.*

Ridendus Democritus Philosophus, quod is cum magnus esset, & paruam duxisset vxorem, percontatus respondisset, *Ego in eligendo malo, quod minimum erat, elegi.*

Melius Aristippus, qui mulierem paruam sed pulchram conspicatus inquit. *Paruum quidem pulchrum, magnum autẽ malum.* Et reuera magnum malum, & intolerabile malum. Namque si ei placebis: consanguineis tuis rigidior euadet. Si non: suos in te concitabit. Si in eam imperium vt decet, exercebis: hydram in te commouebis. Si te ei, quod dedecet, subieceris: Viperam momentaneam experieris, quæ te exedet aut etiam enecabit.

Quod si forte continget tibi aliqua & nobilis & diues, & formosa, & modesta, & tui amans, (at id quã rarenter contingit?) plurimis adhuc vexabere malis. Vel enim sterilitate, amaram tibi dotem inducet, vel partubus flaccescet, vel immatura morte aut sua, aut paruulorum luctus tibi ministrabit, aut contumaces tibi generabit, aut aliquo alio malo, voluptatem distemperabit.

Sed ponamus, omnia tibi ex animo successura, (at quis est tam felix, quem calceus iste non premat?) quid est illud solens nuptis, quod mulier à Deo auertit? An tu qui liber es, Deo coniugem præeliges, quæ te à Deo secernat? Namque secernit & auertit. Secernit propter curas quotidianas. Qui enim iunctus est vxori, cogitat quæ sunt vxoris, quomodo placeat vxori, & diuisus est.

Nostis curas, quas curatis, qui curatis, an illæ tam potentes. Auertit deinde assiduo conuictu, ex quo quam vrentes flammæ, quæ flammam Dei amoris extinguunt.

Pauli animum auertebat à Deo, stimulus ille ad tentationem datus? quid non faciet, ille voluntarie propter voluptatẽ ascitus? Anachoretæ exanimes fere tamẽ propter interpositas cogitationes, auertunt se à Deo? qui illas noctes diesq; voluunt, quomodo placeant vxori, an non magis se auertẽt? Vos qui iugales, vos ipsos sæpe proditis, vos non posse Diuinis rebus, vel propter iugalem morosum, vel propter rem familiarem onerosam vacare.

Quamobrem quisquis sapis, ne te periculo committito, ne te malo inexplicabili inuoluito, neque te propter breuem sed absynthio mixtam voluptatem à Deo secernito. Si facis? Deo cui te consecrabis, puram & sinceram dulcedinem degustabis, nunc & in secula. Amen.

CONCIO II.

Nuptiæ factæ sunt in Cana, &c. Ioan. 2. c.

Catholico ducendane vxor alterius religionis.

EO consilio Euam Adamo cõiunxit Deus, vt illi auxilio foret. *Faciamus*, inquit, *ei adiutorium similem sibi.* Quamobrem semper illis fauebat connubijs, in quibus vir & vxor bene consentientes, mutua opera se iuuabant, in rebus ad vitæ cum spiritualis tum temporalis vsum pertinentibus. Nec tantum fauebat, sed & multam benedictionem eiusmodi nuptis impertiebatur. Fecit hodie, & in gratiam contribulium, aquam in vinũ commutauit. Hinc exoritur propositio quam tractandam suscepi, *Catholico non est ducenda vxor, alterius religionis.*

Vxor viro iuncta esse debet in adiutorium. 1. Fidei mutuæ seruandæ. 2. prolis instituendæ. & 3. vitæ atque religionis cõseruandæ. Itaque Catholico non est ducenda hæretica, nam in his tribus non modo non iuuabit, quinimo magis pessundabit Catholicum. In primis enim fidem matrimonialem à tali vxore frustra *1. Catholico nõ ducenda hæretica, quia fidem nõ seruabit.*

esse

esse requirendam, persuadent instituta, quibus à Ministellis seducuntur.

Eo enim impudentiæ processerunt isti, vt nihil magis prædicent, quã illud quod Lutherus vulgauit. *Vt non est in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est etiam mei iuris vt absque muliere sim, & fæminæ sociari tam est necessarium quam edere, bibere, dormire, &c.* Ad hoc dogma Molochi stabiliendum, præiuit exemplo ipse Lutherus, qui cum sacram Vestalem incestasset; nec eis congressibus sacrilegis exsatiatus iubebat, *si non vult uxor, veniat ancilla*, à quo exemplo, & dogmate de Venere tam necessaria & promiscua quam cibo & potu, pudet recensere quam turpiter omnia loca, stupris, libidinibus, adulterijs apud omnes hæreticos redundent. In Scotia quidem vbi conciones ad hãc Lutheri normam, de hoc necessario Veneris vsu creberrimę sunt, fidelissimi Scoti testantur, homines quasi lege deuinctos ad Venerem exercendam tuere, *vt nec senex octuagenarius ea carere possit: & ministrorum fere neminem esse, qui aliorum vel vxoribus, vel ancillis sibi temperet.* In Anglia item celeberrima & creberrima, *teste Gulielmo Rossæo*; esse repudia, diuortia, adulteria, vbique ab ipsis Archiepiscopalibus (*si Dijs placet,*) palatijs ad misertima ministrorum tuguria descendendo, & laicum ordinem (vti necesse est) à suis Doctoribus & ministris eandẽ impuritatis fæcem & colluuiem trahere, ipsa iudiciorum subsellia, & infames superintendentium historiæ, & quotidianæ de diuortijs & nouis nuptijs lites nimis luculenter probant. In Germania quoque, Boemia, Silesia, qui Lutheranæ sectæ valde sunt addicti, & hodie eam soli fere scriptis suis sustinent, ijdem cum de moribus suorum laxis & dissolutis loquuntur, quanquam inuiti, concedunt tamen *scortationes, ebrietates, multo magis quam antea in Germania inualescere, quia maiorem quam alias vnquam crescendi habent libertatem, & luxuria* (inquiunt illi) *iam omnes verecundiæ fines perrupit atque excessit, & inuentus indies fit deterior & intractabilior, eaque vitia audet perpetrare, quibus olim adulti vix erant obnoxij. Tristes passim querelæ resonant de iuuentutis petulãtia & malitia quæ incorrigibilis plane videtur.* Huic adiungatur vniuersalis quędam vitæ morumque corruptio, quæ statim huius Euangelismi prædicationẽ excepit, à qua inchoata vix quinquennium in Saxonia præterierat, quum Lutherus, *coactus est visitatores mittere, qui populum in omnem licentiam ruentem cohiberent, imo qui eos à Paganismo reuocarent,* idemq; libere professus est, *malle se pristinum Papæ ac monachorũ regnum, quam hoc hominum genus sub Euangelij prætextu in Sogdianorum vitam sese proripientium. Idẽ in suis ad me literis* (inquit Erasmus) *deplorauit. Melanchton, idem in colloquio fassus est Oecolampadius.* Lutherus autẽ quã præclare de suis sentiat, audite. *Futura,* inquit, *vitæ rationem habent nullam, sed sicut credunt ita viuunt. Sunt & manent sues, credunt sicut sues, & sicut sues moriuntur.* Caluinus autem de suis addidit. *Honestum euertunt* omne, quod etiam apud gentes semper inuiolabile fuit, & in omni libidinum etiam beluinarum genere volutantur. Carolus Schmidt inter primarios ciues natus *Wratislauiæ*, nonnemini Lublinensium & Gedanensium notus, solet de sua patria, licet ipse quoque hæreticus, dicere, quod *peragrasset varias Italiæ Galliarum & Hispaniarum vrbes, sed quæ magis Venere promiscuaque libidine magis sit infamis, se vidisse sub Sole nullã.* Ita profecit Lutheri doctrina apud istã nobilẽ Silesiorum vrbem, ne inferior alijs confæderatis sibi in hæresi ciuitatibus videretur. Tali doctrina imbutæ fęminę, ab educatione paterna petulantissimæ & natura ignea salaces, sciunt obsequi, & siue ille vir sit siue non: rem dico siue agnatus, siue cognatus, vocatæ, prouocatæ, non prouocatæ etiam, solentissime prostitutæ euadunt. Tu itaque qui in religione Catholica fidem datam vxori, morte sola dirimendam putas, qui adulterium matrimonij pestem peius cane & angue odis, qui continentiam certis diebus seruare ex ritu prisco solens, & tali fidem matrimonij exspectas, cui solenne quouis tempo-

Nam docta promiscuam venerem tam necessariam esse quam cibũ &c.

Hamilron. in Caluin. contus. demonstratione lib. 2. ca. 29. Nã salaces ab institutione.

Wigand. de bonis & malis. Germania.

Nam moribus corruptis.

Erasm. in epistola ad fratres infer. Germania.

Enarrat. Corint. 15.

Instruct. aduer. Libertinos. cap. 18.

tempore, cum quouis viro, patre, fratre etiam congredi? Falleris, si ab illa cui talis necessitas Veneris, qualis cibi & potus. Falleris si ab illa, quæ lasciuiæ parentum exempla (*raro enim hæreticus diligit castitatem*, vt ait Hieronymus) quotidianis obiecta conspectibus intuens, ea sibi imitanda existimat.

Infinita propemodum & quotidiana vobis proferrem, fidei ab eiusmodi vxoribus violatæ Catholicis viris exépla: illo vno quod & clarissimum, & sua magnitudine abominandum est contentus ero, quod nostri aspexerunt parentes. Hẽricus viij. Angliæ Rex, repudiata sanctissima illa Catherina priore legitima vxore duxerat contra omne ius & fas Annam Bolenam hæresi corruptam, & vt orbis vidit, suam filiam. Ita cantillabant pueri in plateis.

Anna Bolena Filia & vxor Henrici Angli; quam salaxcarmina in exequ. regina Scotia Parisijs anno 1587.

Iuno Iouis soror atque vxor, verum Anna Bolena,
Et spuria Henrici filia, & vxor erat.

Hæc & matrimonij iure, vt marito vxor, & sanguinis coniunctione, vt filia patri; & conditione beneficij, vt subdita Domino; & sublimitate maiestatis vt Regi Regina, adstricta erat seruare pollicitam fidem. Seruauerit ne? Minime, sed petulcam lasciuiam fæminarum hæresi infectarum, exemplo suo orbi monstrauit. Nam thoro regio non contenta, vt salacissima iuuenca cuius se vulgabat, nec promiscuo Aulicorum congressu exsatiata, fratris etiam germani à multis annis expetitos consummauit complexus. Testatur hoc non aliquis Sanderus, Morus, aut sanctissimus Rofensis martyr, sed mortis decretum in Annam ab Henrico prolatum, quod eam adultero reperisset corpus vulgantem. Vides quam fidem seruauit ista marito? Vides quia doctrinam quam ab hæreticis de promiscua Venere hauserat, etiam Henrico nupta non deseruit? Nec leges matrimonij, nec beneficij vinculum, nec status & dignitas sublimis, nec sanguinis iura, nec denique naturæ horror, semel conceptum de vsuaria Venere opinionem ex eius animo euellere poterat, quin se omnibus, Regina, vxor, ancilla, filia insuper mariti sui existens exponeret, quin etiam quod ipsa exhorrescit natura, fraternos expeteret vsus. Nihil illæ persuasiones efficere poterant. *Beneficio maximo Regi deuincta sum? qui beneficium inuenit, compedes inuenit, quibus constrictus vni beneficio omnem fidem impendere debet. Matrimonio copulata sum? prius vitam quam pudorem coniugij prostituere mihi congruum est. Regina vniuerso orbi conspicua sum? infandum est, me famulorum expetere amores, & ab orbe nupero & postero scortum vocari. Filia denique & vxor parentis & mariti mei sum? Portentum ille est certissimum humana specie, qui communione sanguinis charissimis parentibus illigatus, Sacrum hunc nodum soluit.* Nihil horum quæ vel feram mouissent, Bolenam affecit; & seruorum, & Aulicorum, & fratris ipsius exambiens congressus, ad quem modum hæresi infectæ femellæ fidem viri sponsam retineant, certissimo documento commonstrauit. Et tu qui aliquam eiusce factionis mulierculam, non adeo nobilem, neque ad tam præcelsum gradum, in matrimonium assumere cogitas; quæ quidem sit à lasciuis parentibus hæreticis prognata, eorumque libidinibus aspiciendis innutrita, quæ ancillarum & aliquando puerorum experta sit non nominandos contactus; quæ ad naturæ ignea incentiua, moribus corruptis, nouos ignes ex doctrina ministrorum de Venere tam necessaria quam cibo conceperit; quæ quid fides, quid continentia sit ignoret; quæ nõ à tot vt Bolena custodiatur ancillis, matronis, satellitibus; quã non sanguis, non beneficium, non dignitas, non maiestas, non facti turpis infamia à scelere deterreat, imo leges religionis naturæ vitio adiunctæ ad scelus impellant, tu existimas illam tibi fidem integram seruaturam? Falleris si existimas. Neque enim fidum esse potest vario igne succensum ingenium: neque vero quæ non ijsdem rebus mouetur & natura consentit, aut fidelis, aut stabilis esse potest.

Accedit, quod, *Catholicus ducens vxorẽ hæreticam, frustra dilectionẽ coniugalem ab ea ex-*

on expectat. Docebat naturæ scrutator Aristoteles. *In habentibus symbolum facilē esse transformationem: in non habentibus, vel impossibilem vel difficilem.* Ego ausim dicere: impossibile amatorē concrescere, inter nos habentes idem symbolum religionis. Causam habeo. Cum enim *amicitia*, vt Cicero definiebat, *nihil aliud sit, nisi omnium Diuinarum humanarumq; rerum cum beneuolentia & charitate consensio*, quomodo inter eos amicitia coalescet qui in eo, quod cardo est amoris, discordes? Namq; cum Diuina, sint velut norma rerum humanarum, qui in Diuinis dissentiunt, nescio quomodo consentiēt in humanis. Verbi causa. Catholicis ex religionis pręscripto, sibi sanctè viuendū & vt Paulus docet, *vas suum in sanctitate esse possidendum* proposuit. Lutherana vero ex sectæ decreto vt conuersandum, & nullo non genere flagitij contaminandam se, modo credat, censet. Rogo qua ratione tales concordabunt? quomodo ad inuicem se amore complectētur? Maritus ieiunabit? vxor dicet commessandū esse, ille vt quandoque orationi vacare possit, à thoro se abiūget? hęc vt salax iuuenca alienos appetet congressus, ille in sanctitate & iustitia se astringet, hæc ad omnem licentiam vitæ viam sibi patere pronunciabit, & hic amor? Quid vero sunt horrendæ blasphemiæ quas auribus tuis quotidie ingeret, quum mysteria religionis tuæ deridebit, augustissimum sacrificium missæ idololatriam, teq; qui de tremendis communicas sacramētis idololatram, Diuam Virginē vt aliam mulierem, Papam Antichristum, Papistas egeriem Sathanæ nuncupabit, an tu hæc benigna aure excipies? an hæc amoris incentiua censebis? an non te oppones, vel si post Deum omnia habes, non pugno os blasphemum contundes? Quod si facis vt merito debes, an eius dilectionem tibi concilias? Postmodum, nec sine graui dolore aspicies, & vxor tua ad sinagogā Sathanæ properabit, & illic animam commentis diaboli, dementandam, & pane prophano prophanandā exhibebit, quibus symbolis in sua temeritate magis ac magis obfirmata domum reuersa, tuam abhorrebit frugalem mēsam, & ad aliā in tuo cōspectu alijs eisq; tibi illicitis cibarijs instructam assidebit: mox crapula & ebrietate amens effecta, vel ad improperandū tibi, vel ad sus- deq; omnia domi miscēda, vel ad furiales amores cōsurget. Sin obiurgabis? Dicet *ex præscripto sectæ ista sibi licere.* Si silentio cōteges? Miserum te qui vel dolore, vel scelere animā inuolues, & hic amores? hic dilectionis ignes?

2. *non ducēda quia nō diliges.*

nam amicitia non coalescet.

Accedit illud quod grauissimum est, quia te ex sectæ voto, hostem suum judicabit, omnesque vires mouebit, vt tecum hostili animo agat atque versetur. Nouit enim parentes suos sempiterno odio contra Catholicos exacerbatos, illorū non salutem sed perniciem & desiderare, & quærere. Scit forte, Cabilonæ actum esse conuentum, in quo votis cōmunibus decreuerunt, *vniuersos fratres debere viribus coniunctis, ad tres,* vt aiunt illi, *Orbis terrarum pestes exterminandas concurrere, nimirum Pontificiam Ecclesiam, Nobilitatem & Iuris disciplinam.* Oculis deinde fors aspexit, vel Patris vel aliorū manus sanguine innoxio Catholicorum coinquinatas; & si non vidit, audiuit tamen hos ab illis excarnificatos, illos suspensos in equuleo, illos gladio iugulatos, alios exēteratos viuos, alios in quatuor sectos partes; hos corde vel membris verendis abscisis exsatiatos, hos talparum morsibus enectos, illos flammis exustos, alios in pice & oleo frixos, nonnullos crucifixi imagini alligatos & sagittis vel iaculis confixos, huic linguam, alteri manus & pedes exectos, alteri viscera erepta & ex ventre præsepe porcorum factum, & quod horret animus cogitare, nedum lingua proferre, vteros Catholicarum prægnantium scisos, & hinc infantes præmaturos extractos & terrę illisos, ne quid ex Catholicis ad semen relinqueretur, tū deinde pagos, oppida, Vrbes, Prouincias Catholicorum, viuentium, vna cum illis flammis & ferro euersas, mortuorum sepulchra violata, ossa pie dormientium exusta, aliaque ad internecionem Catholicorum patrata. Cumque hæc audita

nam hostis ex professo & voto sectæ.

Hostes de adorandā Trinit.

aut visa miraretur, causamque inquirens, non aliam præterquam furentissimum odium in Catholicos cognouisset, potuitne aut potest esse qui eodem aconito non inebrietur? non illud ex papillis maternis, deque corde paterno exugat?

Cum igitur hæretica mulier à primis adhuc annis, & à consuetudine parentum, odium erga Catholicos imbiberit, nescio qua ratione amor mutuus, inter te & illam constabit: Quo enim imbuta recens est testa odore, eadem diu olet. Testis Dalida, quæ tot pignora amoris à Samsone tulit; tamen post tot incentiua flammarum, & nimis credulum derasit, & minus iam euiratum parentibus, seu mauis hostibus tradidit vinciendum, exoculandum, labore improbo & ludibrijs excarnificandum. Quæris causam? Alienigena fuerat, & cum suis Philistæis ex idololatriæ instituto, erga Israëlitas odio flagrabat. Et tu qui inferior es Samsone, alicui ex hisce fæminis Philistæis, lasciuissimis Dalidis hæreticis, tuum aperies pectus? tua communicabis secreta? tecum, vt secum loqueris? Falleris, si ab ea reciprocum amorem exspectas, Non est possibile, secreta tua reuelabit, teque in manum hostium Parentum tradet, vel ipsa decurtabit.

3 non ducenda propter institutionem liberorum. Altera causa est, cur non ducenda Catholico vxor hæretica, propter institutionem liberorum. Omitto Plutarchi monitum aureum, quo parentes instruebat. Qui inquit, parentes fieri cupiunt laude dignorum liberorum, ijs ego quidem hoc consulerem, ne cum quibusuis mulieribus rem haberent: Quotum enim vel à patre, vel à matre aliquid vitij habent natales, eos per omnem vitam opprobria comitantur, quæ elui nullo modo possunt; suntque in promptu vitia ista, si qui afficere ignominia eos volunt: Etenim sapienter à Poëta est dictum.

Nā à malis parentib. mali.

Nisi fundamenta stirpis iacta sint probè
Miseros necesse est esse deinceps posteros.

Quibus enim genus est subdititiũ & adulterinum, animi spiritus ponere, humique repere solent: rectissimeque hoc cecinit Poëta.

Non duritate tanta est quisquam pectoris
Obnoxio qui non animo & seruo fuat
Culpa patris matrisue conscius sibi.

Sicut contra alacritate quadam spiritus implebuntur liberi; illustribus nati parentibus. Omitto inquam istud, quod matre hęretica natus filius, potest ex vtero trahere hæresis crimen: illud tantum accipio, te vix posse bene instituere puerum à tali natum. Clarum est quod pueri magis erga matrem flagrant amore quã erga patrem; hinc maior cura placendi matri. Et illud notoriũ est, potiorem ab infantia liberorum curam habere matrem, quam patrem: hinc priores notæ doctrinæ à matre, quam à patre, tenello imprimuntur. Si itaque illi hæresi imbuta fuerit, quid putas an non cum lacte simul erronea dogmata filijs quos genuit instillabit? Ideo seuere cauebat Deus, ne populus ille electus coniugia contraheret cum alienigenis. *Deut.7.* *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam ad possidendum ingrederis, & deleuerit multas gentes coram te, percuties eos vsque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, nec sociabis cum eis connubia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam eius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum, ne sequatur me, sed magis vt seruiat Dijs alienis, irascetur que furor Domini, & delebit te cito.* Si adultum potis est seducere, quid tenerum? Si virum, quid puerum? Ego dicebam de corruptela puerorum à talibus, & nescio quomodo incidi etiam in corruptelam virorum ab eis. *4. non ducenda ne ad hæsim seducat.* Recte. *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Præclare Seneca, *Harebit tibi auaritia, quamdiu auaro sordidoque conuixeris. Harebit tumor, quamdiu cum superbo conuersaberis. Nunquam seuitiam in tortoris contubernio pones: incendent libidines tuas, adulterorum sodalitia.* addo ego, seducet natura lapsantem, quæ seducta. *4.Reg.8.* An Salomon non idololatra, propter vxores? An Ochozias nõ idololatra ab vxore? imo ab vxore. *Namque, vt* est in historia, *ambulauit in vijs domus Achab, & fecit quod malum est, coram Domino sicut domus Achab*; Causa? *gener, enim domus Achab*

Achab fuit. Eua Adamum à Deo retraxit: faciunt & istæ in hæresi natæ. Cum itaque à tali vxore, neque fidem, neque amorem, neque prolis honestam institutionem expectare possis, imo in periculum vitæ & animæ te sciens volens conijcis, frustra quisquis es, tibi compedes inijcis. Vtinam nostri Christiani saperent, & nouissima prouiderent: Sic enim & oblectamento coniugali, & saluti suæ melius consulerēt. Inspirare digneris Iesu castissime hoc consilium qui viuis in secula Amen.

CONCIO III.

Nuptiæ factæ sunt in Cana &c. Ioan. 2. cap.

Coniugalia præcepta.

INTER Deo placita Sapiens recensebat potissimum tria, quorum extremum est, *Vir & mulier bene sibi consentientes*. Iure merito: Quia enim ipse est Deus pacis atque dilectionis, multum illum delectat mutuus consensus eorum, qui sibi arcta fide deuincti sunt, ad prolis cum procreationem, tum vero institutionem. In hoc viuendi genere, dilectus Deo Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob Rachel & Lya, insuper & hodiernus sponsus cum sponsa, in quorum gratiam, vinum generosum ex aqua confecit. Consensus istius coniugalis præcepta, die hodierna præfinio.

Dignum consideratione symbolum illud Pythagoræ censebam esse, quo iubet, *Panem ne frangito*. Quid enim? An non est necesse frangere panem dum comeditur? Id si fieret, quam inurbanum esset? Non id quidem insinuabat Philosophus, sed quiddā altius. Panis ex multis granis in vnum collectis, vnionem animorum significat. Hinc fomentum illud celeberrimum vitalis cibi, nobis à Christo cœlitus administrati, sub specie panis datum est: vt indicaretur, teste Augustino, amicitia, coniunctio, & vnio; quę esse debet in suscipientibus ipsum; sine qua vnione, communio rerum Diuinarum haberi nequit. Propterea solum hoc mandatum sæpius à Christo repetitum est, scilicet vt diligamus nos mutuo. & vniti simus in charitate perfecta.

Panem ne frangito quid.

Apud Priscos quoque, *vt & nunc apud Polonos*, amicitia pane conciliabitur. Vnde sicut alimentum hominis præcipuum est panis, ita & amor est nutrimentum vnionis. Cum itaque iubet Pythagoras, *Panem ne frangito*, iubet, *Amicitiam & vnionem non esse frangendam*, quæ si inter alios, maxime inter conjuges constare firmissima debet, vtpote quibus caro vna, fides vna, proles communis, & Sacramentum indiuisum. Hæc enim si flagrantissima fuerit, facili negotio, & fidem seruabunt, & prolem ex honesto instituent, & Sacramenti sanctimoniam venerabuntur, sicque *bene sibi consentientes* Dei spiritum recreabunt.

In coniugio amor seruand.

Quemadmodum enim (ita ratiocinatur Chrysostomus) militibus inter se bene pacatis, omnia prospere succedunt, & vicissim turbatis illis omnia sursum ac deorsum voluuntur: ita & inter virum & vxorem, si concordes fuerint, & liberi bene educantur, & domestici probe instituuntur, & vicini ex eo pariter & amici, & cognati, quasi boni odoris fragrantia fruuntur. Si vero contrarium fuerit, omnia subuersa sunt & confusa. Hunc amorem Paulus commendabat talibus; *Viri*, ait, *diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam*. Vis vt vxor tibi obediat teq; diligat, vt Ecclesia Christum? Dilige illam quemadmodum Christus Ecclesiam, & si animam pro ipsa dare oporteat, ac millies trucidari, & quātamcunq; rem ferre & pati, ne detractes. Famulum quidem metu cogere ac sibi deuincire quispiam poterit: imo ne illum quidem; mox enim filiendo aufugiet: eam vero quæ vitæ tuæ est socia, quæ liberorum tuorum est mater, quæ omnis lætitię materia, non timore, sed dilectione & cordis affectu constringere oportet.

Ephes 5.

Ritus nubendi. apud antiquos amorem docebat coniugalem.

Faciet ad excitandum amorem mutuum, si bilis absit, & fidelitas adsit in vtroque. Qui Iunoni nuptiali sacrificabant, ij vel non cum reliqua conficiebant

victima, sed exemptum apud altare abijciebant: quo instituto legis, author legis non obscure significauit, *coniugio nunquam debere bilem iramque interesse.* Solon iubebat sponsam cum sponso nupturam, prius manducare malum Cydonium: innuens ea re, *primam quæ voce initur gratiam, concinnam debere esse & suauem.* Venerem iuxta Mercurium, itemque Suadam & Gratias prisci collocabant, eandemque Venerem pede Polypum præmentem depingebant: vt docerent coniuges ab inuicem quæ impetrare vellent, debere persuadendo, non pugnando, non rixando. Tum deinde vt insinuarent, conformationem in amore reciproco, Polypum adpingebant. Polypus siquidem natura sua recipit rerum vicinarum colores, seque in eos transformat; sic illi suos adinuicem mores & affectus conformare debent.

In Beotia sponsam velantes, asparago coronabant; hæc enim planta dulcissimum edit fructum: monebat iugatos adinuicem comes esse.

mulieres magis dicunt. inclines esse ad amorem.

Decet hæc comitas virum, sed magis mulierem, quæ & sexu mollior, atque perinde ad mansuetudinem magis inclinis, & conditione inferior, & ideo ad benignitatem magis disposita. Qui ministrant elephantis, non sumunt lucidam vestem; qui tauris, purpuream non induunt; nam his coloribus efferantur: tygrides tympanorum strepitum non ferunt; sic vxor, ab his debet abstinere, quibus senserit maritum vehementer offendi. Cum spirat Boreas, conatur vi vestem reuellere, at homo magis astringit pallium: quod si Sol tepido vento demulserit, iam sponte & tunicam abijcit: sic vxor conans conuitijs maritum à luxu reuocare, magis irritat; si placide ferat & roget, magis efficit. Quemadmodum speculi ex auro gemmisque constructi, nulla fuerit vtilitas, nisi formam similem repræsentet: ita inutilis vxor quantumuis opulenta, si viro mæsto sit hilaris, hilari mæsta.

Vxoris malæ hieroglyphicum.

Vipera suo quodam ingenio prædita, extra ordinem sua habet hieroglyphica quorum illud præcipuum, quod *mulierem* quæ oderit virum suum, neque nisi complexus tantum gratiam blandiatur, per *pictam viperam* Sacerdotes illi intelligebant. Ea siquidem, vt apud Homerum est, cum mari copulatur, caput eius ori inserit suo, atque in congressus conflictu, nimia voluptatis vi superata, capite maris mordicus amputato, maritum extinguit. Cauendum est vxori, ne sibi hoc symbolum asciscat, si vespertinam tantum horam concedit marito, totos autem dies & noctes, lingua viperina illum vix non enecat.

Pierius lib. 14. de vipera.

Pudor pro ducendus in nuptæ.

Iuuabit autem maritum ad hanc comitatem & amorem in vxore fouendum, si ipse difficile sustinebit aliquid vnquam quod turpe sit, vel dicere, vel facere. Itaque monebat Chrysostomus. Postquam, inquit, sponsam accipies, benefacies si non mox pudorem tollas, sed ad multum temporis producas. Nam etiamsi impudentior sit puella, aliquo tamen vsque virum reuerita, rebusque istis insueta, tacere nouerit. Tu itaque pudorem istum non statim illi eximas, quod lasciui viri faciunt, sed magis longo tempore differas ac proroges: Dabit enim istud tibi magnos fructus. Interea quippe dum pudorem adhuc habet, nihil eorum quæ disponis culpabit, nihil reprehendet. Omnia itaque iuxta rationem illius temporis sancito, quo pudor menti ipsius, quasi quoddam frænum iniectus, non permittit quicquam conqueri, vel quæ fiunt reprehendere. Si namque confidentiam nacta fuerit, multa temeritate subuertet, & confusa reddet omnia. Itaque nullum aliud tempus est adeo fingêdæ vxori idoneum, quam illud quo virum reueretur, & adhuc metuit ac verecundatur. Tunc enim ipsi quasuis leges ponito, & obsequetur omnino, siue sponte, siue inuite. Quomodo vero pudorem non solues? Quando videberis & ipse non minus verecundus quam ipsa, paucaque collocutus fueris, atque ea cum multa grauitate, atque compendio. Tûc illi de amicitia loquere, nam animum colliget. Luna quod habet luminis à Sole

præmonstrandus exemplo.

le recipit: tu quoque si vis, vt tua Lucina, hiladra vocetur, fac lumen benignitatis affunde. Deus ex osse formauit Euam in carnem: poteris & tu ex dura & obstipa effingere mollem. Si fiet, vt vtrinq; consentiatis, tu vxor à conuitijs abstinendo, tu marite infirmitates impotentioris sustinendo, maximum in modum inter vos amor coalescet: quo si non superabitis, æquabitis saltem amorem illorum coniugum, qui propter hunc æternitatis memoriam reliquerunt.

Exempla amoris coniugalis. Dilectionis coniugalis narrabo aliquot exempla, vt & vos exemplo eorum, ad mutuum amorem, vel seruandum, vel suscitandum, vel fouendum assurgatis.

Dominicus Catalusius. Inter viros prodeat Dominicus Catalusius, qui Lesbi rerum potiebatur, qui singulari memoria amorem dignum erga vxorem ostendit. Quæ cum in lepram incidisset, vir minime veritus à contagione se infici posse aut aspectus horrore auerti (etenim illuuies magis, quā viuum corpus videri poterat) neque tetro odore quem vlcera mittebant, nunquam aut mensa, aut lecto communi eam prohibuit: Coniugalis enim charitas apud eum contagionis timorem, tetrumq; conspectum, odoremque in securitatem voluptatemque verterat, quod eam iuxta Dei verbum eandem carnem secum esse arbitrabatur. Publius Rubrius Celer, vixit cum Caia Ennia vxore sua annos XLIII. menses VIII. sine vlla querimonia mutua. Sed nobilius est istud quod T. Gracchus fecit: is anguibus domi suæ, mare & fœmina apprehensis certior factus ab aruspice, mare demisso vxori eius; fœmina, sibi celerem obitum instare: Salutarem coniugi potius, quam sibi partem sequutus augurij, marem necari, & fœminam dimitti iussit: sustinuitque in conspectu suo seipsum in interitu serpentis occidi, vt superstitem Corneliam vxorem charissimam post se relinqueret.

P. Rubrius.

T. Gracchus.

Abigail. Inter vxores offert se Abigail, quæ Nabalem sortita virum, licet stolidum & peruicacem, coluit tamen eum insigni charitate. Cui cum Dauidem iratum cognouisset, & ad illius exitium cum armatis appropinquare cerneret, obuiam prudens mulier cum magnis mulieribus illi facta est; adeoque præferocis & irati iuuenis animum circumegit, vt ex inimico confestim amicus Dauid illi, & ex hoste, hospes factus sit. Hipsicratea Regina Mitridatem coniugem suum effusis charitatis habenis amauit: propter quē præcipuum formæ suæ decorem in habitum virilem conuertere voluptatis loco habuit: Tonsis enim capillis, equo se & armis assuefecit, quo facilius laboribus & periculis eius interesset: Quin etiam victum à Cn. Pompeio per efferatas gentes fugientem, animo pariter & corpore infatigabili sequuta est. *Hipsicratea.*

Cuius tanta fides, asperarum ac difficilium rerum Mithridati maximum solatium & iucundissimum lenimentum fuit, quomodo domo enim & penatibus vagari, se credidit, vxore simul exulante? *Quirina.*

Sed non minus magnum coniugalis amoris illud signum fuit, in Iustiniani Veneti vxore, dignum certe quod in exemplum statuatur coniugibus.

Bernardus Iustinianus senior, ex Quirina familia vxorem longe pulcherrimam, animique dotibus præterea insignem, ita sibi iunxerat, vt felicissimum illud cōiugium passim omnes ominarentur. Siquidem ex ea tres liberos suscepit, Leonardum videlicet, postea Diui Marci Procuratorem, quæ dignitas apud Venetos post Ducem est prima; & Marcum qui primus Bergomo de Philippi Mediolanensis Ducis manibus à Venetis extorto, Prætor designatus præfuit, cum tanta nominis sui dignitate, vt hodie quoque eius memoria celebris sit: & Laurentium postremo, qui à primis annis religionem ingressus, qua iam tum puer imbutus erat, Venetijs postea Oliuolensis Antistes declaratus, moxque etiam Patriarchæ dignitate insignitus, moriens postremo inter Diuos relatus est. Sed vt ad id quod instituti est operis redeamus, Quum Bernardus ipse maritus, Quirinaque vxor, admirabili charitate inter se agerent,

læti admodum triplici hac prole, ita plane accidit, vt nescio quo numine Bernardus ipse iuuenis adhuc vita excesserit, relicta vxore, quæ quartum & vigesimum vitæ annum nondum expleslet: vt interea vitam sæpe despondere tentauerit, maritumque sequi, nisi affines illam & cognati diligenter obseruassent. Quare conuersa ad filios tres, sub quorum specie eminebat pater, sic educare eos, & alere cæpit, vt Christiana pietate dignos eos redderet. Qua ex re, vigilijs & ieiunijs quotidianis vacans, pauperumque cultui assidue inseruiens, spectantibus singula quotidie liberis, cilicia veste pro interula tunica vtens, lumbosque suos catena ænea cingens, sic disciplina sua pignora instruxit, vt tria ciuitatis Venetæ numina enixa videri potuerit. Coronidis loco addam amorem Alcestis erga Admetum maritum Thessaliæ regem: Is cum morbo laboraret, consultaque oracula respondissent; *futurum eum incolumem, si quis amicorum pro eo mori vellet*, sola vxor recusantibus pietatem illam cæteris amicis, pro viri salute morti se deuouerit. Vnde Poëtæ fabulati sunt, reuiuiscendi munus ei à Dijs concessum.

Alcestis.

Discant hic coniuges amorem coniugalem, quem in conuictu concordi, in tolerandis animi & corporis infirmitatibus, in extrema fortuna, deniq; in morte si opus est pro inuicem præripienda, & quod primum est, à quo laudata Quirina Veneta, in liberis post mortem cōparis relictis instituendis, nec quod sæpe fit, à morte alterius derelinquendis. Dicerem hic in nonnullos & nonnullas ---- Sed---- Sed ad alterum consensus mutui vinculum nectendum accedo, Fidem.

Consuetudo gentium obtinuit, vt sibi inuicem annulos conferant nubentes, fidei scilicet inuiolatæ seruandæ signum. Vsus annulorum vetus, ad signandum ea quæ volumus esse, à scitu & tactu aliorum secreta. Itaque quod annulos sibi inuicem tradunt nupturi, fidem sibi mutuam obstringunt, & vir ab alterius fæminæ, vxor ab alterius viri complexu, visu, tactu se secernit: Neque enim *amplius vir potestatem habet sui corporis, sed vxor*, neque vxor sui vicissim, sed maritus. Per debitum ait quidam, æquus amor, mutua coniugij fides est. Inique iudicat de pudicitia, qui si vxor oculum parumper inflexerit, adulterij eam damnat, marito interim alias non aspiciente tantum, sed & fors complectente. Non excuso vxores, viros arguo, primamque illis culpæ partem tribuo. Persæpe enim vxori Dux atque exemplum lasciuiæ vir fuit, & inde mali processit initium, vnde remedium debebatur. Quamuis autem pudor fæminæ proprius, viro certe prudentia atque constantia sua esse debet. Itaque omnis in viro, quam in muliere dementia & animi leuitas eo est fædior, quo viro magis est debita grauitas. Fidei & honestatis amatrices, quales olim fæminæ? paucis commemorabo. Ægyptiæ mulieres maiorum instituto calceis non vtebantur, vt meminissent domi tempus esse exigendum, nec in publicum vbi periculum est castitatis prodeundum Luna cum Soli coniungitur tum obscuratur & occultatur, cum abest, lucet: contra, proba vxor præsente marito maxime conspici debet, eodem maxime condi ac latere.

Theane quædam insignis; tunica se amiciens, brachium inscia nudauit, ibi dicenti cuidam: *ô molle brachium & delicatum*, respondit, *Atqui non est commune.* Matronæ enim pudicæ, non brachium solum, sed ne sermo quidem publicus esse debet, voceque ad alienos, tanquam parum conueniente nudatione, abstinendum ei est; in voce enim insunt indicia omnis generis animi affectionum. Hanc fidem matrimonij, vt inuiolatam pręstarent clarissimæ illæ fæminæ, domi in cubiculis proprijs se continebant, omnemque alterius viri, non congressum tantum, sed & aspectum quoque vt basilisci abhorrebant. Quædam, vt Romanæ, vino ad fidem castius seruandam abstinebant, quędam absentibus maritis, vel agno casto lectum consternebant, vel medicatis potionibus pruritū corporis extinguebant: quædam vt fidem arctissime obli-

obligatam in quacunque fortuna mariti s prestarent, eos per varia discrimina sequebantur. Empona se hic ostentat, quã miris laudibus celebrat Plutarchus, quam propono.

Narratio de Empona.

Iulius qui in Gallia defectionis author fuit, cum alios multos habuit, vt fieri solet, sui conatus socios, tum Sabinum quoque virum non degenerem, & qui diuitijs gloriaque omnes alios facile vinceret. Hi rebus arduis tentatis, successu caruerunt, quumque supplicia se daturos præsentirent, partim seipsos è vita eduxerunt, partim in fuga capti sunt. Sabino autem restante, cui facile licebat fuga ad barbaros facta, saluti sui consulere, sed vxorem duxerat optimam, nomine Emponam, Græce, Heroidem dixeris. Hanc cum neque ducere secum posset, neque deserere sustineret; & ruri haberet sub terra effossas cameras, in quas reponi res vtiles possent, duobus tantum notis libertis reliquos famulos omnes dimisit, se veneno sibi mortem consciturum simulans: duosque quos fideles norat adsumpsit, & in specus istas subterraneas descendit, misso ad vxorem liberto Martiali, qui patronum veneno extinctum, & casam villæ cum eo concrematam esse renunciaret. Volebat enim luctu vxoris fidem facere sui, quem fingebat interitus. Idque etiam euenit. Nam ea vt erat, accepto nuntio, lamentans & eiulans proiecit se in terram, tresque dies ac totidem noctes sine cibo ita exegit. Quod vbi resciuit Sabinus, metuens ne se prorsus vita exsolueret, occulte ei Martialem significare iussit, viuere se etiamnum & occultari; rogare autem vt adhuc aliquantulũ in lugendo perseueret, accurateque mariti interitum simulet. Tragædiam huius calamitatis vxor admodum artificiose egit, tamen noctu desiderio visendi ad maritum ventitauit, nemine obseruante, & tantum non apud inferos cum eo consueuit. Exactis septem mensibus facta spe impetrandæ veniæ, veste, tonsura, & capitis redimiculo ignotum redditum obuijs Romam perduxit. Sed re infecta, in suam is specum redijt, ipsaque cum eo maiorem temporis partem exigens sub terra, interdum Romam iuit, amicis & necessarijs mulieribus se visendam præbens. Et quod creditu difficillimum est, cum ijs lauans, fefellit vterum gerens. Partus vero dolores, sola ipsa pertulit, leænæ in morem ad maritum in foueam se abdens, natosque duos, velut, vt sic dicam catulos educauit; peperit enim duos filios. Eam postea Cęsar ob fidem viro seruatam, interfecit, quam mortem magno & alacri animo pro fidelitate sustinuit, vt eam commutationem vocaret: dixitque *suauius sibi fuisse in tenebris, & sub terra viuere, quam ipsum videre imperio potiri.* Tam sancte isthæc fidem coluit, vt mereatur primas inter Fdei Vestales. Vtinam vos quoque tales! Si fueritis, neque hunc panem aut infidelitate, aut dissensu fregeritis, magna voluptate Deum afficietis magnaq; bona promerebimini, in posteritatem seram deriuanda. Amen.

DOMINICA TERTIA Post Epiphaniam.

Cum descendisset Iesus de monte. Matth. 8. cap.

CONCIO I.

Proximorum necessitati seruiendum est.

NOn semper in monte secum conuersari Moysen voluit Deus, sed populo quoq; prodesse qui ad radicem montis. Neque etiam perpetuo voluit manere Iesus in monte: placuit post contemplationem ad infirmos quoque descendere. Non poterant hi ad tantum fastigium salutis adrepere, poterat maiestas suprema ad humilitatem declinare. Declinauit & descendit hodie, & alium quidem à lepra emundauit, alium vero ab alio languore male tortum persanauit. Exemplo suo docuit, necessitati proximorum corporali omni ratione succurrendum esse; quod ego quoque vobis hodie insinuare contendo: vos, quibus non ferreum pectus, audite.

Homo vt homini seruiat voluit Deus. Nam & ipse Deus non soli contemplationi, sed & actioni vocat.

Opitulator omnium Deus, non tantũ hominum contemplatione delectatur, vt eos sibi solum viuere, non autem alienæ salutis curam habere velit. Exemplo, ab omni ratione præiuit: Namque cum ab æterno se in se contemplans satis superq; felicissimus esset, destinauit tamen hanc pulcherrimam Orbis machinam in gratiam & commoda:& cuius? hominis vermis, condere. Namq; cum audio Deum, postquã illi adhibuit verbo tam pulchrũ, tamq; ditem mundum fabricasse, dicentẽ Adamo, *Dominamini terræ, aquæ, aëri, cælo, & quæ in eis sunt*: adoro eius benignitatem: quod mei causa omnia fecerit, meque Regem orbis inferi & superi renunciarit: Video enim à Dei manu, cœlos mihi serenare dias nocturnasq; luces: Sẽsu percipio illos eosdem terram, cum rore, tum pluuia ingrauidare, caloreq; vitali & influxione inexplicabili, siue quæ mota, siue quæ immota sunt, ad meam vtilitatem producere, viuificare, seruare. Lego & experior omnia quæ in cœlis, & sub cœlis sunt, à Deo mihi data esse in ministerium salutis curandę, prorogandęq;. Sol hominibus lucet ad operas diurnas, Luna colligit mẽbra labore fessa ad quietẽ: ignis incalfacit hominẽ, aër viuificat hominem, terra sustinet eundẽ, bos arat homini, equus fert hominem, asinus portat onera hominis, gallus excitat, canis custodit, luscinia recreat hominẽ, leo, lupus, draco, vipera, serpens, & quæ non feralia, excitant hominem ad vtilitatem hominis. *Omnia*, in summa, *subiecisti* ô Deus *sub pedibus eius, volucres cæli, & pisces maris, qui perãbulãt semitas maris*. Etiamne istos qui abstrusi? qui non in cibũ? Etiã atq; etiam. Remora paruus, sistit in fluctibus nauim, ne mergatur: cete magn⁹ insulã subit, ne nauis fidat. Mullus marinus leporẽ itidẽ marinum exitialem homini, cũ primus infestat & necat. Delphinus quid pro homine non facit? Itinera monstrat nauigãtibus, eosdẽ ab amis reducit, atq; ad portũ pręcedit. Ita Ductoris officiũ homini agit. Quid ductoris dico? Victoris quoque. Quanti ab eo à pręsentanea morte ad salutẽ euecti? Homines, naues, totæ classes. Quid, ex Plutarcho, memorem illam erga Iassensem puerum beneuolentiam ac fidem, flagrantissimi cuiusdam amoris argumentum? ludere, natare, vna quotidie ac contrectare manibus pati, ad hæc cõscendentem non refugere, sed vectare lætus, ac quocunq; dirigeretur cursum flectere, quum omnes ad mare Iassenses vndiq; iã sæpe spectaculo stupidi cõcurrerent? Sed enim oborta iam aliquando tempestate, nymboque & grandine validis incũbentibus, delapsus puer sub vndis extinctus est. Delphinus re animaduersa, & cadauer quocunq; iactaretur secutus, incontinentẽ impetu se tandẽ vna eiecit, nec ante diuulsus est, quã in sicco expirasset: æquũ haud dubie iudicans, qui vitæ fuisset, mortis etiã, cuius ex parte auctor fuerat, socius vt esset.

In gratiã hominũ.

Psal. 8.

Quibus omnia ad seruitutẽ subegit.

Delphinorum obsequia hominibus præstita.

Cæranus quoque Parius genere, nonne à Delphino saluatus est? Bizantij iam aliquando iactum piscium, in eoque delphinos captos plurimos iamiam mactãdos emerat, ac mox dimiserat, pecunia redemptos sua, donatosq; vita. Paulo deinde post, quinqueremi, qua & ipse & piratæ quidam vehebantur, inter Naxum, Parumq; freto medio euersa, pereuntibus cæteris omnibus, ipse subeunte, subleuãteq; Delphino, solus iuxta Zacinthi specum applicans, saluus euasisse fertur; quã specum Cæranium etiamnum vocant, & ostendunt. Postea quum supremum Cæranus diem obiret, ac corpus igni affines iuxta mare traderent, delphinos circa litus innumeros comparuisse, ac ita se palã ostentauisse narrant, quasi interesse funeri velle se significarent, quippe qui nõ ante discederẽt, quam iustis plane peractis. Puerulus etiam adhuc Thelemachus, quum forte in mare, quod iuxta vorticosum erat, per lubricum cecidisset, excipientibus delphinis, ab imoq; reuehentibus euasit: Hinc sculpturã annulo & vmboni pater delphinum inscripsit, gratia sic animali relata. Simile quiddam ego à quodã nobili Dalmata, in Ciuitate Cataro cuius Ciuis erat ille, paucis ab hinc annis accidisse audiui anno 1598. Itane pisces tam immanes in vtilitatem hominis? vehunt;

vehunt, ab imò maris retrahunt, reuehũt commoriuntur, & quid non faciunt?

Non iam mirabor, canem qui vulneribus hominis medetur, totusq; in obsequio hominis est: non elephãtos doctos etiam spicula leuiter ac citra dolorẽ promuscide è vulneribus dominorum extrahere: non quosdam serpentes certamen graue suscipiẽtes pro homine cum serpẽtibus: non deniq; illa omnia quæ in prodigijs Sanctorum numerantur, miraculoso imperio facta, quod coruus cibos ferret Eliæ, quod leo pasceret asinum cuiusdam, quod Crocodilus loco nauiculæ esset, quod serpens hortum cuiusdam à fure custodiret. Laudabo Diuinam benignitatem, quæ à contemplatione ad opus procedens, omnia hæc in vtilitatem nostram fecit & subdidit.

Quin & ipsa de monte illo sublimi, nos omnes suæ curæ esse voluit.

Nam & Christus totus in vtilitatẽ nostram.

Et quidem cum in terris versaretur Iesus non, semper in deserto sibi esse cum Deo viuendum existimauit: Cum enim auidus esset salutis humanæ, quicquid illi ab oratione supererat temporis, populorum siue spiritualibus, siue corporalibus commodis impendebat. Nunc Socrũ Petri febricitantem, alias vel Syrophęnissæ filiam à Dæmone vexatam vel Hemorrhoissam sanguine defluentem; nũc paralyticum, nunc hydropicum, vel alio quouis morbo afflictum curabat. Hodie occurrit ei leprosus, & viua fide nixus, cum ei fit supplex, *Domine, si vis, potes me mundare*, ab eo candorem, sanitatemque accipit. Offendit illũ alius, pro puero sollicitus, & dum preces fundit, *Dic tantum verbo, & sanabitur puer meus*, famulo incolumitatem meretur. Aquilæ instar mihi videtur fuisse Christus, quæ cũ leuibus pennis in altum elata, splendidum Solis iubar contuetur, non tamẽ oculos à pullis auertit; sed siue famem pati, siue insidijs serpentis pertentari, siue quauis necessitate eos teneri videt, mox ac tonitru quoddã à superis delabitur, & eorum vel famem explet, vel hostem reprimit, vel infectis iã veneno medetur. Sic Christus acie mẽtis indefessa, licet ad fulgidissimũ lumen Diuinitatis semper intentus fuerit, de altissimo tamen contemplationis culmine, populos ad radices montis expectantes, diuersis affectos necessitatibus aspiciens, ad eos accurrebat, eisque pro qualitate singulorum opitulabatur; vt palam faceret, sibi maxime placere illos, qui non suæ tantum, sed & alienæ quoque necessitati, corporeæ licet intenti sunt.

Nam & Angeli in vtilitatẽ nostram creati. Hebr. 1.

Neque ipse tantum volebat de monte descendere, sed iussit & illis quos creauit in *ministerium propter eos qui hæreditatem capiũt salutis*, ad homines declinare, causa eorum sanitatis. *Vidit Iacob Angelos* non tantũ *ascendentes* sed & *descendentes*, quoque per mirabilem illam scalam, vtique propter homines curandos, docendos, ducendos. Agaræ Ismaëlem Angelus ostenso latice viuificat: à Sara iuuene Dæmonium Raphaël pellit; à Tobiæ oculis albuginem detergit idem ipse: alius in piscinam quoque indies singulos descendit, & medicam virtutem aquis illis infundit: & quid non faciunt alij, propter curam hominis? si illos curæ hominis destinauit.

Apostolos deinde atque alios Sanctos innumerabiles misit, quibus dedit potestatem, *vt omnem languorem curarent*.

Cum igitur vniuersa pene creata, & cęlestia, & terrena & aquatilia, & visibilia & inuisibilia, & mota & immota, in hominis curam creauerit, eaque iussioni Diuinæ obsequentia, quibuscunqne humanis necessitatibus sunt ad manũ, an non par erit, hominẽ quoq; homini prodesse? Si Angelus morbidis mouet aquã; non erit dignum vt homo paralyticum deponat in illam? Si herbæ, flores, aromata, lapides, in sanitatem sunt homini, an iniquũ erit, vt homo ille misceat, homini medeatur? Si canes lingũt vulnera; si elephãtes spicula extrahunt; homo homini vlceroso, non apostemata lauabit? non vulnera obligabit? Si vipera à morsu serpẽtis defendit; morosũ homo nõ curabit? Indignũ profecto esset, vniuersis animatis & inanimatis ad hominis infirmãtis sanitatẽ concurrentibus, vt homo hominem

Dignum itaque est vt & homo sit homini homo.

aliquo morbo affectū abhorreret. Namque illa in nulla re tam sunt deuincta, vt homo homini, cum quo est eiusdem naturæ, dignitatis, & vocationis. Præsertim quia Deus dum conderet hominem, omnibus impresserit affectum quendā mollem, quo ad miserias proximi commoti, miserarentur & suppetias pro virili ferrent. Hunc deinde non solitarium, sed sociabilem creauit, inque familias, domos, vicos, ciuitates, vrbes, prouincias & Regna coëgit; vt vnus alteri, velut Deus esset, & alter alterius curam curaret, neq; ab hoc pietatis officio quauis contemplatione, vel oblatione distineretur: Nāque & Deus ipse ait, *misericordiam magis volo, quam sacrificium*: iure merito. Nam & ipse propterea, sedibus paternis relictis in nostra venit, corpus assumpsit, ab oratione & contemplatione frequenter decessit, vt salutaria antidota decumbentibus ministraret. *In die*, itaque vt psaltes ait, *Dominus mandauit misericordiam suam, & noctem canticum eius.* Nocte poterit homo sacrificiū laudis offerre Deo, & in die, misericordiæ operibus vacare. Hæc enim quoque maximum sacrificiū est. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Qui infirmum sanauit, Christum sanauit; qui illum hospitali inuexit, Christum inuexit; qui pro eo duos denarios stabulario dedit, pro Christo dedit. Agnoscet in die iudicij Christus, vinum tuū ô Samaritane quo vulnera abluisti, tuum oleum quod infudisti, tuum laborem quem imponendo homini saucio in iumentum impendisti, tuam pecuniam quam hospitalario dedisti, pro eo quem in deserto à Sacerdote, Leuita & contribulibus derelictum, ad curam assumpsisti.

Psal. 41. Id enim præcepit Deus.

Matth. 25.

Accedit, quod ignis charitatis ea cura infirmorum, & augetur, & declaratur. *Augetur*, quia vt calor naturalis internus & externus, corporis exercitio fouetur, torpore flaccescit; sic externis in proximū charitatis operibus, amor in Deum voluntati insitus, mirifice excitatur & feruet: absque externo charitatis ministerio marcescit, & paulatim extinguitur. *Declaratur* vero; Sicut enim vitæ animalis argumentum est motus membrorum; sic vitæ spiritualis certum indicium est amor erga proximum, & opera charitatis in illum, *Translati sumus de vita ad mortem*, ita Ioannes ait, *quoniam diligimus fratres*: è contra, sicut mortis indicium est stupor membrorum & cessatio motus; sic extinctæ gratiæ clarum signum est, non affici erga proximum & ab eius dilectione cessare. Vnde iterum Ioannes, *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* In his operibus charitatis, quæ ad curam infirmorum spectant, quantopere se exercuerint sancti ad exemplum Saluatoris, ex paucis exemplis docebo.

Ea ratione Charitas augetur.

1. Ioan. 3.

Inprimis se exerit pietas S. Eleazari comitis Ariani, cui ad mensam quotidianā duodecim pauperes leprosi, quorum ipse lauabat pedes, & ora osculabatur, iisque cibo ac potu refectis largas donabat eleemosynas. Narrabo rem miram quæ ei accidit: Abijt quandoque in comitatu suo venatum, cum multis è familia sua, quos omnes iussit antecedere; ipse vero vno apud se milite cum chirurgo retento, ad quoddam leprosorum diuertit domicilium: vbi sex horrida percussos lepra reperit, ex quibus pleriq; vsque adeo deformes erant, vt sine horrore adspici non possent. Videbantur exesa labia & absumpta, ita vt dentes paterent, atque etiā exciderent. Eos vt vidit Sanctus iuuenis humanissime salutauit, & salutares eis adhortationes proposuit; inde omnes singulatim peramanter osculatus est. Et ecce repente curantur omnes, & tota illa domus suauissimo odore repletur, ille vero pręstita eis eleemosyna recedit: sed abeunte eo ignius quidam & luculentus radius ab eius capite cunctis cernentibus emersit, qui semper cum recedēte longius tendebatur, attingensq; leprosorum domum, spatium omne quod intererat mira luce profundebat; nec prius radius ille disparuit, quam ille ad suam, quæ procul satis aberat, familiam peruenisset.

Infirmorū curā Sancti curauerunt.

S. Eleazarius.

Sanctus autem Ludouicus Sabbatis singu-

S. Ludouicus.

singulis in loco secretissimo aliquot pauperum pedes abluebat, lotos extergebat, tersos exosculabatur, crebro etiam 120. pauperibus, antequam ipse sumeret, cibos apponebat: cæcis in qualibet fere ciuitate & castello regni sui, domos certas attribuit, ipsisque redditus opportunos assignauit. Complurima quoque extruxit infirmorum Xenodochia, in quibus sæpissime illos inuisens, nec vllius morbidi aut sordes, aut deformitatē abhorrens, flexis genibus cibos singulariter ministrauit.

S. Elizabeth. Sancta Elizabeth Hungariæ Regis F. æmulata est hāc charitatem; Primo enim à Principe dotis nomine receptam pecuniam, non terræ infodit, vt timida: neque arcis inclusit, vt auara: sed magis apud Christum diuini spe fænoris collocatura, missis circumquaque nuntijs, iubet pauperes quoscunque adesse, assignato pariter loco; ne quis eius ignoratione comparere non posset. Congregata igitur ad diem est incredibilis multitudo, vtriusq; sexus, vt nunquam maiore numero per Hassiam & Thuringiam conuentus inopum visus esse credatur. Videre tum erat varia genera pauperum, cæcos, claudos, leprosos, epilepticos, paralyticos, hydropicos, scabie prurientes, vlceribus scatentes. Præfecerat autem Elizabeth vniuerso cætui viros quosdam ad mulieres, qui singulis ordine desidere iussis, tumultuātes & quietis impatientes compescerent. Ibat ergo pientissima pauperum consolatrix in medio tantæ multitudinis læto, placidoque vultu, per singulos pecuniam distribuens, vt eius iustitia tam insigni celebrata præconio, in memoriam duraret sempiternam. Ita paucis horis erogauit circiter quingentas auri minas: In Xenodochio vero, ad quod frequentissime accedebat, ita infirmis quibuscunque sedulo ministrabat, vt & eos manibus suis lauaret, & eorum lectos excuteret, atq; iu eis reclinatos lodicibus ac stratis operiret, & cibum ori inferret, & vulnera fascijs obligaret.

S. Catharina Senen. Non præteribo, & Catharinæ Senensis erga infirmos curam. Inter alias Senis fuit mulier inops & ægrota Tecca nomine, cui in hospitali constitutæ ad cumulum miseriæ accessit lepra, quæ totum corpus eius cōtage occupauit. Id vbi sancta virgo persensit, mirabili feruore properauit ad eam, & res necessarias atque ministerium suum illi obtulit, quam cogitabant ab vrbe expellere. Itaque mane & vesperi illam quotidie visitabat, parabat necessaria, Christumque in ea contemplans, reuerenter ei seruiebat. Ex ipsis autem sacræ viriginis beneficijs, illa mulier superbiæ & ingratitudinis pestem contraxit, & quod S. Virgo pro solo Christi amore faciebat, illa capit pro debito exigere: addere etiam conuitia & contumelias, irasci & irridere, si nō statim omnia fecisset ad eius nutum, vel si aliquando tardius venisset. Sed ijs nihil irritata virgo studebat iracundam blandis verbis & sedulis officijs delinire, haud aliter atque propriam parentem illam tractans; ita etiam vt improba mulier admiraretur. Durauit autem istuc diu, nec quicquam solitæ humanitatis propterea omisit sponsa Christi. Multi mirabantur sed Lappa mater eius valde moleste ferebat, timens ne lepra inficeretur. Istam quoque virgo placabat, & pergebat in officio charitatis. Ecce autem vt ex hoste gloriosius triumpharet, permittēte Deo, manus sanctæ virginis lepra inuasit. Quod illa mihil morata, malebat toto corpore leprosa effici, quam cęptum charitatis ministerium deserere. Non diu post excessitè viuis mulier leprosa, Virgine illi in extremis assistente, & eam efficacissime confirmante. Eius corpus horridum S. Virgo abluit, induit, sepeliuit. Post eius sepulturam ita omnis lepra ab virgineis manibus euanuit, vt etiam elegantiores, quam antea viderentur. Voluit Deus, vt in Eleazaro luce, quæ eum sequebatur; vt in Elizabetha floribus, qui ex panibus vertebantur; sic in Catharina depetigine immissa & abstersa demonstrare, , quam grata illi cura proximorum.

Vtinam vel minima pars eius vos teneat: Tot, vlcerosi, languidi, & malehabentes

bentes decumbunt in plateis? quis ex vobis est, qui misericordia moueatur? sub tectum recipiat? curam impendere dignetur? Eleazarij vbi estis? Elizabethæ vel Catharinæ quantæ vel illæ numerantur? Oro ne inclementer transeatis tam miserandum spectaculum: Ne dicatis non ego Christus, non Xenodochij præfectus: Neque enim, isti quos recensui quæsierunt, sed statim lucri loco, infirmum curandum susceperunt. Siquidem aurum inueneritis, non dicitis cur illa non arripuit? Sed vos accipitis. Auro pretiosior gleba iacet, infirmus sub dio; suscipite infirmos, consolamini pusillanimes. Si à Christo, qui ad exemplum præiuit, vt suscipiat vos desideratis, nunc & in sæculum, Amen.

CONCIO II.

Volo mundare.

De Christi potestate, miraculorum effectiua.

Pirrhi pollex.



PIRRHI Epyrotarum regis pollex, nonnullam infirmitatem contactu sanare diceba tur. Fuerit istud verum an non: item si opus naturæ, vel alicuius genij, aut ingenij, nihil discutio: illud confiteor, Christo Domino inditam fuisse virtutem Diuinam, qua non solum contactu manuum, sed vnico verbo poterat sanare infirmos. Præstitit hodie, cum & depetigine laborantem emundauit, & paralysi resolutum erexit. De hac potestate Christi, miraculorum effectrice mihi hodiernus sermo.

Deus verbo condidit omnia.

Regius Psaltes, dum potentiam Omnipotentis Dei contemplaretur, eam nullis alligatam esse, vel instrumẽtis, vel naturæ legibus, aut scientiæ artibus, sed vnico verbo cuncta perficere asseuerauit: *Semel*, inquit, *locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* q. d. Quando vel misericordiæ, vel iustitiæ aliquod opus designat facere, sufficit illi locutum fuisse semel. Et quidem quando ex nihilo hanc pulcherrimam Orbis machinam condebat, tantum dixit, Fiat, & omnia facta sunt. Fiat lux: & facta est. Fiat firmamentum; & statim in momento conuexa cælorum elata emerserunt. *Dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hanc potestatem verbo curandi, vt sibi esse inditam à natura, factis demõstraret, in hodierno Euangelio duos languentes, sola iussione, curauit.

Psal. 61.

Psal. 148.

Christus miracula verbo faciebat. Alij oratione.

Præfinierat olim suis mystis ritum expiationis leprosorum, illum tam accurate in Leuitico descriptum, immolationes scilicet passeris aspersiones; rasuram & id genus alias ceremonias ostendendæ mũditiei accommodas. Quæris causam? Nimirum vt longo post se interuallo relinqueret suos ministros: qui si vellent aliquem à lepra vel expiare, vel expiatum ostendere, non id sine certis sacrificijs, orationibus & ritibus facerent, ipse autem potestatis auctor, solo verbo istud, & omnia alia patranda sibi reseruaret. Legitur Moyses, sororem Mariam à lepra curasse: sed oratione. *Clamauit enim ad Dominum dicens, Obsecro Domino sana eam.* Elizæus quoque Naamanum à lepra purgauit; Sed Iordanea lotione: Iusserat siquidem, vt septies in Iordane mergeretur. Cæteri Sacerdotes Mosaici, eodem morbo contaminatos emaculabat: Non tamen absque aspersione sanguinea. Solus Saluator, neque orat ardentem orationem, neque remittit ad Iordanem, neque ex ritu prisco Sacrificium expiationis instituit. Semel locutus est, *Volo, Mundare*, & in momento restituta est caro leprosi, sicut caro pueri paruuli, & sanatus est. Quid enim non efficeret verbo suo, qui verbo suo omnia condidit ex nihilo? Quid non sanaret hominem præcepto, qui præcepto suo hominem plasmauit? Namque audio quid Redemptori suo fateatur Iobus, *Manus tuæ*, inquit, *fecerunt me & plasmauerunt me totum in circuitu. Memento quod sicut lutum feceris me, & in puluerem deduces me, sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti, pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti*

Num. 12.

4. Reg. 5.

Iob. 10.

pegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, & visitatio tua custodiuit spiritum meum. Cum itaq; ille hominem formauerit, & in faciem eius inspirauerit spiraculum vitę, si corruens in terrā vel dilabitur, vel aliquo tabo illinitur, nullus illum emundabit, aut subleuabit, præter plastē suum. Vnde subiungebat idem. *Quis potest facere mundum de immundo conceptū semine? Nonne tu qui solus es?* q. diceret. Tu immaculatum creasti; tu quauis macula contaminatum, emaculare poteris. Tu rectum & sanum plasmasti, tu quouis carcinomate, vel deturpatum, vel contractū erigere & sanare valebis. Ille igitur solus qui ex terra formauit hominem, tantaq; & venustate ornauit, & fortitudine roborauit, ægrotos recreare, debiles confirmare, claudos erigere, lippientes illuminare, surdis aperire aures, mutas soluere linguas, leprosos purificare, mortuosque ad vitam resuscitare, solo nutu volūtatis potest. *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, pauperem facit & ditat, deponit de sede potentes, & de stercore eleuat humiles.* Dominus sanat omnes infirmitates, renouat vt aquilę iuuentutem, redimit de interitu vitam, coronat in misericordia & miserationibus, soluit compeditos, illuminat cæcos, erigit elisos, custodit aduenas, sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum: Dominus *facit mirabilia magna solus.*

1. Reg. 2.

Pulchre Augustinus elucidat illa verba ex Psalmo, *Tu es Deus, qui facis mirabilia solus.* Tu vere magnus Deus, faciens mirabilia, in corpore, in anima, solus faciens. Audierunt surdi, viderunt cæci, cōualuerunt languidi, surrexerunt mortui, constricti sunt paralytici: sed miracula ista tunc in corporibus. Videamus in anima: Sobrij sunt, paulo ante ebriosi: Fideles sunt, paulo ante adoratores simulachrorū: res suas donant pauperibus, qui alienas antea rapiebant. Quis Deus magnus, sicut Deus noster? Tu es Deus, qui facis mirabilia solus. Fecit & Moyses: Sed non solus: fecit & Elias, & Elizeus, fecerunt & Apostoli? Sed nullus eorum solus. Illi cum facerent, tu cum eis: tu quando fecisti, non illi tecum. Non enim tecum fuerunt cum fecisti, quando & ipsos tu fecisti. Quomodo solus? Nunquid forte Pater, & non filius, aut filius & non Pater? Imo Pater, & Filius & Spiritus sanctus. Tu es Deus qui facis mirabilia solus. Non enim tres Dij, sed vnus Deus facit mirabilia solus. Verbum itaque quod condidit & instaurat vniuersa, cum sit Deus de Deo, facit etiam mirabilia solus; nec facit cum eo potestate alienus.

Expl. loc. Psal. 76.

Viderat olim Ezechiel *in monte excelso nimis, quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrū: & ecce vir cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius. Stabat autem in porta;* Deum hic Virum *cuius nomen est Oriens* ab Austro venientem, inque Ecclesiæ quā fundabat in secula ostio olim consistentē intelligo? *Species eius exterior fuit ad instar æris,* Scilicet humanitas quam assumpserat, & duratura erat in æternum, ad similitudinem ęris quod est valde durabile, & resonatura erat in Orbe ad instar metalli tinnientis. Aspectus mediatoris Dei & hominum, inquit Gregorius, speciei comparatur *æris* durabilis, quia vnigenitus filius Dei, formam serui accipiens, fragilitatem nostrā carnis humanæ, per resurrectionis suæ gloriam vertit in æternitatem, quia in eo facta est caro, iam sine fine durabilis. Nā *surgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Tum deinde comparatur metallo sonoro; quia per eandem assumptionem humanitatis nostræ, insonuit omnibus gloria maiestatis suæ, & quasi aspectum æris habet ex corpore, quia Deus mundo innotuit in carne. Habebat autem *in manibus suis, funiculum & mensuram,* an forte illum quem alter propheta conspexit, vnum ad viuificandum, alterum ad occidendum? Potestatem hic miraculorum intelligo, per funiculum lineum & calamum mensorium. Funiculo protelabat vitam, à morbo de vita periclitātibus; lino misericordiæ, refouebat membra languentiū: calamo autem mensorio percutiebat Sathanā virga oris sui, quem ab obsessis, & ab vniuerso Orbe

Expl. loc. Ezech. 42.

Christi species ad instar æris.

Rom. 6.

Orbe pellebat. *Stabat autem vir iste in porta*, vt ex miraculis aspiceretur Deus, & ex specie externa cognosceretur homo. Manus, facies, lingua, oculus, saliua, digitus demonstrabat Deum; scapulæ, humerus, dorsum, hominem ostendebant. Digito vel ejciebat Dæmones, vel aperiebat aures; saliua resoluebat linguam, oculo attrahebat peccatores, manu apprehendebat mortuos, voce imperabat naturæ, facie illustrissima recreabat ægrotos; & Deum se esse testabatur. Scapulis autem dum obumbrabat, supra humerum cum principatum gestabat, dorsum cum exponebat percutienti, vt supra illud fabricarent peccatores hominem se esse declarabat. Pulchre Gregorius declarat istud. Quisquis in porta stat, *inquit*, ex quadam parte intus est, quadam vero foris: quia aliud eius foris aspicitur, aliud intus absconditur.

Christus stabat in porta quid.

Redemptor itaque noster, pro bonis misericorditer incarnatus, ante oculos humanos quasi in porta stetit, qui & per humanitatem visibilis apparuit, & sese inuisibilem per Diuinitatem seruauit. Hinc enim Iudæi, qui hunc ex prophetarum promissione sustinuerant, perfidiæ suæ confusione turbati sunt, quia eum quem ad ereptionem suam venisse crediderant, mortalem videbant. Qui igitur in porta stat, ex quadam parte foris, ex quadam vero parte intus videtur. Vnde nec ipsa Iudæorum perfidia, sine Diuinæ virtutis ostensione est derelicta. Nam miracula eius videntes, trahebantur vt crederent; sed rursus passiones eius perpendentes; dedignabantur Deum credere, quem carne mortalem videbant, vnde factum est vt de eius cognitione dubitarent. Videbant enim esurientem, sitientem, comedentem, bibentem, lassescentem, dormientem, & purum hunc esse hominem existimabant. Videbant mortuos suscitantem, leprosos mundantem, cæcos illuminantem, dæmonia eijcientem; & esse hunc vltra homines sentiebãt: Sed ipse eius miracula in corde eorum cogitata, humanitas perturbabat. Vnde Sancta Ecclesia, sub sponsæ voce hunc aperte iam videre desiderans ait, *En ipse stat post parietem nostrum.* Qui enim humanis oculis, hoc quod de mortali natura assumpsit, ostendit, & in seipso inuisibilis permansit, in aperto se quærentibus, *quasi post parietem stetit*: quia videndum se manifesta maiestate non exhibuit. Quasi enim post parietem stetit, qui humanitatis naturam, quã assumpsit ostendit, & Diuinitatis naturam humanis oculis occultauit. Vnde & illic subditur, *Respiciens per fenestram, prospiciens per cancellos.* Quisquis enim per fenestram vel per cancellos respicit, nec totus latet, nec totus videtur. Sic nimirum redemptor noster ante dubitantium oculos factus est, quia si miracula faciens nihil pertulisset, vt homo, plene eis apparuisset Deus: & rursum humana patiens, si nulla fecisset vt Deus, purus putaretur homo. Sed quia & Diuina fecit, & humana pertulit, *quasi per fenestras vel per cancellos prospexit, vt Deus; & appareret ex miraculis, & lateret ex passionibus: & homo cerneretur ex passionibus, sed tamen esse vltra hominem ex miraculis agnosceretur.* Poterat agnosci vt Deus: Namq; propria virtute, non ab alio accepta, & deinde tanta, quanta nullus faciebat: Non enim humanæ, vt & Ambrosius quoque dicebat, ista sed Diuinæ virtutis insignia sunt, cæcis perpetuæ tenebras noctis aperire, defossorumq; oculorum vulnera sanare luce infusa, auditum insinuare auribus surdorum, laxatis firma membra reformare compagibus, in lucem quoque refuso vigore viuendi, reuocare defunctos. Hæc ante Euangelium vel nulla vel rara, vel accepta potestate facta. Cant. 2.

Tobias recepit visum? vnus est in exemplo, & tamen Dei fuit illa medicina, non Angeli. Ait namque medicus Raphaël. *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi. quia fecit vobiscum misericordiam suam. Nunc enim misit me Dominus, vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à Dæmonio liberarem.* Christus non vnum; sed innumerabiles cæcos, & eos qui nunquam viderant, & propria virtute illuminauit. Vnde merito

cæcus

cæcus ille natus & à Christo illustratus, Diuinam in eo essentiam peruidens testabatur, *A sæculo*, inquit, *non est auditum vt quis illuminaret oculos cæci nati*: vtpote quia id seruabatur Luci veræ, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Exod. 15. Moyses diuisit mare? vnus est in exemplo, & tamen confitetur, *Dextera Domini glorificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicum & in virtute tua demersisti eos in profundum.* Christus non semel, maria sudo pede calcauit, verbo tumentes fluctus sedauit, & periclitantes Apostolos, vel in nauicula, vel in aquis saluauit, propria virtute: Nam imperauit mari, & facta est tranquillitas magna.

Multiplicarunt prophetæ, vel oleum, vel farinam, vel panes? duo sunt in exemplo, qui semel fecerunt, idq; non sua virtute; Christus semel, & iterum & toties annonam virtute propria, in tot millium populorum saturitatem multiplicauit; insuper & panem & vinum, in verum corpus & sanguinem suum, præludio facto aquæ in vinum conuersæ, demutauit.

Mortuum suscitauit Elias vel Elizęus? sed oratione, sed communicata virtute, sed vnum aut alterum: Christus tres, propria auctoritate, solo imperio. Dixit semel, *Puella tibi dico surge*: *Adolescens tibi dico surge*: *Lazare veni foras*, & ad nutum eius rediuiui surgebant: Solus enim gestabat claues vitæ & mortis, & *in ipso vita erat.*

Iohan. 1. Helisæus leprosum mundauit? vnum solum, non tamen authoritate præcepti, sed figura mysterij: Christus aut quamplurimos, authoritate præcepti, solo voluntatis iussu: Dixit enim, *Volo: Mundare*, quasi habens potestatem sanandi, & iubendi authoritatem. Dicit: *Volo*, propter Photinum; imperat, propter Arrium, tangit propter Manichæum. Reliqui, vt docet Chrysostomus, omnes & Angeli & Prophetæ iussa omnia operabantur, ipse autem potestate, quæ & Regem deceret & Dominum, vtebatur. Quod quidem & turbæ admiratæ sunt, quod ita loqueretur, qu si ipse vim haberet & potestatē. Imperabat enim, *Volo: mundare. Puella surge, extende manum. Tace, obmutesce: Tolle grabatum tuum & vade in domum tuam. Tibi dico malum dæmonium, exi ab hoc. Fiat tibi sicut vis. Lazare veni foras, Dimittuntur tibi peccata tua; Si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, &* reliqua præcepta, quæ argumenta sunt potestatis inexistentis, non ad orationem aduenientis.

Pro magno habebant gentiles, Ianum seu Iouem suum, sine manibus & pedibus artificiose effictum; quasi ille nec ministerio pedum ad aliquem accedendum locum, nec suffragio manuum ad patrādum opus egeret. Fabulosa sunt de Ioue commenta. Noster Iehoua Iesus biformi facie, & quæ olim fuerūt, & quæ olim erunt aspiciens, non opus habebat accedere remota loca, non manum medicam apponere. Dicebat volo: & leprosum depurabat. Dicebat, fiat tibi, & ægrotum persanabat. Potestis & vos Christo, aliqua ratione pariari, in hac ægrotantiū virtute sanatiua. Miramini quod dixerim potestis? Aio, quia potestis, si modo duo hæc verba dixeritis, *Volo: Curare*, vel *Mundare*. Cum transis per plateam & vides aliquem mendicum aut vermibus in sterquilinio scatentem, aut vlceribus & tabo diffluentem; ille quoque muto sermone, ostentans miseriam, te compellat, *Domine, si vis, potes me sanare, recreare, iuuare*: dicito tantum ex commiseratione. Volo, Volo: appone deinde voluntati imperiū, *Mundare*, scilicet vel in domum, collige, vel Xenodochium introduc, vel medico aut alicui industrio viro committe, da duos, da tres, da centum denarios: iube vt sanetur, mundetur, reficiatur; fecisti quod Christus fecit. Fecit Ægidius Abbas qui dum adhuc sub tutela patris ætatem ageret, mendico ægrotanti (quoniam aliud quod daret, non habebat) seipsum despolians proprium amiculum dedit. Quo quidem ille indutus (tantum donatoris misericordiæ meritum fuit) euestigio sanus consurrexit. Postea vero quam defunctis parentibus liberam suscepit bonorum possessionem, tam prompto ani-

Ianus seu Iouis apēs.

Monitum ad amulationem miraculorum Christi.

Ægidius Abbas amiculo suo agrotum sanauit.

animo, omnia egenis dispertiuit, vt ea nō prius habuerit, quā donauerit. Imitare & tu quod iste fecit, quod Christus fecit: qui cum venerit, omnia, etiam quæ super erogaueris supra tibi concessos binos denarios reddet nunc & in sæcula. Amen.

CONCIO III.

Vade ostende te Sacerdoti. Matth. 8. cap.

De Sacerdotum reuerentia à Catholicis præstanda.

NOn tam necessitatis alicuius corporalis causa, quam iurisdictionis astruendæ ergo, Deus indixerat leprosis, vt se Sacerdotibus præsentarent: Cum etenim ipse sit Dominus vitæ & mortis, ad asserendum Dominum quod exercet in corpora, quæ sanitate donabat, velut ad vicarios in terris potestatis suæ illos remittit: vt tam oblatione sacrificij, quam præsentia sua confiterentur Domino, quia ipse est qui sanat infirmitates nostras. Hanc legem Aduentu suo nedum non antiquitate, quin magis roborare tā exemplo, quam sanctione voluit. Exemplo; dum non semel se Sacerdotibus stitit: Sanctione, dum & decem alios, & hūc etiam leprosum ad Sacerdotes ablegauit. De hac reuerentia Sacerdotum, hodiernam dissertationem instituo.

Sacerdotes in honore apud Gentiles.

Vetus mos apud Gentes obtinuit, vt Sacerdotibus vbique, & ab omnibus reuerentia debeatur. Lego apud Albanos ceremoniarū antistites ea dignitate fulsisse, vt post regem primi haberentur. Trallibus regia regibus destinata, illis quoque qui gerebant Sacerdotium: priuilegio honoris decernebatur. Panthei Sacerdotes omnes Duces fiebant; quibus causarum iudicia & rerum publicarum arbitria tribuebantur. In Aritia Artemisiæ Dianæ Sacerdos, regis nomine salutabatur. In Comanis Ponticis tantæ dignationis erat Sacerdos, vt quoties in publicum officij gratia prodiret, diadema regiū gestaret. Apud Germanos priscos, nulli verberare, aut vincire, vel animaduertere in alios nisi Sacerdoti permissum erat, tanquam Gentis Summo Principi. Alexander Macedo, cum cepisset vrbem Thebanorum, occidit ciuium nonaginta millia, triginta millia sub hastā, captiuitatemq; redegit, omnesque liberos homines vendidit, exceptis Sacerdotibus, quos in summo honore habuit. Idem magnus cum Hierosolymis cum exercitu appropinquaret, infesto multis de causis animo, in magnum metū vrbis illius populū coniecerat. Quamobrem Iaddus Pontifex post longas ad Deum orationes cū in somnum incidisset, Deum vidit dormienti sibi dicentem: ne formidaret, sed Alexandro Pontificia amictus veste se offerret. Credidit Iaddus somnio, in eumq; morem qui prædictus, erat ornatus ipse cum alijs Sacerdotibus stolatis, postero die Alexandro occurrit, vt venientem exciperet. Quem Alexander intuitus, ex equo descendit: & humi genu innixus, eum adorauit, petitaque omnia concessit. Quod cum Alexandri Duces alijque mirarentur, & illud Alexander animaduertisset, dixit, *pridie eius diei, Deum in somnis se vidisse, eodem habitu quo Iaddum viderat amictum, grauiter vitæ eius comminātem, si quid Iudæos offendisset.* Cui somnio cum fidem non haberet, tunc Iaddi conspectum in ea veste, qua amictam Dei effigiem viderat, Deum se in Pontifice coluisse. Miram profectò in barbaro pectore reuerentiam, Sacerdotis extranei. Sed Deus hanc in eius mente depanxit, quibus vna ex curis præcipua, metum Numinis per reuerentiam dignitatis Sacerdotalis excitare. Omitto quam in magno honore apud Indos Occiduos & Orientales, Deorum sacrifici: illud præceptum expendo, quo ad omnem honorem Sacerdotibus deferendum, Spiritus sanctus non adstringit; Ita enim per Ecclesiasticum statuebat, *In tota anima tua time Deum, & Sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes, & propugnato cum brachijs tuis.*

Albanos. Trallios. Aritios. Comanos. Germanos. Alexādria. Indos. expl. loc. Eccl. 7. Quatuor partes honoris Sacerd.

Qua-

Quatuor actus, vt audistis, præcepit exhibere Sacerdotibus: & singulos diduco.

Sanctifican. Sacerdotes quomodo.

Inprimis iubet, sanctificare Sacerdotes, inquit enim, *& Sacerdotes illius sanctifica.* Quid? Num à plebe initiandi? Nō: sed sicut cum oramus, *Sanctificetur nomē tuum*: petimus nobis inspirari talē mentē vt nihil humile, nihil sordidum, sed paria Deo, de Deo sentiamus; ita dum iubentur populi, Sacerdotes Sanctificare, monentur, Sancte de illis existimare, nec honori eorū lingua procaci detrahere. Ausi fuerunt Core, Dathan, & Abyron, Sacerdotio Aaron obloqui, nec vt decebat de illo sentire: & dum illi obtrectant; nō approbauit Deus detractionem, sed acerrime puniuit: Dirupta enim est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cū tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntq; viui in profundum operti humo, & perierunt de medio multitudinis; sed & ignis egressus à Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebāt incensum. Monebat D. Chrysostomus. Quilibet ergo nō scrutetur Sacerdotum vitā, sed quę ad se pertinent solicite curet. Nam siquidē fidei dogma euertat, etiamsi Angelus sit, obedire noli. Si vero recta docet, noli vitæ, sed verbis intendere. *Non recte viuit*, inquies, *non distribuit pauperibus, non bene dispensat res Ecclesiæ.* Quid ad te? Vidisti? didicisti, examinasti? Sed etsi vidisti? didicisti, examinasti, iudicē sustine. Noli præripere Christi iudicis Ordinem. Illius est munus ista discutere, non tuū. Tu seruus vltimus non Dominus es: ouis ipse es; pastorē noli curiose discutere, ne eius quoq; criminis reus tenearis, quod illum accusare præsumis. *Et quomodo* inquies, *id mihi dicit, quod ipse non facit*? Non tibi ipse dicit: Nam si illi obtēperas, mercede priuaris, Christus hęc admonet. Plus aliquid dicam de Paulo quidē obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanū: sed Apostolo Christum in se loquentem circumferēti. *At debet ille*, inquies, *melior esse quā ego*? Cur obsecro? Quia Sacerdos est? Et quid non habet ille amplius quam tu? Non labores? non angores, non ęrumnas? Debet esse te melior? Quid ergo? Nisi sit melior, teipsum perdis ac perimis. Sunt verba ista plena arrogantiæ. Vnde enim nosti, illum te non esse meliorem? Et si nosti cur non mones? non obsecras, vt melior sit? Patrē qui habet, & si multa videat Patris deliquia, omnia tamen Patris reuerentia contegit. *Noli*, inquit Scriptura, *gloriari in ignominia Patris tui: neq; enim tā gloria, quā probrum est.* Maledictus Cham, qui verecundiora Patris aspexit, & aspicienda alijs mōstrauit. Patris loco tibi est Sacerdos; Probro te afficis, si peccantē despicis; & maledictum in te prouocas, si impudentior factus, pudenda illius reuelas, & prædicas.

Detrahētiū Sacerdotibus pœna.

Gen. 9.

Cōstantini pietas in tegend. Sacerdot. delictis.

M. Flauius Valerius Constantinus Max. Imperator Nicæno Concilio cum vltimus inter Sacerdotes sederet, auditis accusationibus, quibus inuicē Sacerdotes criminabantur, delatas ex scripto ad se in gremium conclusit, omnesq; illectas combussit dicens: *Sacerdotes ceu numina ad hominem regendum constitutos esse, & propterea intactum se Deo iudicium eorum reseruare velle.* Eiusdem tum pia vox audita est. Si quem eius ordinis, flagitio aliquo sese contaminantē reperiret, chlamide operire vellet. Digna vox tā pio principe: digna officio Sacerdotali, quod venerandū est ab omni homine, ideo quia ille interpres est mentis Diuinæ & Pacarius orbis. *At malus est* inquies. Sed hoc ad te quid? Nunquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & Diuina largitur? Absit. Fides enim tua ad omnia valet, neq; tibi iustus quispiā proderit, nisi ipse fidelis sis: neq; nocebit malus, si fueris ipse fidelis. Nam si per asinæ os, si per Balaam scelestū hominē, populi causa locutus est; multo magis operatur per Sacerdotē populi sui gratia. Si per Iudā operatus est & per Prophetas quibus dicturus est, *Non noui vos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatē*, perq; illos qui dæmones in suo nomine eiecerūt; nō magis per Sacerdotes Diuino famulantes ministerio operabitur? Volo quiddam adijcere plane mirabile, & nolite mirari, neque turbemini. Quid vero istud est? Sacra-

Sacerdos malus tātum ministrat quātū bonus.

ipsa oblatio, siue illã Petrus, siue illã Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadẽ est quam dedit ipse Christus discipulis, quamq; Sacerdotes modò quoq; cõficiũt. Nihil habet ista quã illa minus. Cur id? Quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui ante illam sacrauerat.

Sacerdoti iniurius Deo iniurius. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Christus, eadem sunt quę Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est. Et hoc igitur Christi corpus & illud est: qui autem hoc, illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest atque operatur. Si igitur Sacerdotes honore afficitis, Deum qui per illos honoratur, honore afficitis. Si vero spernitis, ad id sensim prolabimini; vt in Deum ipsum contumeliosi euadatis. *1. Reg. 8.* Sacerdos si iniurijs afficitur, hoc in se ipse Deus perpetitur, sicut ad Samuelẽ ait, *Non te spreuerũt, sed me*, & alijs dicit. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* *Impostorum pœna.* Sed vnum aut alterum exemplum narrabo, quomodo Deus seuere vlciscatur iniuriam Sacerdotibus, à linguosis illatam. *Zacha. 2.* Homines quidam mali, qui per flagitia omnia & scelera innumera vitam exegerant, cõstantiam, & seueritatem Narcissi Episcopi Hierosolymitani nouerant. *Niceph. li. 5. c. 9. Narcissus Hierosolymi quid passus per calum.* Itaque judicium eius timentes, ne in fœdo deprehensi facinore quas meriti essent luerent pœnas, fallaciam quandam anteuertentes comminiscuntur, & grauem ei impingunt calumniam. Atque vt opinionem se vera dicere apud homines cõsequerentur, sycophantiam periurio confirmant, diris quoque sese si fallerent deuouentes: primus quidem vt igni conflagraret; secundus vt sontico, detestabilique morbo periret, tertius vero, vt oculis priuaretur. Et quãuis illi calumniam, iuramenti & execrationis obtentu contexissent, nemo tamen fidem eis habebat: quippe omnibus Narcissi castitas & virtus spectata erat. Ille autem quum improbitatem tantam eorum hominum ferre nequiret, aliterque à negotijs semotam, quietam, Philosophicamque vitam persequeretur, multitudine, arte quadam decepta, profugit, atque multis annis non comparuit: Et ille quidem sic vitam & discessionem instituerat. Cæterum magnus ille vindictæ Oculus, nequaquam cunctabatur, sed quam celerrime pestiferos & perniciosos homines illos comprehensos, malis eis quibus seipsos iuramento interposito obstrinxerant, maxime deuinxit. Primus igitur nulla prope de causa, scintilla vnica à candela prosiliente domo succensa, vna cum omnibus genere sibi propinquis, atque etiam cum substantia omni, miserabiliter præter omnem opinionem comburitur. Secundus, morbo grauissimo, qui totum corpus eius inuasit, corripitur. Tertius porro cum tam grauem & durum in illis exitum rei videret, & celeritatem omnia speculantis Diuinæ vindictæ consideraret, quæ communiter inter se per dolum & malitiam, contra virum optimum confinxissent, statim est professus. Neque luctus lacrymarumque prius modum fecit, quam vna cum illis oculorum vim & aciem defluere sensit. *Niceph. li. 8. c. 45.* Non minorem vindictam tulit quędam, quæ Eusthathio Episcopo Antiocheno imposuit crimen.

Eusthathius Antiochenus quid passus per calumniam. Narrat Nicephorus huic fuisse Episcopatum abrogatum, per Sycophantiam cum calumnia coniunctam: Velut enim Episcopalem dignitatem impudicæ mulierculæ concubitu, fœdæque voluptatis vsu turpiter contaminasset, Sancto viro eam ademerunt. Nam meretriculam vultu venusto, formæ ætatisque florem, cuius mercede prostituentem cõductam, vt linguam illis daret, verbisque subseruiret permouere. Et conuentu coacto, in quo ducenti & quinquaginta erant, alios quidem omnes exire, mulierculam autem illam vsu rerum proteruam ingredi iussêre. Progreditur illa, lactentẽ infantẽ in vlnis gerens, eumque impudenter ex Eusthathij consuetudine se concepisse, & peperisse clamitat. Eusthathius, si quem alium facinoris eius conscium, aut qui tale quicquam nosset, haberet, rogat. Quæ quum id negaret, iusiurandum ab ea judices acerbi postulant; quum quidem disertis verbis lex vociferetur, quæ de quo-

Deut.17. 1.Tim.5. piam sinistre vulgentur, *ex duobus aut tribus testibus firmitatem obtinere*: & Apostolus rursum, *aduersus presbiterum actionem recipi absque duobus aut tribus testibus* prohibebat. At illi nulla legis ratione habita, & nullis testibus, aduersus tantũ virum judicium instituêre. Posteaquam enim illa verba sua juramento confirmauit, infantem videlicet Eustathij improbæ libidinis opus esse, ilicet illi veluti cõtra Mæchum calculos produxerunt; Episcopis alijs, qui insidias structas ignorabant frustra contranitentibus, & non legitime virum damnatum esse contendentibus. Porro qui fabulam hanc concinnauerant, nulla interposita mora Imperatorem adeuntes, eique legitime per sententiam Eustathium damnatum esse cõtendentes. Episcopatu hominem mouere atque exigere sunt conati; tantum nimirum veræ pietatis & castitatis defensorem atque margaritum. Missis deinde militibus Imperator, vt Eustathium abducerent, occulte id fecerunt. Itaque ille per Thraciam in Illiricum est deportatus, perplacide calumniã ferens, quod hoc sic præstare iudicaret. Vir omnibus rebus honestus & bonus. Muliercula vero illa graui circumuenta morbo, sycophantiæ eius actum confessa, tragædiam omnem, vt edita fuerat exposuit.

Dixit enim Sacerdotes quamplurimos, qui eam pecunia corrupissent, flagitium id facere ausos. Seipsam autem non omnino mendacem esse, quod scilicet ex Eustathio quodam illiberalis artis opifice puerum concepisset. Sed ad secundum actum reuerentiæ Sacerdotalis accedo.

2. Sacerdotes iuuandi. Altera pars cultus Sacerdotalis est *Ministros eius, ne derelinquas.* Hoc ipsum Deus præcepit dicens. *Caue, ne derelinquas Leuiten in omni tempore quo versaris in terra.* (Deut.12.) Quid sit, nõ derelinquas? Existimo, non, permittas illum inopia premi; sed manu liberali adiuua. Iustum est, *vt qui altari seruit, de altari viuat.* (1.Cor.9.) Ad hoc respexit sapiens, vt ex consequentibus liquet: iubet enim, *Da illis partem, sicut mandatum est tibi primitiarum & purgationis.* (Eccle.7.) Laudatus Abdias dispensator domus Achab, qui cum Iezabel interficeret Prophetas Domini, ille centum ex eis in atrio abscondit & pauit. Damnati vero permulti, qui bona vsibus Cleri & Ecclesiæ dicata vsurpabant. Lego quendam Longobardum à Dæmone correptum, quod Mennæ Episcopo aluearia rapuisset. Lego depilatores Ecclesiæ S. Martini Thuronensis, dum prædam ex sacrilegio raptam nauigio imposuissent, atque per flumen hastis suis sese in naui propellerent, dirupta per medium scapha, omnes quotquot erant hastis iisdem incubuisse. Lego Childericũ Sigeberti regis primarium virum quod S. Metriæ pagum rapuisset, subitanea morte damnatum esse. Narrabo breuiter: Aquensi Ecclesiæ, in qua S. Metrias quiescit, per vim rapuerat pagum Childericus. Franco Episcopus qui tum præerat, cum non esset resistendo, ad tribunal confugit, inque ius vocauit Childericum. Is quod iudices partiũ suarum habuerat, & sors etiam vt solet pecunijs corruperat, pagum per iniquam sententiam Episcopo abrogat, insuper, & 200. florenorum mulcta damnandum curat. Ictus dolore Episcopus ad S. Metriæ sepulchrum accedens iurat. *S. Metria in tua Ecclesia, neque lychnus ardebit, neque cantus audietur, quousque non vindicas iniuriam tuam & Ecclesiæ; quodque violenter raptum est ab iniusto possessore non eripis.* Orauit, & fascem spinarum in sepulchro Sancti, alterum vero ad postes ostij reposuit, sicque Ecclesiam clausit. Interea Childericus febribus ardentissimis diuexatus, peccatum agnoscens clamabat, *Peccaui, quod pagum rapui, & Episcopo iniurius fui.* Iusserat postmodum raptum restituere, & Sancto Metriæ super sepulchrum 600 florenos numerare; quod dum fit, morte intẽpesta extinguitur. Si talem vindictam inter nostros exigeret Deus, quotus est qui abiret illæsus?

Raptores bonorum Ecclesiæ quomodo castigati.

Childericus raptor quomodo castig.

Tertius reuerentiæ Sacerdotum actus est, *honorifica Sacerdotes*; scilicet omnem illis externum honorem exhibe. A Constantino Imperatore legem editam tradunt, qua decernit plus honoris deberi homi- 3. *Sacerdotum honor.*

homini in Sacerdotali dignitate constituto, quã vlli alij Domino, vel regi. Certũ est enim esse in illis & honorari Christum, qui vicem Christi in terra gererent, non in illis qui imperarẽt terræ. Solis autem Apostolis, quorum locum Sacerdotes tenent, à Domino dictum esse, *Qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit.*

Rudolph. Habsp. Insigne exemplũ venerationis Sacerdotum dedit Rudolphus Comes Habspurgensis, qui primus ex familia Austriaca, propter hanc pietatem, meruit Imperatoriam dignitatem. Qui cum in itinere Sacerdotem cum æditu sacra ferentes inuenisset, Sacerdotem suo, æditum serui equo imposuit, eosque pedes comitatus est. Qua quidem humilitate, non sibi tantum, verum & posteris suis, ad amplissimos in Repub. Christiana honores aditum fecisse, à multis creditum est.

4. Sacerdotes defenden. Extremus actus reuerentiæ Sacerdotũ est. *Propugnato illos cum brachijs tuis*: scilicet defende ab iniurijs. Quid dicent illi, qui non tantum non defendunt, sed etiã ipsi violentas inferunt manus sacris viris? Impune illis cedet? an vero supplicia dependent? Audiamus quid acciderit nonnullis, qui sacrilegas manus iniecerãt in Dei vnctos. *Violatores Sacerdotum quomodo puniti. Saul & Doëch.* Emissarij Saulis regis, iussi interimere Sacerdotes Nobe, eo quod Dauidem (quem ipse rex persequebatur) suscepissent, non sunt ausi manus eis inferre. Aderat rex, in facinus vrgebat, cunctantibus iratus minabatur. At illi immoti fixiq; stetêre, adeo ipsimet occidi, si sors ita ferret, quam occidere Dei ministros malebant. Serui deniq; morte contempta, prætulerũt furentis Domini iussioni reuerentiam Sacerdotum: Doech vero Idumæus, cui nulla religio, nullus Dei metus erat, ne Sacerdotum quidem eius cruore manus suas fœdare timuit, nec distulit pios corã impio rege iugulare, vt illi morẽ gereret, Doech interpretatur mortuus, ne nescias morte æterna damnandum esse; quisquis tã excellentis ordinis viris iniuriã irrogare nõ perhorret. Ac ne tã immane flagitiũ, vel Sauli, vel ipsi Doech impune cessisse existimes, ambo simul, cum in Gelboë Philistinos fugerent, iusto Dei iudicio proprijs mucronibus incubuerunt, semet interficientes, qui Sacerdotes interfecerant.

Ieroboam. 4. Reg. 13. Ieroboam cum extenderet brachium vt virum Dei capi faceret, exaruit manus, & altare scissum est. *Teridates in porcos cum suis mutatus.* Teridates Armeniæ Princeps, Gregorium magnum post multa tormenta, in antrum cænosum & obscurũ per annos quatuordecim inclusit, tempore Constantini. Tandem cum suis optimatibus, in porcos mutati, se mutuo deuorarunt. *Theodoricus.* Theodoricus Vestgothorum rex Arrianus, ex eo tẽpore, quo Symmachum, Boëthium, & Ioannem Pontificẽ Romanũ iniuste interfecit in summum animi mærorẽ incidit, ita vt oblatos in mensa pisces interfectorum capita esse arbitraretur, & tandẽ 90. die à morte Ioannis cruenta morte perijt. Multus essem si recensere vellem pœnas, quibus Diuino iudicio castigati, qui iniurij fuerũt Sacerdotibus, præsertim cum quotidiana experientia videatis inter vos, his qui vel manum contra eos mouerint, illam eis nihil tale cogitantibus sæpe abscindi.

Vos qui pietatis amantes, ne tã amantes estote, vt velitis tãgere pupillam oculi Diuini, potius facite quod iubet Spiritus Sanctus; *Sanctam de illis existimationem habete, beneficentia iuuate, reuerẽtiam exhibete, ab iniurijs vindicate.* Sic Diuinam gratiam & gloriam illis orantibus obtinebitis nunc & in secula. Amen.

DOMINICA QVARTA POST EPIPHANIAM.

Ascendente Iesu in nauiculam, &c. Matt. 8. cap.

CONCIO I.

Cur Nauicula vehitur Christus?

EA Dei Opt. prouidentia est, vt ad se aduolantes, maximis ornet beneficijs. Traducebat ad se olim ex Ægypto Hebræos. At quæ non insignia in gratiam eorũ fecit? Ægyptios varijs calamitatib. affixit, egre-

egredientes diuitijs ingentibus locupletauit: quod autem præter omnem expectationem illorum erat, *diuisit mare rubrum in diuisiones*, eosq; sicco vestigio incedentes in columna igninuba præiuit. Cur talia Christus Apostolis non præstitit sed in nauiculam cum eis ascendit? Id erit propositum Concionis hodiernæ.

Huius consilij Saluatoris triplicem possum conijcere rationem. Primam esse arbitror, vt ostenderet se posse verbo imperare fluctibus marinis. *Dixit*, olim, *& stetit spiritus procellæ & siluerunt fluctus eius, & statuit procellam maris in auram.* Huius eiusdem potestatis conscius, cum prænosset futuram tempestatem, voluit nauim ascendere, Apostolosq; assumere, qui testes essent facinoris patrati; & propter facinus gestum, Diuinæ in eo potentiæ latentis prædicatores. Namque id est Deo proprium, sedare tumentes fluctus & reducere pulcherrimam tranquillitatē. Ita enim ipse Deus interrogans Iobum innuit, cum quærit. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat de vulua procedens, cum ponerem nubē vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ inuoluerem? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Et certe hoc est mirandum quam maximum, quod cum mare altitudine sua emineat terris omnibus quas circumluit; ita vt ad eleuationem terræ quam ambit, attollatur & ipsum, quod non alluat & obruat terras, sed lenissimo littore cohibeatur, cui allidit fluctus. Vnde maius mirandum est, quando Aquilonis, Euri, & aliorum ventorum furore commotum, easdem terras non operit, Diuina iussione cohibitum. Vnde Dauid cantabat: *Mirabiles elationes maris*, inquit, *mirabiles in altis Dominus*, nimirum qui hæc alta maris comprimit, ne demissas terras obruat: & qui nubes densissimas dispergit, aëremque serenat. Vt igitur hanc sibi Diuinam potestatem inesse demonstraret, voluit discipulos nauicula traducere per fretum. Hanc rationem insinuare mihi visus est Chrysostomus, in suo Commentario: Turbæ, *inquit*, nihil magni, nec vltra hominem de Christo cogitabant. Admirabantur enim dicentes: *Qualis est hic homo, quoniam mare, & venti obediunt ei?* Chistus enim non arguebat eos nudum hominem ipsum putantes, sed sustinebat signisque inducebat, vt viderent se non recte opinari de ipso. Hominem quidem ipsum partim visu, partim etiam, quod dormiret, ederet, ac biberet, nauigio veheretur: propterea etiam mirabantur dicentes. *Qualis* est? Somnus enim & vectura & statura quæ videtur, hominem ipsum declarant: at vero maris tanta per eam subito facta tranquillitas, Deum exclamat. Quamquam enim & Moyses tale quid fecerit, sed ille quasi seruus, hic quasi Dominus operatur. Nam ipse *qui educit ventos de thesauris suis*, cum *imperasset ventis & mari, & facta esset tranquillitas magna*, ab imperio quod gessit in hæc inanimata probauit se esse Deum.

1. *Nauicula vehitur, vt Deitatē probaret. Nam Deo proprium mari imperare.*

Iob. 38.

Psal. 92.

Alteram propositi Saluatoris rationem conijcio, cur voluit nauicula vectari, nimirum vt se ostenderet velle esse præsentem in Magna prætoria, Ecclesiæ Catholicæ, neque illam in rerum turbulentissimo statu deserere. Si quis Onerariam aliquam nauem, pretiosis onustam mercibus, ab Indis per Oceanum traducere cupit, non illam temere fluctibus committit, sed vel ipse ducit, vel perito nauclero ducendam regendamque permittit: qui & cursus siderum, & naturas ventorum, & situs regionum, & Syrtium vel Charybdum periculosos vortices ex nauticæ perceptis experimentis nouit; vt sciat & ab ingruentibus procellis, & à sublatentibus scopulis, & ab hostium impetu illæsam saluis mercibus & thesauris, ad portum optatum deducere. Christus nauim Ecclesiæ, non ex lignis, sed ex pretiosissimis animabus construxit; & hanc non auro, non lapide pretioso, non quouis thesauro, sed charitate immensa, sed gratiæ splendore, sed inæstimabilibus ex cælesti monte vnionibus, exornauit: in hac lignum Sanctissimæ Crucis erexit, ad quod funi-

2. *Voluit indicare se velle esse adstitem Ecclesiæ.*

Nauis Ecclesiæ.

funiculus fidei & dilectionis colligauit omnes partes, huic appendit velum imagine Diuinitatis delineatum, & vento flammis flammantis inflatum: hanc Anchora firmissima spei immotæ, aduersus omnes insultus stabiliuit: in hanc non omnis generis animantia, neque tantum septem vt Noachus, sed innumerabiles ab Orbe condito credentes animas imposuit; vt eas non de mari ad terras, sed à terris ad Cælestia regna eueheret. Sed in quod mare ipsam coniecit? Oceanus Atlanticus non tam est profundus, neque tam latus, vt *mare hoc* mundi *magnum, & speciosum manibus*. Mare Balthicum, aut Africum, non fert tam immania, tamque portentosa monstra, quanta fert in perniciem hominis mundus, *in quo reptilium non est numerus*. Hic vbi nostræ animæ sulcant *animalia pusilla cum magnis*. Hic Syrenes blanda voluptate mulcentes dementant: hic lupi rapaces sanguini animatum inhiant: Hic torpedines, sensus ad spiritualia stupore afficiūt: hic remotæ ab instituto cœli itinere retrahunt: hic loligines immedicabili veneno mentes enecant: hic polypi variantes multos decipiunt. Draco autem & Behemoth quid? Pestilentissimas exsufflat flammas; animi concitationem, iram, furorem, rixas, inuidentiam, contētionem, calumnias, conuitia, diuitiarum cultum, honoris appetentiam, Dei contemptum, animæ salutis neglientiam, & ad extremum quærit hoc cete Ionam, si qua ratione ex hæc prætoria eijciatur, vt absorbeat & deglutiat, naufragantem. Iam vero pyratarum, quam ingens numerus, contra hanc Christi Lyburnā? Olim idololatræ ab initio; postmodum Hebræi: Hebræis successerunt variantes per vices gentiles Tyranni, Philosophi, hæretici: insuper *& inimici hominis domestici eius*: *Vbique pugna, vbique timores*. Quis numerabit Nerones, Diocletianos, Maximianos? Quis Porphirios, Apollonios; Lucianos? Quis Simones, Arrios, Lutheros? Quis deniq; pericula quæ ei à falsis fratribus? à falsis filijs? à falsis domesticis? A Patriarchis, quorū sedes euersæ sunt; à filijs quorum sceptra contrita sunt; & à domesticis *quorum dentes* tu ô Deus *contriuisti*, quæ pericula & mortes, Ecclesiæ non intentatæ? Sciebat Nanarchus Iesus, quibus fluctibus obruere conabatur eam, ille qui *vomuit ex ore flumen post mulierem parturientem*, vt est in Apocalypsi: quamobrem ne temere illam periculis exposuisse videretur; voluit nauicula vectari; vt hac præsentia symbolica declararet, se fore adstitem perpetuum Ecclesiæ suæ Catholicæ. Vnde & dicebat ad Apostolos, *Nolite timere pusillus grex: ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.*

Mundi sub typo maris descripto.

Alluso ad piscium propri.

Pyratæ qui?

Et quidem dum viueret in mortali corpore, adfuit illis semper omnibus dubijs. Mergebatur aliquis? ille fidem suggerebat; & mare sub eius plantis solidabat. Criminabantur alij à Pharisæis? ille apologiam eorum recitabat, curque legis ceremonias non obseruarent excusabat. Quærebantur à Pontifice ad necem? Nō eos prodebat interrogatus licet; imo in vnum cænaculum collectos, Diuina virtute tegebat. Cæterum cum ab eis abitum pararet, noluit illos relinquere orphanos; sed misit Spiritum sanctum Doctorem & Paracletum perennem, *qui* inquit, *manet nobiscum in æternum*, vt suggerat quæ docuit, vt doceat, vt explicet, quæ vel insinuauit, vel etiam sub parabolis dixit; vt denique consoletur, & adiuuet *in tribulationibus, quæ*, ait Ecclesia, *inuenerunt nos nimis*. Et ne quid ad regimen visibile deesset, Porrectam relinquit illum, *pro cuius fide, ne deficeret orauit*: illum, cui iniunxit, *confirma fratres tuos aliquando conuersus*: illum denique cui commisit, *Duc in altum, quia portæ inferi non praualebunt aduersus eam*. Cui Petro ipse assistens Iesus, quam mirabili ratione, needum satis perfecte compaginatam cymbulam, inter illos feros fluctus direxit? seruauit? Non est necesse me nunc recensere: illud tantum assero, Petro esse commissam supremam gubernationem huius nauiculæ, & post Petrum, eius successoribus, Romanis Pontificibus, in quibus voluit eminere Christus. Quid enim aliud est commissum Petro à Christo, cū ei

Matth. 28.

Luc. 22.

Petrus Christi Vicarius propter prærogatiuam nauarchi.

ei dicebat, *tibi dabo claues regni cælorum,* quam suprema in Ecclesia potestas?

Matth. 16. Fateor alijs Apostolis datam esse authoritatem, *prædicandi Euangeliũ omni creaturæ,* credentes baptizandi, baptizatis *remittendi vel retinendi peccata* : his vero quibus remiserint impertiendi Sacra Sacramenta, cæterum hanc esse partem ministerij concessam intelligo non plenariã potestatem administrandæ Ecclesiæ, quæ symbolo clauium designatur, quam soli Petro vtpote Vicario suo concessit. Namque & Paulus, qui plus omnibus se laborasse testabatur, dum beneficiũ vocationis suæ ad Apostolatum, perscriberet, Colossensibus non sibi totam plenitudinem potestatis, neque summam præfecturam Ecclesiæ arrogauit, sed partem vnicam duntaxat, *Gratias,* inquit, *agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum, in lumine.* Quid *in partem?* Neque eam totam, sed *in partem sortis?* Discrimen fecit, inter ea quæ collata Petro, & quæ sibi. Voluit dicere: Non totum mihi cõcessum est negotium Ecclesiæ gubernandæ: Alius est pro quo rogauit, cui oues & agnos pascendos dedit, & cui in altum pelagus ducere, & in fluctibus flectere & dirigere nauiculam suam commisit. Petrus ille est vertex Apostolorum, cui summam ac plenariam gubernandæ Ecclesiæ curam iniunxit: me & alios coApostolos, *in partem sortis Sanctorum* vocauit, & inter coadiutores fratres, & anteambulones arietes esse voluit. Ne igitur Ecclesiam periculis exponeret, sed illius se perpetuum astitem profiteretur, voluit in nauiculam intrare. Adfuit ipse per se, adfuit in persona postmodum Petri; adfuit, adest, & aderit vsq; ad cõsummationem seculorum, in persona successorum Petri Romanorum Pontificum. Ita enim Psaltes enunciat.

Matt. vlt.

Claues quid.

Expl. loc. Ad Coloss.

Paulus coadiutor.

Expl. loc. Psal. 44.

Pro Patribus tuis, inquit, *nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnẽ terram, memores erunt nominis tui, in omni generatione & generationem.* Quærit Augustinus: Quid est, *ait,* pro patribus tuis nati sunt tibi filij? Respondet: Patres, inquit, missi sunt Apostoli; pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi, qui sunt per totũ mundum, vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sede Patrum. Non ergo te putes desertam, quia nõ vides Petrum, non vides Paulum, quia non vides eos per quos nata es; de prole tua creuit tibi paternitas: *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram.* Deduco: Ne timeas insultus hæreticorum *ô filia Regis in vestitu deaurato.* si Petrum non vides: pro Petro enim succedanea, nec interrupta generatione natus est tibi filius & Vicarius Petri SS. D. N. Paulus Papa V. qui sedẽ Petri implens, dignitate, fide, charitate, virtutibus, authoritate, rerum gestarum gloria Petrum Apostolorum refert.

Successores Petri Christum referunt.

Tertio voluit intrare nauiculam, vt innueret se præsentaneum esse cuiuis posito in quacunque aduersitate, sed quandoque dormire: Præsentem se fore ipso testatur dicens, *Quoniam,* inquit, *in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum & ostendam illi salutare meum.*

3. Voluit insinuare quod cuiuis adest in tribulatione, licet quandoq; dormiat.

Expl. loc. Psal. 90.

Tria valdè necessaria præmisit, quæ requiruntur vt Deus adsit alicui in tribulatione; sperare, nosse nomẽ Dei, & clamare. *Sperauit,* inquit: Quis est qui sperat. Qui propitium & fauentem sibi Deum credit: hic autẽ talis immunis esse à culpa quam Deus odit: debet. Namque *odio est Deo impius, & impietas eius*: alias si sperat, non sperat, sed præsumit, vt non sperat, sed præsumit, quicunque ab infenso auxilium sperat. *Cognouit,* inquit, *nomen meum.* Quod est eius nomen? Pater, ita enim ipsum orantes compellamus, *Pater noster qui es in cælis.* Quis autem est qui cognoscit nomẽ Patris? Qui modestiam, fidem, pietatem, obsequentiam, dilectionem erga eum ostentat. Qui ab his virtutibus declinat, non nouit nomen Dei. Talis itaque qui potest sperare, & qui potest ex animo dicere, Pater noster, si clamat,

Prou. 9.

mat, si viscera sua aperit, si perdius & pernox est in oratione, si *raucæ factæ sunt fauces* eius, dum *sperat in Deum* Patrem, meretur habere Deum auxiliatorem: qui dicet, *Cum ipso sum in tribulatione.*

Tribulationes necessaria.

Monebat Bernardus omnem quicunque est in tribulatione aliqua positus: Agamus, inquit, gratias Patri misericordiarum, qui nobiscū est in tribulatione. Res necessaria tribulatio, & tristitia quæ vertitur in gaudiū: Res necessaria est ista necessitas, quæ coronam parit. Non contemnamus fratres; semen modicū est, sed magnus exinde fructus exurgit. Forte insipidum, forte acerbum, forte granum sinapis est? Non consideremus quæ videntur, sed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur tēporalia sunt, quæ non videntur æterna. Prelibemus primitias gloriæ, *gloriemur in spe gloriæ filiorum magni Dei: nam momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Absconditа est gloria in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc leui pondus sublime & supra modum: cum hoc exiguo, magnus Deus, qui ait, *Cum ipso sum in tribulatione.* Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti in camino habere te mecum, quam esse sine te, vel in cœlo. *Quod enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Aurum probat fornax. & viros iustos tentatio tribulationis.* Ibi, ibi, cum eis est Dominus: ibi in eius nomine congregatis medius astat. Astitit cum tribus pueris in camino ignis, & Ethnico quoque apparuit, vt quæreret *quis est quartus similis filio Dei?* Astitit Iosepho in puerum dimisso, & in ergastulum coniecto. Astitit Danieli in medio leonum concluso. Astitit Susannæ iam iam imbre lapideo obruendæ. Astitit Ezechiæ nunc nūc à Senacheribo deuastando. Narrabo quid Theodorus martyr cuidam responderit: Interrogatus: an sensisset pœnarum tormenta? & an plagas citra dolorē omnem pertulisset? respondit, non se quidem sine sensu cruciatum esse, adolescentem autem quendam sibi assistentem fascia sudorem abstersisse, & aquam frigidam infudisse, qua dolorum ardorem refocillarit, tormētorumq; vim sustulerit: spiritui preterea suo robur indidisse, & incredibilem in tantis laboribus iucūditatem suppeditasse. Neque enim hominis est corpus ipsum ita despicere, nisi Diuinum præsto sit auxilium qui cuiuis adstat. Et cui non astitit? Neminem discreuit, sed cum omni qui sperat, qui cognouit nomen eius, qui clāmat, est in tribulatione. Sed tamen dixi. quia est, & dormit. Quid est dormit, si *nō dormit, qui custodit Israël?*

Rom. 8. 2. Cor. 4.

Psal. 90.

Psal. 72. Eccl. 27.

Theodorus martyr astitem sibi vidit Angelum. Niceph. li. 10. c. 28.

Expl. loc. Psal. 120.

Christus dormit quando.

Declarat Augustinus, Noli, *ait*, timere quando tribularis, ne quasi non sit tecum Deus. Fides sit tecum, & tecum est Deus in tribulatione. Fluctus sunt maris? turbaris in nauigio? quia dormit Christus. Dormiebat in naui Christus; perierant homines. Si fides tua dormit in corde tuo tanquam in naui tua dormit Christus; quia Christus per fidem in te habitat. Cū turbari cæperis, excita Christū dormientem: erige fidem tuam, & noueris quia non te deserit. Sed ideo putas te deseri; quia quando vis eripit. Eripuit tres pueros, deseruit Machabæos? Absit, & istos, eripuit, & illos. Illos corporaliter, vt infideles confunderētur: istos spiritualiter, vt fideles imitarentur. Eripiet & te quoque si clamaueris, si patrem inuocaueris, si deniq; in ipso sperandi occasionem habueris. Nec eripiet tantum, sed & glorificabit, vt *cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer*, cui ostendet Deus salutare suum nunc & in æternum. Amen.

CONCIO II.

Ascendente Iesu in nauiculam. Matth. 8. cap.

Tesseræ Ecclesiæ.

CVM olim aquis diluuij Orbem vniuersum cogitabat Deus immergere, volebat aliquos præelectos à communi eluuie saluare. Sic etiā fine seculo-

culorum adueniente, cum decreuerit, quamplurimos flammis voracibus inundare, mundumq; sceleribus obrutum expiare, instituit suos delectos à turbine & æstu illo seruare, in hac Lyburna Ecclesię, quam hodierna die sub typo nauiculę sua præsentia impleuit. Hãc aio esse Catholicam Romanam *vnam vnicã Christi sponsam, ex multitudine credentium, in vnitate fidei, doctrina, sacramentorum, sub vno capite Christo, & sub eius, in terris Vicario Romano Pontifice congregatam.* Istam eius Tesseram hodie euulgo, & apud nos Orthodoxos veram esse Ecclesiam euinco.

Expl. loc. Gen. 6.

Vastam illam Noachi Lyburnam, tot cubitis in longum, latum, & altum dimẽsam, in vnico cubito concludi voluit Deus: Ita ad architectum ait, *& in cubito consummabis summitatẽ eius.* Ad nauim Ecclesiæ, cuius typũ gerebat Arca, respexit Deus, quam non qualitate, vel pluralitate diuidere, sed vnitate deuincire cogitabat: Nam vnum Deum, vna maxime delectat; vnam & vero maxime decet vnitas fidei, doctrinæ, Sacramentorum, Capitis: Diduco singula.

Vna Ecclesia.

Vnam voluit habere Ecclesiam Christus, quod liquet ex eo cum dixit: *Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor.* Quæ quod non ex paucis, sed ex multitudine credẽtium, idque vniuersi Orbis gentium cõgreganda esset, & si ex eodem textu Euãgelij patet, vbi Christus dicit; *& alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc oculi, & illas oportet me adducere:* tantũ manifeste Deus per Prophetas pręnunciat, Iesum fore pastorem gentium quotquot sunt sub Sole. *Paruum est mihi,* inquit, *vt sis ad tribus Israël conuertendas, & ad fœces Israël suscitandas, dedi in lucem gentium vt sis salus mea ab extremis terræ,* & per alium. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & possessionem tuam terminos terræ,* & alibi: *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos Orbis terrarum.* Quamobrem cum ipse mitteret Apostolos, ad professionem Orbis capiẽdam, iniunxit. *Et eritis mihi, inquit, testes ab Hierusalem, vsque ad extremum terræ.*

1. Ex multitudine gentium vnita.

Porro vnitatem *fidei, doctrinæ, & Sacramentorũ,* expresse docet esse Paulus in Ecclesia, quasi nodum & vnum cubitum consummationis Ecclesiæ, cum Ephesios monet: *Obsecro vos,* ait, *ego vinctus in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, soliciti seruare Vnitatem spiritus in vinculo Pacis. Vnũ corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Deus. Vna fides. Vnum baptisma. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

2. In vnitate fidei, doctrinæ & Sacramentorũ.

Cæterum quod attinet ad vnitatẽ *capitis visibilis* seu Vicarij Christi in terris; sicut Petro commiserat vices suas in terris dicens, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos,* scilicet, & fideles, & fidelium Antistites: sic post decessum Petri, cum vsq; ad cõsummationẽ Sanctorum alijs Apostolis, alios supposuit Episcopos, voluit etiam pro tali Petro, qui summa & vertex Apostolorum, succedere filios, Summos Romanæ Ecclesiæ Pontifices: vt post Nicænum Constantinopolitanum, non vnum Ephesinum, Chalcedonẽ. atq; alia tum generalia tum Prouincialia Orbis Concilia, & post innumeram testem nubium, Sanctorum scilicet Patrum Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ, Patres Latini & Græci in Oecumenico Florentino Cõcilio congregati confitentur. *Definimus sanctam Apostolicã sedem, & Romanũ Pontificem in vniuersum Orbẽ terræ tenere Primatũ, & ipsum Pontificem Romanum successorẽ esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac doctorẽ existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.* Itaque vt in vnum omnia contrahamus: *Ecclesia Christi est vna ex multitudine gentium vnita, in vnitate fidei, doctrinæ, & Sacramentorum, sub vno gubernatore Christo, & sub eius in terris Vicario Romano Pontifice congregata.* Hæ igitur sunt notæ tesseræ Christi in terris

3. Sub vnitate Pastoris visibilis.

4. Romani Pontificis cõgregata.

Ecclesiæ. Quæramus nunc in quemnam cadant; & quam congregationem, Christi esse Ecclesiam euincant?

Ecclesia Romana & Orbis totius vna.

Inprimis *quod multitudinem gentium vnitam spectat.* In Ecclesia Catholica Romana, primitiæ Ecclesię quas siue ex Hebræis, siue ex Gentibus Petrus adunauit: in Ecclesia Catholica Romana Hierosolymitani quos Iacobus Apostolus diuturno tempore rexit: in Ecclesia Catholica Romana Antiocheni & Alexandrini quibus Petrus & Marcus Euãgelium prędicauit: in Ecclesia Catholica Romana Oriẽtales Asiani & Illirij quos Paulus Christo generauit: in Ecclesia: Catholica Romana, Archaia quam Andreas illustrauit: in Ecclesia Catholica Romana, Scythia quam Philippus baptizauit: in Ecclesia Catholica Romana, Hispania quam Iacobus conuertit: Lycaonia, quam Bartholomæus mansuefecit; Ephesus quam Ioannes, Sacro dogmate sacrauit. In Ecclesia Catholica Romana, Parthia, Hyrcania, Indiæ, quas Christo incorporauit Thomas. in Ecclesia Catholica Romana, Macedonia & Æthiopia; quam Matthæus inalbauit; Media & Mesopotamia, quam Iudas Thaddæus subegit: Pontus & Persidis, quam Simon Christi iuris esse fecit. In Ecclesia Catholica Romana Gallorum populi, quos Lazarus, Dionysius, Maximinus & alij à Petro missi docuerunt. in Ecclesia Catholica Romani quos Bonifacius; Angli quos Gregorius: Slaui quos Cyrillus & Methodius; Boëmi, Vngari, Poloni, Pruteni quos Adalbertus: Comani, Samagitræ, Liuones, Lituani quos Diuus Hyacinthus Christo inseruerunt, in Ecclesia Catholica Romana Orientales & Occidentales Indi, quos Reges Hispaniarum, *Ecclesiæ nutritij* per varios Religiosorũ conatus Christo incorporatã, non alibi eam reperies, quam in Ecclesia Catholica Romana, *cuius fides,* etiã tum viuente Paulo, *annunciabatur in vniuerso Orbe.* Non enim ad Mastrucam Sardorum tantũ, *ait Hieronymus,* neque ad patres Donati tantum, *ait Augustinus,* neque in vnum angulum, Ecclesiam suã colligit Christus: sed qua patet Orbis voluit *exire sonum eorum.* Da mihi aliquẽ cętum extra Ecclesiam Romanam, an ille toto Orbe constat? Dabis nullum Lutheri, Caluini, Mennonis, non palatijs, sed tabernis & lustris tantum aliquibus in Septentrione conclusus, Meridianum, Orientalem, Occidentalem, & recens emergentem Americæ Solem non vidit. Sperant forte quia videbit? Frustra S. Augustinus absurdissimum censuit, *vt hæresis Donatistarum post annum Domini trecentesimum ex Carthagine propaganda esset, in vniuersum Orbem terrarum:* quid non magis absurdum erit post annũ Domini 1611. si credatur è Vuittenberga, vel Geneua, vel Germania, Lutheranismus, Caluinismus, Anabaptismus diffundendus? præsertim cum *hæreses* (*vt docuit Augustinus, & videmus,*) *sarmenta sunt præcisa, quæ vbi cadunt, dum præciduntur, ibi manent.* Sed pergamus ad reliqua.

Contra Luciferũ. lib. 13. cõtra Faustum c. 13.

Lib. de vnit. Eccles. c. 14. & 15.

Lib. de pastor. cap. 8.

In Ecclesia Rom. vnitas fidei, doctrinæ & Sacramentorũ.

Quod *vnitatem fidei: doctrinæ & Sacramentorum attinet*, hæc non alibi fuit, est, atque erit, quam in Ecclesia Catholica Romana, in qua sub Petro, *multitudinis credentium cor vnum est & anima vna,* vt est in Actis Apostolorum: Namque illa sola est, *tetra labij vnius*, & vt reliquit Tertullianus, ideo Ecclesia Catholica est & appellatur Apostolica (non solũ propter successionem Episcoporum ab Apostolis, sed etiam propter doctrinæ consanguineitatem) quia eadem, quam Apostoli tradiderunt retinet fidem & doctrinam. Et tam constanter retinet, semel à Patribus traditam doctrinam, vt fere in omnibus Oecumenicis Concilijs, cõtra nouatores congregatis, nõ aliud semper opposuerit quam illud Apostolicum: *præterquam quod accepistis*, scilicet, nihil nouandum, nihil antiquandum esse. Sic in Concilio Nicæno M. Athanasius Arrianis suasit, *ne de fide ab initio tradita aliquid nouarent, sed in explorato sententiam de numinis Diuini cultu complecterentur.* Sic in Concilio Ephesino acclamatum est. *Nihil innouetur. Quod traditum est obseruetur.* Sic in Concilio Chalcedonen. *Decreta Sanctarũ vniuersalium synodorũ stabi-*

Lib. de præscript.

Cũ antiquitate venerãdã.

Niceph. li. 15. c. 4 & 6.

stabiliendæ fidei gratia edita, eius videlicet quæ Nicææ & Constantinopoli, & Ephesi primum congregata est confirmarunt: tum deinde admirandi Cyrilli ad Nestoriũ datas Epistolas, & Leonis Romani ad Flauianum epistolam, & eiusdem libellum ad Martianum Imperatorem, & synodum in Acta synodi retulerunt: insuper & Canonem statuerunt, *vt nemini liceat aliter sentire, aut fidem aliam componere, aut proferre, aut docere, aut symbolum aliud eis tradere, qui ex Græca superstitione, & Iudaismo, vel alia quacunque hæresi se conuertere ad veritatis cognitionem voluerint, eos, siquidem Episcopi aut clerici fuerint, ab Episcopatu & clero alienos: sin autem monachi aut laici fuerint anathemati subiectos esse debere.* Quamob rem illud quod Principes & fundamenta Ecclesię Apostoli crediderũt & tradiderunt, semper & vbique credidit Ecclesia Catholica Romana, quæ est *columna* inflexa, & *firmamentum* inconuulsum *Veritatis.* Pauca dabo exempla. Ex primo seculo, Iacobus Apostolus, Sacros ritus missæ sacrificij, in sua Lythurgia descripsit? Ad hos, Ecclesia Catholica Romana, fere omnes, sua Sacra celebrat? Hos vero omnes, nonnemo Hæreticorum risit & ridet, abrogauit & abrogat. Iacobus. Apostolus, Præsbyt. Achaiæ, ab exemplo & præscripto Andreæ Apostoli, Clemens Romanus lib. 8. Const. Apostoli. c. 16. & 17. adorant in oblatione mystica, immaculatum agnũ, verum corpus & sanguinẽ Iesu Christi, vt & D. Ignatius ad Smyrnenses, vt & D. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. 3. diserte confitentur. Idẽ confitetur Ecclesia Catholica Romana quod Iacobus, quod Andreas, quod Clemens, Ignatius & Dionysius. Hæreticorum vero huius temporis nullus est, cui panis iste mysticus, non panis sit purus. Inuocat Sanctos Iacobus? Orat pro mortuis idem ipse? Quadragesimale ieiuniũ inculcat Clemẽs & Ignatius, ille in Canone Apostolorum 68. & 69. hic in epist. ad Philippenses? Petrum caput Ecclesiæ agnoscit Ignatius, in epistola ad Romanos? Imaginum cultum ad Abagarum refert Eusebius? Seruat imagines & colit Ecclesia Romana, Petro & Petri Vicario subiecta ieiunat ieiunium quadragesimale, orat pro vita persunctis, deposcit suffragia Sanctorum. Nonnemo autem hæreticorum hæc antiquauit. *Namque hi sunt, qui, vt S. Alexander Alexandrinus ad Alexandrum Constãtinopolitanum scripsit, etiam ex veteribus nullos esse dignos putant, qui cum eis conferantur, neque eis æquari se patiuntur quibus nos à pueris præceptoribus vsi sumus. Sed ne ex omnibus quidem qui passi sunt collegis & præsbiteris, quenquam ipsis comparari volunt, solos se sapientes, possessionum contemptores & dogmatum repertores, esse iactantes vt quibus vnis reuelatum sit, quod nemini omnium qui sub Sole sunt hominum in mentem venerit. O tumorem impium & furorem immensum, ô opinionem insanam & Sathanicum plane sensum.*

A qua ne latum vnguem recedendum censet.

Non recessit à doctrina Patrum primi sæculi quod faciunt hæretici. 1. Missa.

2. Eucharistia.

3. Inuocatione Sanctorum.

4. Orat. pro mortuis.

5. quadr. ieiunio.

6. Primat. Pet.

7. Imaginib.

In contemnen. antiquitate. Hæreticorũ arrogantia. Niceph. lib. 8. cap. 7.

Sed suo se gladio iugulantes audiamus Nouatores, quibus nouare fidem tam est familiare, quam spirare. Caluinus in suis institutionibus passim fatetur, se toti antiquitati repugnare. Dum enim de libero arbitrio disserit, *semper,* inquit, *apud Latinos & Græcos nomen liberi arbitrij extitit: ego vero neque ipse huiusmodi vocem vsurpare velim, & alios si me consulãt abstinere optarim.* De gratia etiam dum loquitur, etiam Augustinum præclarissimum Doctorem refutat; *Ac ne Augustini,* inquit, *sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem regeneramur, per Spiritum sanctum.* De coæqualitate filij Dei cum patre, omnes veteres errasse, neque eorũ errorem excusari posse, *ait,* qui dum ad mediatoris personam non attendunt, totius fere doctrinæ quæ in Euangelio Ioannis legitur, ieiunum obseruãt sensum, seseque implicant multiloquijs: De satisfactione pro peccatis, omnes fere veteres *inquit,* quorum libri extant, aut in hac parte lapsi sunt, vbi de satisfactione agitur, aut nimis aspere aut dure locuti sunt. De oratione pro defunctis, *ait,* ante mille annos & trecentos, vsu receptum fuit, vt precationes fierent pro defunctis, sed veteres omnes, inquit, in errorem abrepti

8 libero arbitrio. Lib. 2. c. 2. 4. & 8.

9. Gratia li. 2. c. 3. & 7. & l. 3. c. 11. & 15.

10. Deitate Christi. Lib. 2. c. 14.

11. Satisfactione l. 3. cap. 4.

12. Suffragijs l 3. c. 5.

12. Suffragijs l. 3. c. 15.

sunt. De merito, *ait*, vsi sunt, fateor, passim veteres Doctores nomine meriti; sed pessime cõsuluit fidei sinceritati, qui hoc nomen inuenit. De cælibatu cleri, *inquit* quia peccauit antiquitas immodica seueritate, quod plus requireret in Episcopo, quam Paulus requirat, ac præsertim successu temporis cælibatum. De solenni pœnitentia *autumat*, excusari nullo modo posse antiquitatem, quę pœnitentiam nunc in septem, nunc in quatuor, nunc in tres annos, nunc in totam vitam indicebat. Omitto alia, in quibus Caluus, si ab antiquitate veneranda variet, summam se fidei inuenisse iactat. Quid autem Lutherus. Quid Menno? Quid reliqua colluuies? Hoc vno quod à nobis recesserunt, aliud quam antiquitas credidit, & tradidit se innouasse professi sunt. Vel Centuriatores pro omnibus ferunt calculum, qui in singulis Centurijs ad finem quarti capitis adnotant. *omnes fere Doctores antiquos prisci illius sæculi ea docuisse dogmata, quæ nos hodie Catholici, hoc tempore tuemur*, quæ dum ipsi ex sensu nouatorum communi, *næuos Sanctorum Patrum* appellant, pro nobis sententiam sanciunt, in sola itaque Catholica Ecclesia Romana, eandem fidei & doctrinæ confessionem, eademque sacra & sacramenta olim & semper & vbique fuisse & esse constat. Apud hæreticos quid? Aliud hodie, aluid cras; eosdem de iisdem rebus, *ait Hosius*, sentire vidimus & videmus.

De cæli-batu. lib. 4. c. 4.

15. Pænitētia. lib. 4. c. 12.

Hinc illud cras præclarè dictum esse à Georgio Saxoniæ Duce cõmemoratur; *Nam se scire quidem dicebat, quid hoc anno crederent vicini sui Wittenbergenses, quid vero proxime insequenti anno credituri essent se nescire, quod subinde dogmata sua variarent.* Habent enim, *vt animaduertit D. Gregorius* hoc hæretici propitũ, quod in eo gradu in quo de Ecclesia exeunt, diu stare non possunt; sed ad deteriora quæque ruunt, & sentiendo peiora, in multas se partes scindunt, atque à semetipsis plerumque longius confusionis suæ altercatione diuiduntur. Auctor operis imperfecti, hæreticorum perfidiam assimilat arenæ, & dicit: *Nunquam sapiunt vnum, sed quot sunt, tot sententias habent.*

Hæretici variant.

Lib. 3. c. 19.

Hom. 20. in Matth.

Videamus doctrinam de Sacramentis, hæretici enim plerią; omnia Sacramenta abrogant: alij vnum tantum, alij duo habere volunt, alij ne baptismum quidem inter Sacramenta referre dignantur. Sacrum illis oleum, à Diuo Iacobo fidelibus commendatum, Cyrcea inunctio. Pœnitentiæ sacramentum à Christo institutum, apud illos carnificina. Eucharisticus panis à Christo in corpus & sanguinem mutatus, non nisi panis. Sacer ordo, etiam laicis communis. Matrimonium sola solius naturæ functio: in summa, omnia sacra Ecclesiæ Orthodoxæ à veneranda antiquitate veneranda, apud illos execranda. In sola Ecclesia Catholica Romana, sicut vnitas est fidei ac doctrinæ, ita etiam vnitas Sacramentorum & sacrorum. Non plura in Occidentali Ecclesia, & pauciora in Orientali: non alia existimatio, vsus & essentia eorum apud illos, & apud Europæos; vnum baptisma, vna confirmatio, vna pœnitentia, vna Eucharistia, vnus ordo, vnum Matrimonium, vna extrema vnctio. Vna & eadem omnino communio Sanctorum, apud nos qui nunc vbique sumus Catholicis, & apud maiores fuit.

Apud hæreticos Sacramenta vel nulla vel ambigua.

Ad extemum si vnitatem capitis requiris, in sola Catholica Ecclesia Romana summum Hierarcham Petri successorem, & Christi Vicarium inuenies, qui continuata successione à Christo, & ab antenatis Pontificibus relictum ouile suscipit, gubernat & dirigit. Apud alios, vel nullum visibile caput; vel si est aliquod, tale est, qualis esse desiderabat Ieroboã apud Hebræos, pontificatum sibi vsurpans; vel quod magis & vide, & ride, de quo non ineptè lusit quidam,

Pōtifex quilibet apud hæreticos.

Quæsitum est multis cur tandem Papa vocetur
Anglorum virgo, quæ modo sceptra tenet:
Hanc litem expedio, Seruorum est Serua suorum,
Sese etenim seruis subijcit illa suis.

Elizabet Anglicana qualis papa.

Itaque

Itaque vt concludam, non alia est Christi Ecclesia, quam Catholica Romana, ex multitudine gentium per sexdecim secula, in vnitate fidei, doctrinæ, Sacramentorum, sub vno Christo, & eius Vicario Paulo Quinto fel. moderno congregata. Si quis in hac arca Noë non fuerit, ita confitetur Hieronymus, peribit regnante diluuio. Quisquis extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. *Non noui Vitalem*, Lutherum ego: *Meletium respuo*, ego Mennonem: *Ignoro Paulinum*, ego Caluinum. *Quicunque tecum Beatissime Damase*, vel nunc tecum S S. Paule Quinte *non colligit, spargit*, id est, *qui Christi non est, Antichristi est.* Iud.

Felices nos certe, qui in nauiculæ istius corpore continemur. Felices quibus Christus, vt eam agnosceremus aperuit, atque manu exporrecta de profundo pelagi ereptos in eam introduxit, & communionis Sacramentorum, hæreditatis filij sui, atque participationis Diuinæ naturæ dignos effecit. Quid enim maius conferre nobis poterat, quam à cætu dæmonum secerni? à tot fluctibus errorum eripi? Christo Deo adiungi? Nihil infelicius illis, qui *se segregarunt animales, Spiritum Dei non habentes.* Redite, si qui hic estis, redite, qui *errastis ab vtero, locuti falsa.* Ascendente Iesu in nauiculam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, ascendite & vos. Alias, frustra alias requiritis. Aliæ namque scaphæ, scaphæ sunt Charontis ad Stygias deferentes aquas. Sola ista, in qua nos Catholici nauigamus in vno cubito consummata, à procellis Sathanæ saluat: in hac enim sola, non in alia reperitur salus. Hæc vna perducit ad vnum Deum in vno Regno cœlesti regnantem in secula sempiterna. Amen.

(·.·)



CONCIO III.

Motus Magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus.

Ecclesia Catholica, neque erroris, neque persecutionis fluctibus potest demergi.



QVi rerum sub aspectum cadentium, vim & efficaciam à Summo conditore illis inditam scrutatur, facile, non paruam eius insuperabilis potentiæ, notitiam colligere potest. Nobilior, & ideo sublimor, & proinde longe potentior causa est, quam effectus; Si effecta Dei creatura admiranda operatur? quid non longe maiora, ipse Deus? Remora inter pisciculos marinos, vel minimus, maximę perhibetur esse virtutis, fertur enim in medijs procellis, naues quibus adhæserit, non secus quam anchora sistere. Longe itaque amplius poterit Deus, inter furentes vndas nauigia seruare. Fecit & facit eousque, dum Ecclesiæ nauiculam, seruauit, seruat, & seruabit in posterum, inter tot, tantosque assultus fluctuum; ita vt nulla ratione potuerit, aut poterit vnquam, aut erroris, aut persecutionis tempestatibus demergi: quod hodie demonstro. *Remora sistit nauigia.*

Quos Deus præsentia sua dignabitur, illi nec errore decipi, nec terrore concuti possunt: Lucem enim qua mentē detenebrat, errores dispellit: ope vero, qua animum firmat, constantes atque insuperabiles reddit. Dignatur eousque & dignabitur adusque consummationem seculi Ecclesiam Catholicam Romanam sua præsentia Deus: itaque illa, & Scyllas erroris, & Charybdes persecutionis feliciter enauigauit, enauigabit, vt *neque portæ inferi possint quicquam aduersus eam praualere.* Præsentem apud Ecclesiam Romanam, fuisse, esse, & fore, Deum, vel exinde ostēdere possū quia Christus promisit; *vbi duo, vel tres cōgregati fuerint in nomine meo ibi ego in medio eorum sum.* At in Ecclesia Catholica Romana duo vel tres, sed tot secu- *Cum quib. Deus, hi, nec errant, nec terrentur.* *Matth. 18.* *Christus cum Ecclesia Catholica.*

sæculorum, ex omnibus Europæis, Asianis, Africanis, Indiorum, Amæricanorum innumerabilibus Regnis & Prouincijs, innumerabiles gentes congregatæ sunt, in nomine Iesu Christi: itaque vel cæcus videre potest, in eadem Ecclesia Catholica Romana Christum Deum præsentem esse.

Quæ in nomine Christi cógregata.

In nomine Christi congregantur illi qui nomine Christi præferunt, & interrogati quod ille quondam, *Cuias esset?* respondet cum illo; *Christianus vocor.* Nos Catholici Romani hunc titulum professionis præferimus, iam inde sub Petro Antiochiæ nobis inditum. Namque in Christi non in Pauli, neque in Petri nomine baptizati sumus: itaque Petrianos, Paulianos, Lutheranos abominantes, edocti à Paulo, non Pauliani, non Petriani, sed Christiani appellamur, Christumque nobis esse præsentem ab hac ratione vindicamus.

In nomine Christi congregantur illi qui honorem nominis Christi profitentur & promouent, & inquisiti à Tyranno libenter pro Christi nomine; morientes respondent; *Christianus vocor.* Nobis Catholicis Romanis, honor nominis Christi potior est quam vita ipsa. Apud nos enim Catholicos Christus non est purus homo, vt apud Arrianos, Caluinistas, Mennonistas, Lutheranos. Apud nos Christus non desperat in Cruce, neque quicquam in inferno patitur, vt apud illos. Apud nos Christus eam suæ maiestatis confessionem audit, quæ digna est, vt in nomine eius omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum Talem enim non audit apud alios illos: itaque nec apud illos alios, sed apud suos martyres dignabitur esse Christus.

In Christi nomine congregantur illi, qui Deum Pacis & Auctorem vnitatis imitantur. Vide mihi sensum & consensum vniuersi Orbis & sæculorum, in Ecclesia Catholica Romana, Vna fides veterum, & nostra. Vna doctrina eorum qui sub Antarctico in Ecclesia, & nostra qui sub Arcto viuimus polo, Eadem olim & nunc Sacramenta. Sacrificia, ritus, ceremoniæ, præcepta, consilia, orationes: ita vt si quis sinistra Oriẽtem, dextra Occidentem palpauerit, in quibus est communio Ecclesiæ Catholicæ, proculdubio intelliget, hic esse *animam vnam & cor vnum in Domino.* Hoc mirum est, quo ad doctrinam; quod omnes Sacri scriptores, diuersi licet homines fuerint, in locis & temporibus diuersis; ac licet etiam linguis diuersis scripserint, omnes tamen in eandem vbique conueniant fidei doctrinam. Omnia item legitima Concilia, & Pontificũ decreta, licet à diuersis itidem hominibus, diuersis itidem locis, temporibus, occasionibus, & contra diuersissimas, imò sæpe contrarias hæreses edita, in omnibus tamen dogmatibus, mirifice inter se cõgruant, in hac Ecclesia Catholica Romana, cui hanc vnitatem oris & cordis imprecatus est Paulus dicens. *Deus patientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum vt vnanimes, vno ore, honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi*, itaque & propterea Ecclesia Romana dicit, *Tenui eum, nec dimittam.* *Rom. 15.* *Cant. 3.*

Quæ mira charitate vnita.

In Christi nomine congregantur illi, qui Deum charitatis audiunt, & charitate Christiana inter se connectuntur: Nãque *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* At vbi funiculus iste coccineus relictus est, & magis rubet, quam in Ecclesia Catholica Romana? Adhuc Paulus viuebat, & illis attestatur scribens, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Numera mihi illos ab æuo Christiano Pontifices, Petrũ, Linum, Cletum, Clementẽ, Anacletum, & alios innumerabiles Hierarchas, qui vna cum sanguine Christi fidem Ecclesiæ infuderunt. Numera Prudentes, Tiburtios, Valerianos, Laurentios & alios innumerabiles Romanos Ciues, qui pro Christo, gloriosum martyrium obierunt. Numera Cecilias, Agnetes, Susannas, Felicitates, Symphorosas, nec non alias vel virgines, vel iugatas, vel exiguas, quæ sexus oblitæ proprij; ad palmam charitatis properarunt. Numera millena illa millia, *1. Ioan. 4.* *Rom. 5.*

tum

tum in vrbe, tum in Orbe, per aliquod sęcula pro Christi nomine cæsa: hi omnes in Ecclesia Catholica Romana, dilectione in Deum per sanguinem rubuerunt. Porro officia charitatis Christianæ in alios, quam eminent in Ecclesia Catholica Romana? Non dicit manus pedi, *opera tua non indigeo*. Sed cum se inuicem sibi iunctos esse intelligant, tanquam membra in vno corpore, vel tanquã Ciues in vna Ciuitate, vel etiam tanquam milites in vnis Castris, omnes sibi inuicem prodesse student: itaque & hoc vnum corpus suo spiritu viuificat Christus.

Quæ sanctitate præsignis. In Christi nomine congregantur illi, qui Sanctitatem nominis Christi, exprimunt vitę sanctimonia: vt quemadmodũ ille sanctus est, & ipsi sancti esse contendũt. Vide & recense mihi in Ecclesia Catholica Romana per totum Orbem diffusa viros & fœminas, cuiuscunq; gradus Ordinis, ętatis, vitę sanctimonia & miraculis illustres, Basilios, Chrysostomos, Dominicos, Franciscos, Catherinas, Heduiges, Helizabetas, & quis numeraret illos? Namque nullum sæculum tam sterile fuit, post Christum Sanctitatis datorẽ quod innumerabiles, velut vniones ex hac terrea gleba, ad structuram Cœlestis Hierosolymæ non dederit. Porro Virginum & eorum qui cum mulieribus non sunt coinquinati, quam ingens hic numerus, in Ecclesia Romana, quæ Virgo Virgini Christo desponsata, super alia Virginitatis præcipuo studio & professione ornatur? Quamobrem cum in Ecclesia Catholica quæ *decora est tanquam Hierusalem & terribilis vt castrorum acies ordinata*, sit tessera Christi, & professio nominis Christi; cum in Ecclesia Catholica sint Apostoli, Prophetæ, Pastores, Doctores, *vsque ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia*, cum in Ecclesia Catholica Romana, sint Dionysius Areopag. Iustinus, Ireneus, Cyprianus, Naziãzenus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius; Hieronymus, & alia splendidissima antiquitatis lumina: In Ecclesia Catholica Romana Bernardus, Thomas, Bonauetura, Damianus, Rupertus, Hugo, Ricardus, & alij innumeri vetustæ doctrinæ obseruatores solertissimi; in Ecclesia Catholica Rom. Oecumenica Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonen. Lateranen. Florentinum, Constantiense, Tridentinũ, & alia, summa consensione Orbis celebrata, in Ecclesia Catholica Rom. miraculorum opifices, Gregorius Thaumaturgus, Maximinus, Antonius, Hilarion, Abrahames, Romualdus, Tolentinas, Vincentius, Xauerius, Hyacinthus, Raymũdus, Antoninus, & alij innumeri, quorum copiosus semper fuit prouentus: in Ecclesia Rom. vt breuis sim, S. Cõfessores, S. Anachoretæ, S. Reges, Reginæ, Imperatores, Principesq; vtriusq; sexus, S. Virgines, S. Viduæ, Sancti matrimonio iuncti, Sancti pueri, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: in summa, cum in Ecclesia Catholica Romana, tot gentes congregatæ sint, in Christi nomine, proculdubio se hic ostentat eius maiestatis pręsentia, qui dixit, *Si duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego in medio eorum sum*: Si inter duos adest; quid non adest, inter tot tamque innumerabiles, tot nominibus & rationibus in eius nomine congregatos? Si itaque adest, vt adest certo Christus in Ecclesia Catholica Romana, proculdubio illa neque errare, neq; labare potest. Quomodo enim à luce caligaret? Qua ratione à columna, impingeret?

Quæ variet ate Sãctorum decora. *Ephes. 4.* *Matth. 18.*

Quæ Christo semper deuincta. Qui oculos ad lumen Solis intentos aperiunt, nunquam tenebrabuntur; Nũquam itaque & illa tenebratur, quæ oculos ad Solem immensi splendoris conuertit. Quibus lucerna in tenebris nõ extinguitur, non timent obscurari? Nunquam igitur & illa errore obscurabitur, cui lucerna est Agnus & claritas Dei illuminat ipsam, imo cui Sol oriens nunquam occidit. Mosaicus Sacerdos quod appensa gestaret Vrim & Thumim, non errabat ab Oraculo quod consulebat: non errabit & Ecclesia, quæ secum gestat *lapidem excisum de monte sine manibus*: cui placuit esse *fundamentum, murus & Antemurale in hac Ciuitate*, præsertim quia orauit pro fide

Dan. 2.

fide Petri, ne quando deficeret, cum sciuerit; *Sathanam petijsse vt cribraret illum sicut triticum, & ego,* ait, *rogaui pro te ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Quare cum non deficiat fides Petri, non mirum est quod æternat Ecclesia, nec fluctibus erroris mergi potest.

Luc. 22.

Lib. 4. c. 5. *Mergũtur phaseli hæretici.*

Merguntur cymbulæ hæreticorum. *Deus* enim, vt Nicephorus aduertit, *nequaquam solet diu ferre hæreticos. Nam adulterina dogmata quæ paulatim emicuerant olim,* ait, *breui sunt extincta, ita à seipsis inter se abolita, cum alij super aliôs nouis rebus studerent, atque inter se conflictarentur, non aliter quam fluctuum commotiones insurgentes subinde atque decidentes; in varias, multiplicesque abeunt formas; & postremo vt nihil appareat eorum, euanescunt. Contra, veritatis ipsius causa, tum incrementa sua capiebat, magisq; in dies augebatur, accessionem quandam & robur certum ex hæreticorum insultu sumens. Semper enim sibi constat Ecclesiæ Catholicæ splendor & status, & grauitas eius, modestia, libertas, Diuinus vita, morumque diuersorum ordo, doctrinæ sinceritas apud Græcos & barbaros, mirifice relucere cernebatur.* Ita fere semper eueniebat, vt vexatio, Ecclesiæ Catholicæ daret occasionem intellectui, & ipsi vexatores in nihilum reciderent. Olim hæresis Simonis Magi, Irenæo teste, mox vt nata est defijt, atque in Menandrianorum, Basilidianorum, Saturnianorum errores abijt. Idem de Valentinianis, memoriæ prodidit, quod cum essent plurimi, vix duo aut tres inter se conueniebant, in omnibus dogmatibus. De Donatistis refert Augustinus, illorum hæresim in multa minutissima frusta suo tẽpore concisam fuisse. Marcionitas mox natos & diuisos fuisse, & inde Lucianistas, Appellianos & Seuerianos exortos docet Epiphanius. Et vt de veteribus sileam, nostro tempore constat ex Friderico Staphylo, Lutheranos vixdum emergentes, in Anabaptistas, Confessionistas, Sacramentarios, & rursum in alias atque alias vsque ad 34. sectas, & hoc quidem tempore Staphyli, nunc autem ab 150. longe inter se diuersas, diuisos esse. Ipsi authores nouorum dogmatum, quam secum pugnent, Ioannes Cochleus prodidit, qui 36. varias vnius Lutheri, de communione sub vtraque specie sententias collegit. Confessionem Augustanam quam omnes pro sancta habent, ita ipsi mutarunt, & varie ediderunt, vt ipsi nesciant, quę sit vera confessio Augustana. Centuriatores de reliquis ministris hæresum prodiderunt; *Et si sunt,* inquiunt, *aliqui adhuc Doctores Ecclesiæ Dei* (Dæmonis dixissent vel scripsissent, non Dei) *in varijs locis dispersi, tamen ij, non tantum à filijs huius sæculi, quibus hoc solenne est, sed etiam à proprijs Synergis & confratribus irridentur, molestantur, affliguntur, debilitantur & franguntur, dum eos Stoicos & seditiosos proclamant, atque hæresis & seditionis crimen eis impingunt. Namque Anabaptistæ, Zuingliani & Caluinistæ, Lutheranos; hi vicissim illos, licet ab eodem patre genitos, pro hæreticis habent, & alij alios, turbatores Israelis, tetrorum errorũ seminatores, Manichæorum sobolem, spectra Pelagiana, excrementa Sathanæ;* nuncupare non verentur. Quare? propter inconstantem in dogmate opinionem. Verissime enim à Tertulliano, de hæreticis scriptum est, quod *etiam à regulis suis ipsi variant inter se, dum suo proinde moderatur vnusquisque arbitrio quæ accepit, quemadmodum de arbitrio suo ea composuit ille, qui tradidit.* Idem plane sensit Epiphanius, *Hunc,* inquit, *morem habent hæretici, vt quoties vno verbo pietatem contempserint, & à via veritatis aberrauerint, in multos errores & varios labi. Namque mendacium in varia distrahitur, vniformis autem est veritas,* quæ nonnisi in illa domo est, *quæ est columna & firmamentum veritatis;* Ecclesia Catholica Romana.

Quia statim in alias sectas abeunt.
Lib. 1. c. 21 & 5.
Lib. 1. de bap. cap. 7.
Li. 1. cõtra hæres. lib. de conc. discipul. Lutheri.
In septicipite.
Centuriatores præf. Cent. 5.

Sed audiamus ab ipsa veritate coactũ Lutherum, de Ecclesia Catholica Romana confitentem, *Nos,* inquit, *fatemur sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonum Christianum, atque illinc etiam ad nos deuenisse. Quippe fatemur in Papatu veram esse scripturam Sacram, verum baptismum, verum Sacramentum altaris,*

Lutheri testim. de Ecclesia Catholic.
Lib. cõtra Anabap.

ſtaris, veras claues ad remiſſionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechiſmum, vt ſunt, Oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico inſuper ſub Papatu veram Chriſtianitatem, imo verum Chriſtianitatis nucleum eſſe. Quid potuit ab hoſte in Eccleſiam Catholicā præclarius dici? Itaque ſi in Papatu vera ſcriptura, verum prædicandi officium, verus Catechiſmus, verus nucleus fidei, ringatur ille quiſquis eſt atque rumpatur, qui dicit Eccleſiam Catholicam aberraſſe. Permanet illa tanquam Sol in æternum. Luna autem illorum eclipſat & variat.

Scribamus itaque Eccleſiæ Catholicę Romanæ elogium, *Eccleſia Catholica Romana Templum Lucis illuſtr. fidei Columna inflexa, & firmamentum veritatis æternum.*

Eccleſia Catholica perennat. Iam quod attinet perſecutiones, ridet illa omnes, imo gaudet quando ducitur à conſpectu Concilij, quod eius filij digni ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Inſultat illa per Laurentium Dacia-no: contemnit per Vincentium Decios minaces; in puellis irridet Maximianos feroces: vere ſuper Petram, Petra inconcuſſa, contra hanc flauerunt venti, inundauerunt flumina, irruerunt grandines, fulgura, fulmina, illa tamen non eſt commota; neque in æternum commouebitur ſicut mons Sion. Et Græcam quidē Philoſophiam, vt ait Clemens Alexandrinus, ſi quis magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit; noſtram autem doctrinam, à prima vſq; prædicatione prohibent ſimul Reges & tyranni, & ſinguli Duces, & magiſtratus, cum vniuerſis ſatellitibus, & innumerabilibus etiā hominibus, in nos belligerantes, & nos pro viribus excindere conantes; illa autem magis etiam floret. In principio, vt refert Chryſoſtomus, & vt dicam incunabulis Eccleſiæ, Reges fuerunt impij, Duces inſani, populus ſeditioni deditus, & edicta iudicum vbiq; dabantur, aræ incendebantur dæmonibus, fumus & odor peſſimus ipſum maculabat aërem, terra inquinabatur ſanguine, dæmones debacchabantur, diabolus dominabatur, pater abdicabat filium, filius inhonorabat patrem; natura quidē ſcindebatur, ſed pietas non diuidebatur. Vbi nunc ſunt, qui audebant Eccleſiæ contraire? Vbi Nero? Vbi Apollonius? Vbi Arrius? Nauicula quidem videbatur operiri fluctibus, ſed non eſt obruta: quin potius & tyrannos, & Philoſophos, & hęreſiarchas, demerſit in profundū Deus, *deſcenderuntq; in infernum quaſi lapis.* Eccleſia autem poſt turbines Phæbeo lumine gaudet. Quando nouella erat, in nullo potuit lædi; & nunc quando vſque ad cęlum peruenit, exiſtimas eam poſſe ſuperari? Et tunc quidem quando vndecim Apoſtoli eſſent, nullus eos ſuperare potuit, ſed pauci homines totum ſuperauerunt orbem: & nunc quando terra & mare & orbis terrarum, & inhabitabiles antea regiones, & omnes fines terræ pietate repleti ſunt, putas eam poſſe lædi? Non lædetur: Chriſtus enim propter eam paſſus eſt: Chriſtus pro ea orauit. Petrus pro ea ſanguinem fudit. Petri ſanguis pro ea clamat, *Portæ inferi non præualebūt aduerſus eam.* Surge tu Huſſe? ignem impiabis. Veni tu Luther? aërem ſordidabis. Oecolampadi? apoplexia occumbes. Caluine? Phtiriaſi occides. Carolſtadi? Sathanas te lancinabit: ipſa autem Catholica Romana, cuius vos ex profeſſo hoſtes, permanebit *ſicut Sol in æternum. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quod fundata eſt ſupra Petram, Petra autem erat Chriſtus.* Itaque nec verboſitate Philoſophorum, nec cauillationibus hæreticorum, neque gladijs perſecutorum potuit iſta, aut poterit vnquam ſeparari à *charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu* in ſæcula ſæculorum.

Matth. 16.

Videt & ridet mortes horrendas hæreticorum.

Matth. 7.

Amen.



DOMINICA QVINTA POST EPIPHANIAM.

Vnde ergo habet zizania.
Matth. 13. cap.

CONCIO I.

Vnde mala culpæ?

Eccles. hortus cõclusus. *Isai.26.* *Psal. 124.* *Matth. vlt.* *Psal.33.* *Cant.4.*



HORTVM Ecclesiæ suæ conclusum esse voluit Deus, *Ponetur in ea murus, & antemurale*, vt per Isaiam pollicebatur. Murum intelligo Deum ipsum qui *in circuitu est populi sui, ex hoc nũc & vsq; in sæculum*. Antemurale intelligo Mediatorem Iesum, qui dixit, *ego vobiscum sum vsq; ad cõsummationem sæculi*. Præter murum & antemurale, cinxit Ecclesiam vallo custodiæ Angelorum: Namque *immittit Angelos in circuitu timentium eum & eripiet eos*, vt merito ad sponsam dixerit illud. *Hortus conclusus es soror mea spõsa, hortus conclusus.* Si itaque & interna & externa custodia, & muro, & antemurali munita Ecclesia, vnde ergo Zizania culpæ? Id erit popositum Concionis nostræ.

Non seuit Deus mala culpæ. *Expl.loc.* *Eccles.17.*

Non seuit Deus, sed inimicus Diuino permissu irripens superseuit illud: Diduco singula & expendo. Dixi: *Non seuit Deus*. Namque cuncta quæ ille seuit, nõnisi bona seuit. De homine mihi nunc sermo, quẽ vt Ecclesiasticus refert, *secũdum imaginem suam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipsam. & secundum se vestiuit illum virtute. Cor dedit ei ad excogitandum, & disciplina intellectus repleuit illum: creauit illi scientiam spiritus, sensu impleuit cor illius, & mala & bona ostendit illi. Posuit oculum suũ super cor illius, ostendit illi magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudet, & glorietur in mirabilibus illius. & vt enarret magnalia operum eius. Addidit illi disciplina, & legẽ vitæ hæreditauit illi. Testamentum æternũ confirmauit cum illo, & iustitiã & iudicia sua ostendit illi, & magnalia honoris eius vidit oculus illius & honorẽ vocis audiuit auris illius, & dixit illi*, ATTENDE AB OMNI INIQVO. Reuoluamus hæc crepundia nostra. 1. Deus *secundum imaginẽ suam fecit* hominem: ipse cum libero arbitrio præditus sit, nunquam flectitur ad peccatum: hominem itaque libero arbitrio præditũ, voluit ne flecteretur ad peccatum, itaque semina Zizaniæ peccati in homine nõ seuit. 2. Deus cum fecisset hominem ad imaginem suam *iterum conuertit illum in ipsam*, tanquam ad exemplar virtutis, ipse non nisi sanctas cogitat & suscipit actiones, & iudicia vera iustificata in semetipsa: itaq; conuertendo hominem ad se, nihil aliud voluit, quam illud quod alias inculcabat, *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum*: itaq; semen zizaniæ peccati, in homine non seuit. 3. *Secundum se, vestiuit hominem virtute*, ipse virtute immensa seipsum intra se continet, ne extra se vel effluat, vel labatur, vel extrario admisceatur: itaq; & nunc gratiæ, & iustitiæ olim originalis vestimẽto, sic astrictum esse vult hominem, ne cæca temeritate moueatur vt belluæ, neue in brutum affectu animali transeat: itaque non seuit zizania peccati. 4. *Disciplina, scientia, Spiritu, sensu impleuit cor* hominis, quod *dedit ei ad excogitandum*, nimirum vt præstantiã animi intelligens, nõ more pecudum traducat vitam, sed quid dignitas pulchritudo, & maiestas à Deo homini indita requirit sedulo agat: ideoque *bona & mala ostendit ei*, hæc vt fugiat, illa vt amplectatur: propter gehennam mala timeat atq; caueat, propter gloriam virtutem diligat atque sectetur, itaque non seuit in homine semina culpæ. 5. *Posuit deinde oculum suum super cor hominis*: & vt Dauid post peccatum fatetur, *Signatum est lumen vultus tui Domine super nos*, scilicet Conscientiæ radium, qui ex natura sua ostendit homini quæ recta, quæ pudica, & retrahit à facioribus. Iste oculus Dei, tam acri ictu percellit animũ, vt si quãdo aliquis designat scelus, prius intra se cohorrescat, post admissum vero, tortorẽ internum dies noctesq; experiatur. *Demens quid agis?* ita Epictetus quærit, *quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit,*

1. namq; ad imaginem suã formauit hominem. *2. conuertit ad se.* *Leuit.11.* *3. vestiuit virtute.* *4. Disciplina, scientia, sensu impleuit.* *5. Posuit oculum super hominem.* *Psal.4.* *Cõscientiã custodem præposuit.*

duxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, quo carere nunquam potes Quid locum abditum legis & arbitros remoues? Putas tibi contigisse, vt oculos omnium effugias? Demens quid tibi prodest, non habere conscium habenti conscientiam? quæ secretam mussat ad aurem. *Non fac, non dicent?* Et quæ post factum *sæuior est carnifex quam carnifex?* itaq; cum oculum suum seminasset Deus super cor hominis, non semnauit zizania peccati. 6. *Ostendit* Deus homini *magnalia operum suorum*, scilicet gloriam & regnum cœleste, quod præparauit diligentibus se, & ignominiam deinde atque gehennam, quam succendit Diabolo & omnibus sequacibus eius: quæ cum ostendisset, declarauit cur hominē creasset? Nimirum, *vt nomen Sanctificationis collaudet, vt glorietur in mirabilibus illius, vt enarret magnalia operum eius.* Et ne homo ludibrio se affici existimaret, ex pacto condixit illi Deus, se omnia quæ pollicitus est præstare, si modo *iustitiam & iudicia quæ ostendit illi* custodiret, nec latum pilum ab eis declinaret. Quapropter *testamentum æternum confirmauit cum illo. Vidit* hæc *magnalia honoris* eius homo; *audiuit* hanc *vocem honoris* sibi delati homo; insuper & *virtutem* standi condicto accepit idem homo; itaque non seuit Deus in homine zizania peccati, qui homini viam ad Cœlestia regna aperuit.

6. ad magna vocauit.

7. mala prohibuit.

Septimo ad hominem dixit: *Attende ab omni iniquo.* nec simplici verbo dixit, *attende ab omni iniquo*, sed seueritate supplicij causam perditionis, in qua mors illecebris vluptatis occulebatur ostendit dicens. *In qua hora comederis, morte morieris*: itaque non seuit iniquum in homine, qui homini tam seuere præcepit: *Attende ab omni iniquo*, Et ne quispiā Caluinus vel Luther, hæc semina virtutum insita fuisse homini, non nisi ante lapsum asserat; audiat ex adiūctis ab Ecclesiastico, ea etiam & multo ampliora fuisse cōcessa & concedi homini à Deo, inquit enim. 8. *Pœnitentibus dedit viam iustitiæ & confirmauit deficientes sustinere, & destinauit illis Sortem veritatis. Non sunt absconsa testamenta eius propter iniquitatem illorum.* Licet igitur peccauerit homo, nihil tamen eorum quæ ad naturam in paradiso plasmatam, præter vestem iustitiæ originalis abstulit: in cuius locum gratiam per baptisma infundit, post lapsum pœnitentiam ostendit, pænitentibus viam iustitiæ monstrat; hos quos in viam iustitiæ introduxit confirmat supposita manu sustentare, ne cum ceciderit iustus, collidatur. Insuper & 9. Sortem felicissimam veritatis Iesum, qui *via, veritas & vita est* pœnitentibus demisit, atque impertiuit, seu donauit, qui vt homines à scelere detraheret, & ad virtutem efformaret, quid non fecit: Luce veritatis detenebrauit cæcas mentes, terros errores depulit, viam ad Cælum monstrauit, nec prǫmonstrauit tantum, sed & columnæ igneæ instar præcedens prætentauit: spaciosam illam inferni intritam, spinis præceptorum & legum seueritate præclusit, quinimo & nonnullam partem tartari vastauit; & Principem mundi huius, ne tam pro libito serperet eiecit, vel cathenis onerauit? Quid hic vigilias, orationes, labores, conciones, præcepta, consilia commemorarem, quæ fecit & dedit vt homines puro tritico cōsererent virtutis, & à zizanio peccati auerteret; Quot exitus lacrymarum deduxerunt oculi eius, quot melleos doctrinæ fauos distillarunt labia eius, quot velut Hyacinthos, vel vt stellas, vel vt carbones desolatorias miraculorum, manus eius tornatiles aureæ sparserunt, quot guttas sanguinis decurrentis vsque terram sudarūt membra illius, tantum quantum profluuium sanguinis ex quinque vulneribus, ex capite spinis confosso, & ex vniuerso corpore plagis exarato inundauit & purpurauit terram, omnia hæc fuerunt semina casti consilij, non zizanij. Iam fluuius rapidus igneusque qui à throno eius, scilicet ab hoc ligno in quo Regnauit Deus, promanat Sacramentorum; iam Spiritus Sancti flammæ, quas effundit in omnes quotquot sunt credentes; iam carbones vastatores quos per Angelos suos spargit super vniuersam Ciuitatem Ecclesiæ; iam

Gen. 2.

8. Pœnitētiā ostēdit.

9. Salutem m[...]

Qui quāta non fecit, vt triticum seminaret.

lingua canum lambentium & medicantium vlcera Lazarorũ; iam vinum & oleũ quod affundit abũde vulneribus saucio rum; iam cura de nobis iniuncta stabulario; iã & gloria in monte Thabor, & gehenna in inferno Diuitis ostensa, & alia innumerabilia, quæ cogitauit, dixit, gessit, donauit, reliquit, ostẽdit, an hæc semẽ zizanij? an nõ hęc omnia semina virtutis? si sortem veritatis, per Iesum, qui veritas, seminat, quomodo sereret zizania? Si ipse hominẽ ad virtutem & ad cœlest a bona erexit; quomodo ad flagitiũ pelliceret? Si lumine sapiẽtię mentẽ eius illustrat; quomodo tenebras effunderet? Si venit, vt *mundus saluetur per ipsum*, quomodo causa damnationis esset? Et si esset causa peccati, quomodo iustus esset vindex peccati? An vllus extitit aliquando tyrãnus adeo truculentus & sanguinarius, qui subdito suo poplites primo succideret, & postea quod in stadio alacriter nõ decurreret, nouo supplicio vindicaret? qui Sempronium funibus & cathenis vinctum in obscuro ergastulo concluderet, & deinde quod ipsi peregre militiã proficiscẽti prę sto non esset, solenni sententia in crucem tollendũ decerneret? Scribitur quidem de Tyberio nequissimo tyranno, quod quũ Ciuitatis Romanæ legibus, omnes sceleris cuiusdã rei, morte essent plectendi; si qua tamen Virgo crimen illud admisisset ob virginitatis honorẽ, semel, primo nimirum tempore const tutam à lege mortem euaderet; & virgines quædam tale crimen susceperant, & more patrio beneficium legis, & priuilegiũ virginitatis suæ poscerent; tyrannus sorbendi sanguinis cupidus, quo eas iuxta legis tenorem trucidandi iustam causam prætenderet, immisit in carcerem impuros lanistas, qui eas vi cõstuprarent, & deinceps non iam virgines laqueo suspendit, qua seueritate *puellas etiam immaturas, prius vitiatas* deinceps iussit strangulari. Quis hunc tyrannum vt monstrum & portentum non exhorreat? Quis hanc peruersissimam iustitiam non intimis visceribus detestetur? Talis iudex esset Deus & Christus, si vel flecteret, vel impelleret, vel cogeret homines ad peccatum, & postea in iudicio flãmis vindicaret peccatũ: quod quidem si, vt Caluinus & Lutherus blasphemant, Deus in homine seminaret atque operaretur, propter illud magis dignus esset homo laude, gloria & præmio, quam ignominia, confusione, & flammis vltricibus. Facile id quidem demonstro.

10. pœnas peccantibus propositas infligit.

Sueton. in Tyberio Cæsare, c. 61.

11. quas iniuste infligeret, si ipse auctor.

Quum enim Dei voluntas æterna sit & suprema lex; ad quam omnia debent dirigi; omniaq; eo sunt meliora, quo magis huic æternæ legi consentiunt: si Deo mouente & volẽte adulteria, & incestus fiũt, gloriosum est adulterari; laudabile est, stupra, incestus & homicidia cõmittere; & si quis ebullientẽ in se ad hæc patranda cupiditatẽ reprimere velit, ille maiestatem Diuinã nequiter offendit, cuius voluntati & legi superbe se opponit. Quid enim in scripturis Diuinis magis celebratur, quã factum Abrahæ, qui filiũ suum vnicum voluit interficere? Quid ita? quia Deo iubente illud opus est aggressus, quam obedientiã Deus magis probat, quã sacrificia Ita enim ad Saulẽ, ait Samuel, *Nunquid enim Dominus vult holocausta & victimas, & nõ potius vt obediatur voci Domini? Melior est obedientia quam victimæ: & auscultare magis, quam offerre adipem arietum*, quod tamen in veteri testamẽto erat opus præclarissimũ, & inter alia omnia Deo maxime gratũ. Quare quũ Deus stupra & homicidia velle, Caluino docẽte, dicatur; vt Isaaci immolatio, quod ex Diuina volũtate instituta fuit, in sanctissimis operibus numerabatur; numerẽtur & stupra, & homicidia, & adultẽria, & cætera absurda facinora, inter sanctissimè gesta. Vt enim in eodem loco Samuel ait, Deo iubenti etiamsi rationi nostrę videatur absurdũ, tamen *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Iniuste itaque Deus eiecit hominẽ ex Paradiso, iniuste Caimum in fronte signauit, iniuste corruptos illos diluuio perdidit, iniuste Babelis architectos fulminibus dispersit, iniuste sulphureo imbre ciuitates infames perpluit, si tãta facinora in eis ipse patrauit, vel ab eis patrata esse voluit. Namque ille

12. imo magis laude & præmio deberet afficere peccatores, si ipse auctor.

1. Reg. 15.

Absurda ab surdissima ex doct. Caluini, de causalitate pec.

Matth. 7.

ille qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, vt promisit Christus, *intrabit*, quo? in infernum? Non. Sed *ad regnum cælorum.* Frangantur itaque Tabulę Mosaicæ; aboleantur leges humanæ & Diuinæ; diruantur ergastula, dissoluantur fasces, gladij vertantur in vomeres, cruces, rotæ, sudes exurantur. Fur non intereat suspendio, blasphemum noli educere extra castra, vt lapidetur; adulter impune eluat, in homicidam ne stringito securim; Maiestatis Diuinæ reum ne flammis piato. In summa, legibus contra flagitia, libidines, stupra, latrocinia, blasphemias abrogatis, flagitia libere suscipienda; ad libidinem explendam effrænato impetu ruendum; in stuprando, latrocinando, blasphemando excusso pudore & metu, siue hominis, siue Dei, effusè noctes diesque versandum & volutandum, & de istis tanquam præclaris facinoribus, vtpote secũdum Dei voluntatem factis, gloriandum. Hæc & huiusmodi, quæ cogitare horret animus, & explicare reformidat oratio, nõ solum absq; metu supplicij, verum etiam cum expectatione præmij agenda sunt, si hoc malum *velle & perficere*, vt blasphemat Caluinus, in nobis Deus operatur.

Satis absurda sunt ista absurda, quæ enunciaui; sequuntur tamen exinde, si Deus Caluino & Luthero auctoribus, vel incentor, vel auctor est peccati: Audiamus magis absurda, & an maiora possit vomere Styx vel Cocythis, vos ipsi iudicate.

Primus articulus fidei est, *Credo in Deum.* At in quem vel qualem, si à Caluino vel Luthero quæris? Oportebit dicere; vel, non credo in Deum; vel, si Credo in Deum; pro Deo intelligere, Diabolum: & dicere, Credo in Diabolum. Nam Deus quem Caluinus auctorem & incentorem peccati describit, non alius est quam ipse princeps Dæmonũ, Sathanas, cui isti inseruiunt. Perlustremus enim omnes Scripturas Diuinas; nusquam repetiemus Sathanã alijs coloribus depictũ, quam Caluinus & Lutherus nobis illũ suum Deum informãt. Imprimis *superseminat zizania* Diabolus, sub imagine *inimici hominis.* Secundo verbũ Dei bonum, quod Deus

Si Deus est auctor peccati, Deus diabolus est.

Namque Diabolus auctor peccati.

seminat in corde humano, *veniens Diabolus*, furto *surripit.* Tertio, dũ Iesum Saluatorem ad gulam, ad superbiam, adque 1. Matth. 3.
idololatriam, in deserto, in pinnaculo in 2.
monte sollicitasse narratur, ad easdem pe- 3.
stes & alios impellere intelligitur. Quarto dum in Petro Christum à passione pro 4.
humano genere sufferenda dehortatur, Matth. 16.
ita vt Christus coactus sit illum increpare, dicens, *Vade post me Sathana, scandalũ mihi es*, euidens est, quod alios homines probos, ab honestis operibus auertit. Quinto ad peccata impellit, vt Paulus 5.
docet, *Ambulastis*, inquit, *aliquando in peccatis secundum principem potestatis aëris* Ephes. 2.
huius spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentia. Sexto excæcat, vt idem Paulus 6.
ostendit, *Opertum est*, ait, *Euangelium ijs* 2. Cor. 4.
qui pereunt, in quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloria Christus. Septimo ex pronunciatis ab ipso Saluatore, 7.
filios etiam generat, quos sibi similes mẽdaces & homicidas facit. Ita enim Christus Iudæos agnomnians compellat, *Vos*, Ioan. 8.
inquit, *ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis perficere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, ille mendax est & Pater eius. Qui autem ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Vbi Saluator noster Diabolum, authorem & patrem mendaciorum, homicidiorum, & similium scelerum definit, & eos qui talia agunt, filios esse Diaboli promulgat. Octauo Ioannes Christi discipulus, ostendit à quonam sit peccatum, *Nemo*, inquit Ioan. 3.
vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est, sicut & Deus iustus est: qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. Colligamus omnia insimul, & blasphemiam omnium blasphemiarum horendissimam Caluini, audiamus.

Dicimus nos omnes, *Credo in Deum*, Deus ille (quod Caluinus & Lutherus blasphemant) suadet, impellit, cogit ad peccatum, dum auctor est peccati: Facit hoc idem Sathan qui seminat zizania, qui vellit ex corde semen bonum; qui ad

gulam, ad superbiam, ad idololatriam, atque ad alia flagitia vrget; qui à sanctis operibus dehortatur, qui operatur scelera in filijs diffidentiæ, qui excæcat mentes, qui operit Euangelij lucem, qui mendacia & homicidia suggerit, qui auertit ab audiendo verbo Dei, qui totius peccati auctor & incentor est: aures obturate ad hanc quæ ex Caluini dogmate sequitur blasphemiam, itaque dum dicimus, *Credo in Deum*, auctorem peccati, dicit, dicat Caluinus, non Credo in Deum, vel credo in Diabolum, qui auctor est peccati. An hæc sana sit forma verborum? Ex vestro, quē video horrore, intelligo quod flammis infernalibus digna. Non seuit itaque Deus zizania culpæ, qui omnia quæcunque seuit, bona seuit. Zizania permissu Diuino seuit, sator totius nequitiæ Sathan, *qui ab initio peccat*, & ad peccatum fraude & dolo ab iusta Diuina permissione illicit.

Facit dæmon ad hominem quod hydra cum cocodrilo.

Hydræ cum Crocodilo stratagema æmulatur. Illis ambobus intestinum & perpetuum à natura dissidium: quapropter alter alteri insidias tendit. Cæterum hydra astutior obseruat Crocodilum dormientem: quem cum videt somno oppressum, adrepit & luto se inuoluit, & extinctam simulat. Crocodilus euigilans, & aliquid esculenti ante se positum existimans, deglutit, sed sibi perniciosum cibum: Hydra enim mox vt sese è luto explicauerit, intestina Crocodili depascitur, & lenta conficit morte. Sic nobiscum agit ille qui circuit quærens quem deuoret; atque cum se in Angelum lucis transfigurauerit, finit se deuorari. Cuius vel minimum caput, vt vorauit homo, statim venena sua regulus diffundit, & à suggestione ad cogitationem, à cogitatione ad delectationem, & ab hac ad consensum, à consensu ad opus hominem titillat, quousque homini certissimam inferat mortem. Sed nec ab illo tantum; sed magis ab animo libero, prouenit peccatum. *Iniustitia enim*, vt sapiens ait, *mortis est acquisitio. Impij autem manibus & verbis accersierūt illam, & æstimantes illā amicam defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam.* Sed hæc pro nunc satis sunto. (*Sap. 1.*)

Didicistis quia à Deo omne semen verum & electum est, & nullum malum: Malum enim zizaniorum, vel à Dæmone, vel à nobis ipsis pullulat: cauete hunc satorem totius mali, Deum autem orate vt conclusas custodiat animas vestras, semel iam consitas semine bono, vt hic referentes manipulos iustitiæ, inferatis eos in horreum felicitatis æternæ. Amen.

CONCIO II.

Vnde ergo habet Zizania?
Matth. 13. cap.
Vnde hæreses?



NON multum diues ille agricola, cui non nisi, *neglectis vrenda felix innascitur agris*. Sed neque multum lætus Cœlestis seminator, si illi post tritici saturam, plus Zizanij, quam frumenti; scilicet plus erroris, quam sinceræ veritatis. Non potuerunt sufferre discipuli, quin mussarent, *vnde habet Zizania?* neque ego me possum continere, quin requiram, vnde hæreses? hoc erit argumentum sermonis hodierni.

Inuentores religionū, originationem ad Deos referebant. Iustin. li. 3. Liuius l. 1.

Si ex Analibus gentium conditores Rerumpub. & Religionum peruestigemus, neminem vnum reperiemus, qui & legum & rituum sanctiones, non ad aliquem Deorum referat. Lycurgus eorum quæ Lacedæmonios docuit, *authorem Apollinem Delphicum finxit, & inde se ea ex præcepto Numinis detulisse.* Numa Pompilius, quum Romanam ciuitatem religione informare vellet, *simulauit sibi cum Ægeria Dea nocturnos congressus esse, eiusque se monitu, quæ acceptissima Dijs Sacra essent instituere, & Sacerdotes suos Sacris Deorum præficere.* Sic Minos Rempub. Cretensium ordinaturus, *in specum præaltam & vetusta religione consecratam solitus est secedere, & illic à Patre Ioue doceri*, quæ populo ad pietatem traducendo erant vtilia. Sic & Zeleucus Locrensium legislator iactauit *Mineruam suam fuisse præceptricem*: Cuius itē nomine suas Athenien-

nienſibus leges commendauit Solon. Sic Mahometes quoq; legem quam Aſiaticis præſcripſit, *ad Deum auctorem* retulit, quē per Gabrielem Archang. ſibi cognitum fuiſſe aſſeruit. Sic & nuper Hiſmaëlis actor & Propheta Techellis *ſpiritu Dei ſe afflatum*, non tantummodo dixit, ſed etiam mirabili vita Diuinam de ſe exiſtimationem auditorum animis inſeuit, breuique inuenta à ſe Sacra & Alcorani reformati regulas per totum Perſarum regnum propagauit. Sic etiam ex noſtris, Moyſes videndum Deum populis exhibuit, atque ab eius conſortio, leges ſe tuliſſe aſſeuerauit: Videamus etiam ad quēnam Deorum, vel Angelorum hæreſiarchæ, ſua referant dogmata. Tam enim illuſtre, tam præclarum Cac' Angelū non potuiſſet, niſi ab aliquo ſingulari Genio proficiſci, quod Luther, & Caluinus poſt adeo denſam caliginem Cac' angelizauit. Dicite, à quo hauſeruntvel didicerūt? Ab Apolline? A Deo? Tantū abeſt eos à Deo Euangelium ſuum ſumpſiſſe, vt ipſi plane hoc inficientur; Imo apertiſſimè profitentur, non Deum vt Moyſi, non Gabrielem vt Mahometi, non aliquē communi opinione Sanctum, vt alijs, Euangelij huius noui fuiſſe authorē. Sed quem? Narrabo prius quid Caſſio Seuero Romano olim acciderit. Is M. Antonij partes ſecutus, fracto Antonio apud Actium, Athenas ſe contulit. Vbi concubia nocte curis confectus, ad ſe hominem horrēdi aſpectus venire exiſtimauit, qui interrogatus quis eſſet, Cacodæmona ſe eſſe reſpondit. Simile non ſemel accidit Luthero: Namq; ipſe fatetur *ſe non vnum modium Salis cum dæmone comediſſe*, quem ſibi apparentem poterat tam belle depinxiſſe, quod eius vox grauis & robuſta ſit, tamq; terribiliter inſonet, vt vſu quandoq; eueniat, quod poſt collationem cum dæmone nocturnam homines poſtridie mane mortui reperiantur: Si itaq; requiris, quē authorem noui Euangelij faciant hæretici? Refero quod ipſi ingenue fatentur, quia ipſum Sathanam Diabolorum Principem, Principē fuiſſe à quo ſunt edocti, à quo inſtructi, à quo argumenta ea primo

Hæretici ad dæmonem.
1. Diabolus Pater hæreſis, cui tres ſuccuba.
1. libido.
2. cōtentio.
3. ambitio.

didicerūt, quibus poſtea Catholicam religionem labefactarūt, & quibus iam omnium miniſtrorum conciones & pulpita circumſonant. Neque enim negari poteſt, quod ipſe Lutherus libris impreſſis vniuerſo orbi patefecit, quod Melanchton poſt Lutheri mortem in noua Lutheri operum æditione fatetur; quod Zuingliani ſcriptores Theologici, hiſtoricique narrant, & deformatæ Zuinglianorum Eccleſiæ Luthero ſępenumero obijciunt. Lutheri enim verba perſpicua, nemini qui Latine intelligit & locum inſpicere voluerit ignota poſſunt eſſe, qui in Septimo operum ſuorum Tomo Vittembergæ impreſſo, deſcribit fusè hiſtoriam Sathanæ concubia nocte ſibi apparentis, & varijs argumentis diſtincte, ordineque Miſſæ ſacrificium oppugnantis; vnaque narrat infidelitatem ipſius Lutheri, poſt leuem & proditoriam reſiſtendi ſpeciem in Sathanę perſuaſionem concedentis, & ſe à Sathana victum nefarie confitentis. Cumque Lutherus ad quædam mediocriter reſpondiſſet, *At Sathan* (inquit ille) *contra fortius & vehementius ſic inſtabat, prome, vbi ſcriptum eſt?* & denique poſtquam omnia vltro, citroque dicta ſigillatim enarraſſet, inquit, *hæc fere erat diſputationis ſumma*; & mox argumentis Sathanæ ſuum calculum addens, *In his, inquit, bone frater, Domine Papiſta, non mentitur Sathan.* Lauatherus quoque euangelicus, in hiſtoria Sacramentaria, hoc totum vt rem vere, hiſtoriceque geſtam, & ſine quæſtione certam notiſſimamque perſcribit. Et Heluetici Zuingliani in Orthodoxa quam vocant fidei ſuæ confeſſione, eandem hiſtoriam prolixe recenſent, & quum maledicentiam Lutheri, nimis vt ipſis videtur acerbe eos inſectātis retundere volunt, *hoc* inquiunt, videtur Lutherus ſcripſiſſe eius Spiritus Sathanæ impulſu, cum quo diſputationem inſtituit, & qui vt videtur Lutherum diſputando ſuperauit.

Lutherus diſputat & docetur à dæmone.
fol. 228. 229. 230.
Demiſſa priuata & vnctione Sacerdotiū.
an. 1524.
tract. 1. fol. 25. 26. & 28.

Zuinglius quoque non minus euidenter ſcriptum reliquit, quod cum fidem ſuam Sacramentariam moliretur, & fidē veterem Catholicā in Ciuitate Tugurina labe-

Tom. 2. De ſubſidio Euchar. fol. 249.

labefacere valde cuperet, nec quicquam tamen proficeret propter hominem quẽdam doctissimum, qui tum in eo Senatu multum poterat, se noctu in somno à quodam spiritu fuisse admonitum, quemadmodum aduersarium illum deuinceret, spiritusque illius opera & argumẽtis auxiliarijs confirmatum victoriam de aduersario reportasse. Et licet ipse historiam commemorans adijciat, *se quidẽ ignorasse, vtrum spiritus ille albus, an ater fuerit* (sic enim verbatim loquitur) tamen atrum fuisse, & sine controuersia eundem qui collegam suum Lutherum afflauit atque instruxit, & ipsa narrationis circumstantia, & tragicum schisma inde secutum, totamque Europam cum innumeris rebellionibus & stragibus, maximaque fidei vniuersæ vastitate peruagatum, perspicue demonstrat. Et cui alteri quam Sathanæ spiritui recipiendo erat Zuinglius hoc tempore idoneus, quo instar equi admissarij, nihil se aliud cogitasse aut studuisse prædicat, quam quomodo fæminis adhinniret, & carni suæ ad Venerem furenti, libidinose satisfaceret? Sic enim castissimus Euangelista de seipso memoriæ prodidit, idq; in litteris ad omnes Helueticæ Reipub. Ciuitates scriptis; se nimirum *æstu libidinis & carnis cupiditatibus sic fuisse accensum, vt carnis libidinosa studia animo suo versarit, in his solis omnes cogitationes suas insumpserit, hoc meditatus sit, totusq; in eo fuerit, vt carnis furori satisfaceret.* Quinimo impurissimus ganeo, plusquam meretricia frõte iactat, *carnis ad libidinem calentis æstum, sic in suo corpore feruere, vt huius opera eum coram Ecclesia infamem reddiderint: vt turpem publicamque infamiæ notam nimis impudenter hactenus sustinuerit.* Ita Zuinglius. Non aliter quam collega eius Lutherus sæpenumero, & in epistolis, & in concionibus de se prædicat, *vt non est in meis viribus situm, vt vir non sim, tam non est etiam mei iuris, vt absque muliere sim, & feminæ sociari, tam est necessarium, quam edere bibere &c.* Sed magis turpiter organizatus Caluinus, qui propter horrendam libidinem flammis cœlestibus olim

Apti hæretici ad hæreses propter libidines.

In parænesi ad commună Heluet. Ciuitatẽ fol. 115. & 118.

Zuinglij, Lutheri, Caluini & Bezæ libidines.

vindicatam, è Gallia profugere coactus, lilijs ferreis ignitis inustus fuit. Nescio an magis adhuc turpius organizatus Beza, qui abducta vnius viri vxore, & patris alterius impubere filio, vtrisque abusus. Audi, vel obsurda, ad laudes quas ipse de se cantat.

Abest candida, Beza quid moraris?
Audebertus abest quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores.
Habent Aurelij tuos lepores, &c.

Sed istam Cloacinam hæreticis adorandam relinquo. Pudet & piget referre, quam bella organa isti, Spiritui sancto recipiendo, & doctrinæ nouæ tradendæ, ab hircino olecto, vel inflata, vel inuncta; Scilicet, Spiritus ille Sanctus, iam incipit habitare *in corpore subdito peccatis*: Ioannes virgo, non amplius, sed Beza impurus in pectore Domini recubat, *Cælum* iam *pellices tenent*, non deinceps qui non coinquinati. Sus mineruam docet; Hieronymus cælebs, à Caluino vel Luthero discit. O monstra, monstra! Quasi vero, nõ libido fuerit semper hæresis mater? Scio Adamum à muliere fuisse deceptum. Scio Hebræos per mulieres à Balaco suppositas ad idololatriam inclinasse. Scio illam malignam, Iobo fuisse blasphemiæ suggestricem. Salomon Rex, à mulieribus idolis seruire doctus. Ochozias à muliere dæmonibus inclinat. Simon Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilo. Nicolaus Diaconus omnium immunditiarũ repertor, choros duxit fæmineos. Marcion præmisit Romam mulierem, quę decipiendos animos præpararet. Apelles Philumenæ assignat suas reuelationes. Montanus immundi spiritus prædicator, Priscæ & Maximillæ amoribus incensus, multas Ecclesias per eas, & auro corrupit, & hæresi polluit. Arrius vt orbem deciperet sororem Principis ante decepit. Donatus per Africam, vt infelices quosque fætentibus pollueret aquis, Luciliæ amoribus & opibus adiutus est. In Hispania, Agape Elpidium, mulier virum cæcum cæca duxit in foueam, successoremque sui Priscillianum habuit Henricus VIII.

1. Libido mater hæresis.

Hæreses ex libidinib.

Rex

Rex Anglorum propter libidines incestas, cupit vocari Summus Ecclesiæ Antistes. Lutherum excuculatum, ad apostasiam impulit, perpetua carnis prurigo. Multus essem in enumerando catalogo hæreticorum, quorum Venus Mater, & Bacchus Pater. Certum enim est hæreticorum esse originem, posteram, siue præposteram libidinem: Namque & Apostolorum Principes id insinuarunt cum dixerunt, *quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum*, deinde cum illos indigetarunt *inimicos crucis Christi, seruos ventris, vasa iræ, vasa ignominiam sibi coaceruantia: doctores iuxta concupiscentias suas, incontinentes voluptatum amatores potius, quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes, inquinatos, abominabiles & ad omne bonum reprobos, quibus nihil est mundum, velut irrationabilia pecora ad corruptionem tendentes, post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulantes, oculos habẽtes plenos adulterij, fluctus feri maris despumantes suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum* cum Sathana patre eorum *in æternum reseruata est*. Hanc imaginem artificiose & ad viuũ suis coloribus expressam, si quis in omnibus omnium temporũ hæreticis viderit, vt nonnemo videt, poterit causam hæresum recte assignare, *Deam Venerem, & Patrem Bacchum*.

Imago hæreticorũ. *Philip. 3. Epist. Iudæ & Paul. alibi.*

2. Contẽtio mater hæresis.

Sed præter hanc est alia mater hæresis, quam contentionem vocamus, dum sibi volunt esse sapientes, cum omnium sint stultissimi, atque sua sensa insensa, sensui & consensui Orbis anteponunt. Præclare quidam Philosophus apud Stobæum dixit: Gratæ sunt, inquit, contentiones hominibus, & contradicendo quacunq; re proposita vincendi desiderium, præter omnem rationem inexplebile. Itaque multi intempestiue præter decorum, in rebus grauissimis, in quibus deteriorem sententiam superare non conuenit, victoriam Cadmeam, vt dirimeretur, auferunt. Hoc etsi innatum alijs, maxime tamen his qui ad hæresim proni. Vt enim D. Gregorius retulit; hæretici, inquisitionibus suis veritatem non conantur assequi, sed victores videri. Cumq; se foris ostendi sapientes appetunt, intus per stultitiam elationis suæ vinculis ligãtur. Vnde fit vt in contentionum certamine exquirant, & de Deo qui pax nostra est, loqui pacifice nesciant, atque ex pacis negotio rixæ inuentores fiant: quibus bene per Paulum dicitur, *Si quis autem videtur esse contensiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei*: Nãque ex hac gloriæ cupiditate, proxime oritur pertinacia nunquam flexibilis, adeo etiam, vt cum in certamine succubuerit, cedere tamen nolit: Malunt enim cuiuscunq; doctrinæ euersionem, quam fateri se victos, ne hac videlicet occasione minima pars gloriæ, quam captant, deperéat. Audite quid Lutherus de sua doctrina disserat, & intelligetis Veneri & Baccho ad gignendũ hæresim, adiunctam fuisse supparem Contentionẽ: Ita enim de cõmunione sub vtraq; specie pronunciauit, *Si quo casu*, inquit, *Cõcilium statueret, minime omniũ nos vellemus vtraq; specie potiri, imo tum primũ in despectum Concilij vellemus, aut vna, aut neutra, & nequaquam vtraq; potiri, & plane eos anathema habere quicunq; authoritate talis Concilij potirentur vtraque*. De SS. autem Sacramento, vnde nam protulerit dogma detestandum, ipse etiam fatetur in quadam epistola ad Argentinenses scripta. *Hoc*, inquit, *diffiteri nec possum, nec volo, quod si Carolostadius, aut alius quispiam, ante quinquenniũ mihi persuadere potuisset in Sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi deuinxisset. Grauibus enim curis anxius in hac excutienda materia multum desudabam, omnibus neruis extensis, me extricare & expedire conatus sum, cum probe perspiciebam hac re Papatui valde me incommodare posse*. Nonne hic aperte confitetur ipse peregrina sua dogmata populo inculcata, non hoc se spectasse; vt Christi gloriã propagarent, & veritatem illius patefacerent, sed vt odio erga Papam inflammatus, eodem alios succenderet? Porro quid aliud quam hæresim plane Diabolicam, potuit generare, illa Sathanica superbia, quam

Quæ propria hæreticis.

1. Cor. 11.

Maxime Luthero.

In lib. de captiuit. Babylonica.

Qui fastuosus & quantum. lib. contra regẽ Anglorum & prologo lib. adu. Ecclesiæ statum.

quam idem Lutherus efflauit? *Ego aduersus dicta Patrum & Angelorum pono Euãgelium: hic sto, hic sedio, hic glorior, hic triũpho, hic insulto Papistis, & omnibus dictis hominum quantumlibet Sanctorum. Nihil curo, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra me starent. Doctrinam meam nolo iudicari à quocunque, nec ab Episcopis, nec ab Angelis omnibus.* Ab hac impudentissima insolentia, qua se vniuersis Angelis & omnibus Sãctis arroganter & contumeliosè Lutherus anteposuit, quis sperabit aliud, quam illud quod à suo assimili, qui dixit, *Ascendam super altitudinẽ nubium, & similis ero Altissimo,* enatum est; zizanium hæresum horrendarum? Scio namque ex Christi dicto; quod abscondit pater misteria cæli *à prudentibus & reuelat ea paruulis.* Scio ex propheta, quod nõ nisi *ablactatos à lacte, & auulsos ab vbere docet scientiam* Spiritus Diuinus. Scio ex Actis Pauli, illum in tertio cælo doctum Magistrum gentium, *se minimum Apostolorum* nominasse, nec erubuisse conferre doctrinam suam cum his, qui *in Ecclesia videbantur columnæ* esse. Scio Ambrosium illum Cælitus inspiratum Doctorem, hæc humilitatis verba protulisse. *Non mihi,* inquit, *Apostolorum gloriam vindico. Quis enim hoc, nisi quos ipse filius elegit Dei; Non prophetarum gratiam, non virtutem Euangelistarum, non pastorum circumspectionem, sed tantummodo intentionem & diligentiã circa scripturas. Diuinas opto assequi, & hanc ipsam, vt docẽdi studio possum discere.* Lutherus autem omnium sanctorum & Angelorum præ se contemnit sententiã. Ab hoc monte, quid nisi vt est in prouerbio, *ridiculus nascetur mus?* & panthera mendaciorum? Confirmat huic Ambitio ipsissima Genitrix hæresis. Verissime enim à Chrysostomo dictum est. Contemptus Sacerdotum inuidiam genuit; inuidia, dominationis ambitionem; porro ex ambitione omnes hęreses ortæ sunt. *a* Simon Magus, quia par esse Apostolis voluit, ab Ecclesia secessit. *b* Menander huius successor *quia pro Saluatore hominum sese vendicauit*, hæresis authoritatẽ

Esai. 14.
Matth. 11.
Lib. 1. off. cap. 1.
3. Ambitio mater hæresis.
hom 2. sup. 1. ad Timoth.
a Act. Apost.
b Tertul. de præscript.

propagauit. *c* Valentinus, Tertulliano teste, *sperauerat Episcopatum, sed alium ex martyrij prærogatiua loci potitum indignatus, de Ecclesia authentica regula abrupit; vt solent animi pro Prioratu exciti, præsumtione vltionis accendi.* Theobutes, vt inquit, Eusebius, *d quia repulsam meruit Episcopatus, Ecclesiam virginem, subreptione adulterini verbi corrumpere, & omnia perturbare capit.* Marcion, vt ad notauit Epiphanius, *e. quia non accepit præsidentiam, æmulatione ad magnam indignationem & superbiam elatus, hæresim sibi erexit dicens. Ego findam Ecclesiam vestram, & mittam fissuram in ipsam in æternum.*

Montanus, vt auctor est Theodoretus. *f. propter primi loci obtinendi cupiditatem paracletum se* esse nuncupauit. *g.* Nouatianus Romæ Ecclesiæ Presbyter, *aduersus Cornelium, cathedram sacerdotalem conatus inuadere,* Nouatianorum dogma constituit. *h.* Aëtium ambiuisse episcopatum, *quem cum obtinere non potuit, vt par nihilominus Episcopis videretur*, asseruisse Sacerdotes pares esse Episcopis. Arius *videns Alexandrum sibi in Episcopatu Alexandrino prælatum*, inuidiæ ac superbiæ flammis accensus, aduersus Christi Deitatem insurrexit. Patres concilij Antiocheni, intollerandam sibi fuisse Pauli Samosateni superbiam, arrogantiam & iactantiam, tam priuatam, quam publicã, epistola ad DionysiumPapam in ore atq; oculis omnium profitentur. Nestorius, ait Socrates, *verum interpretum libros versare noluit, sed seipsum omnibus præstantiorem & doctiorem existimauit.* Ioannes Hus quod Germanos sibi in Academia Pragana prælatos vidit, illud iactabũdus protulit: *Talem Papæ impingam colaphũ, vt post centum annos crepitus audiatur.* Luthero quoque solenne illud fuit ab eius discipulis adscriptum.

Christus habet primas, habeas tibi, Paule secundas.

Ast loca post illos proxima Luther habet.

A tali autem fastũ quid non vomuit? Hæ igitur puerperæ hæresum; hæ seminatrices zizaniorum, & ab his salutare aliquid profi-

c Idem aduersus Valentin. cap. 4.
d. lib. 4. hist. c. 22.
e. hæres. 42.
f. lib. 3. de hæret. fabul.
g. Hieron. in cathalogo.
h. Theodoret. vbi sup.
Euseb. lib. 7. hist. c. 26.
Lib. 7. cap. 32.
Cyriacus Spangenbergius.

proficisci existimatis? Refugite per Deum hæc semina iniquitatis: Præcepit olim Deus. *Agrum tuum non seres diuerso semine.* Ne vos permittatis, quibus interest interseri tritico, varium & multiforme istud semen. Si facitis, Christo dignos seminatores vos esse probabitis, qui viuit in sæcula, Amen.

Leuit. 19.

CONCIO III.

Sinit crescere vtraq; vsq; ad messem. &c. Matth. 13 cap.

Hæretici an tolerandi?

VBERIOR seges, quę Philistęis prouenerat, nimis eos audaculos faciebat contra Samsonem, vt illi sponsam adamatam nollent restituere: Quamobrem ille conquisitis trecẽtis vulpeculis & fumantibus titionibus alligatis, ad caudas earum, dimisit in prata: hoc animo, vt fruges copiosas, & iam messuræ propinquas exureret, atque feroces animos hostium deprimeret. Magnos quoque adhuc sumit animos Sathan contra Christum, propter infelicis lolij quod eius tritico superseminat vbertatem; scilicet propter hæreticorum dogmata. Cur itaque Saluator cupientibus discipulis euellere zizania, inhibuit ne facerent? Tolerandine sunt, an vero plectendi hæretici? Id erit propositum Concionis nostræ.

Tolerandi sunt tum temporis hæretici, cum periculum est, ne patiantur Catholici: cum vero abest periculum, imo adest periculum, vt ab eis, vel corrumpãtur; vel quod fit opprimantur Catholici, tunc non modo non tolerandi, sed omni ratione perquirendi atq; plectendi. Non mea est, sed Christi sententia: Ideo enim prohibuit discipulis, ne multiplicatũ zizania euellerẽt, *ne scilicet simul eradicarent & triticum:* vbi vero, sicut Augustinus explicat, de frumentorum certa stabilitate, certa securitas manet; scilicet vbi cuiusq; crimen ita omnibus notum est, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorsus, vel nõ tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ; eradicetur zizanium, ne totum obruat agrum. Scintilla, vt docebat Hieronymus, cũ apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicina remouendum; scabiosum animal à reliquo grege ouium repellendum; ne tota domus, massa, & pecora, ardeat, corrumpatur, intereant. Si medicus cum viderit huius terreni corporis aliquẽ esse languorem magnum, suæ artis existimat documentum, si cito quis illius interuentu desperatus euadat; vel cum putre vulnus aspexerit, adhibet fomẽta, vel cætera quibus illud posit quod natum fuerat vulnus curari; ac si ita manens sanari non poterit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat, quod nocebat; quod reliquum est integrum, seruat intactum, præcidendum id ergo est, quod velut puro, sanoque nimirum corpori vulnus obrepsit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus huius mali non exhaurienda post sentina considat. *Secandæ sunt putridæ carnes, ne totum corpus putrescat.* Si agricola aduerterit in agro infelix lolium & steriles exoriri auenas, famulos mittit, qui diligẽtius explorẽt perniciosas herbas, & radicitus euellant, ne illis succrescentibus, aristæ frugum obruantur: euellendi quoq; sunt hæretici, si nullum damnum Ecclesię obuenire potest, & pullulantibus illis celerius est obuiandum, ne longius execrandus error animis inserpat.

Lic. 3. cõt. epist. Parmen. c. 2.

Hieron. in Galat.

August. epist. 91.

Ringuntur ad ista hæretici scio, & voces illas à caustica sumptas, *Vre, seca,* à pijs quibusdam in eos vsurpatas sugillant. Sed quam merito? Ipsi viderint, si vrunt, secant, vbi eis vires. Lubet præmittere dictum Baiasiti Turcarum, quod Temir-Lanco ait, Sed rem narro ex Lipsio, Baiasites primus, quem, *Gilderum Chan,* à fulmine Turcæ dicunt, magnus animo & rebus Imperator fuit: Atque is varie, & per decem amplius annos victor, magno illo prælio cum *Themire Chamo,* quem *Temir-lanchum,* à claudicatione item vocant, conflixit. Vtrimque ingentes copiæ, robora virorum; & militiæ vsus à

Baiasitem quomodo habuit Themirlanchus ex eius dicto.

Turcis; Fatum aliunde ſtetit. Nam & auxiliares copiæ Tartarorũ in ipſa pugna deſeruerunt Baiaſitem, tranſitione ad hoſtem facta. Ibi tum Baiaſites captus, filius eius Muſtapha cæſus, & quidem felicius: Nam pater ad victorem Temirem perductus, honeſte primum exceptus eſt: cum & obuiam pedes extra tentorium iuiſſet illi, in equo aduentanti. Cum deſcendiſſet; vterque pro more gentis, humi in tapete conſedit, atq; ibi poſt alia, Temir, *Age mi Cham, inquit ſi ego in tua ſic ſim poteſtate, quid ageres? dic libere & veraciter.* Ibi aiunt Baiaſitem, qui feroci & elato animo erat, ſubieciſſe; *Equidem te, ſi numen victoriam adnuiſſet, in ferream caueam incluſum circum duxiſſem, ſpectaculo & oſtentui cunctis.* Temir eo audito ſententia hac in ipſum eſt vſus, & ſic inclufit. Iure belli iſte in victum inſolẽti ratione deſeuijt, quia ſuperior victo fuit. Inſolentes quoque nullo iure ſunt hæretici in Catholicos, quando ſe & numero & viribus maiores agnoſcunt. Merito vt naturali iure, par pari illis redderetur à Catholicis, quando ſumus rerum potentes. Quid enim illi cum poſſunt ad extirpandos Catholicos non faciunt? Quod vero genus crudelitatis, non exercent? Guilelmus Roſſæus refert, fædiora proculcati Catholiciſmi exẽpla relicta fuiſſe ab Hæreticis nuper noſtra ætate in Gallia, quam vnquam fuerint à Turca ipſo Conſtãtinopoli, aut in Hungaria & poſt cruẽtiſſimas expugnationes deplorat illic Eccleſias euerſas, Sacra vaſa conuaſata, ſuppellectilem Sacratam in prophanos vſus conuerſam, reliquias incenſas, monachos & Sacerdotes vario genere ſuppliciorum enectos; Virgines, Viduas, & iunctas ſtupratas; Catholicorum vrbes funditus euerſas, Catholicos ipſos trucidatos: & quod Tertullianus Gentilibus obijciebat, *nec mortuis parcitum eſt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos auellerent, diſſecarent, diſtraherent.* Itum eſt, *inquit Roſſæus,* in viſcera terræ, & in ſepulchra mortuorum pari barbarie ſæuitum, & antiquiſsimi Aurelianenſium Pontificis S. Aniani, qui precibus ſuis vrbem illam ab Hunnorum furore ſeruauerat incolumem, corpus ex tumulo rapuerũt, & flammis adiudicauerunt. Proxime in Regis tum viuentis fratrem, paulo ante defunctum Franciſcum II. pari impietate deſæuierunt, eiuſque cor è monumento vbi reconditum erat extractum, eodem incendio abſumpſerunt. In Cleriaco oppido, poſt templum D. Virginis quod Ludouicus rex ſumptuoſe extruxerat, euerſum ipſum regem è monumento tulerunt, vnaque reginam vxorem, quæ cum rege ſepulta erat: quorum vtriuſque corpora poſtquam ad aliquot dies cum ſingulari regij nominis contumelia, per totam vrbem raptaſſent, quãdo iam ſemiputrida oſſa vix ſibi diutius poſſent adhæreſcere, vtrumque ad flammas damnarunt, & accenſa pyra in cineres redegerunt. Inde in ſacellum Ducum Longauillæ irrumpentes, vbi item tumulati erant ex regis ſtirpe permulti, eos ex ſepulchris extraxerunt, inque ſterquilinia proiecerunt. Mox ad reginam Henrici Nauarræi matrẽ proficiſcentes, ea præſente & inſpectante, quoſdã Principes familiæ Borboniæ, mariti ſui conſanguineos è ſepulchris erutos cõbuſſerunt. Notum eſt quid Lugduni fecerũt contra S. Irenæum: Veteres olim Pagani primum eius epiſcopum Photinum virum Apoſtolicum occiderũt, & deinceps *eius aliorumque martyrum corpora combuſta in Rodanum fluuium ſparſerunt:* Iſti Caluiniſtæ, Photini ſucceſſorem Irenæũ exhumarunt, & publice concremarunt, cinereſq; in præterfluentem Rhodanum iecerunt. S. Hilarius olim etiam apud Arrianos, quos ſcriptis perſtrinxerat, in honore: Namque Conſtantius Imperator eum ab exilio reuocauit. Hunc Caluiniſtæ ad ſuum tribunal ex ſepulchro trahẽtes, primum libros ſua manu contra Arrium exaratos, deinde ſacrum eius corpus apud Pictauos exuſſerunt.

S. Radegundis regina Clotarij vxor, iacebat in eodem loco: cæterum Caluiniſtarum furorem non potuit euadere, quin erueretur ex monumento, & flammis adiudicere-

Hæretici quod truces in Catholicos.

In apolog. cont. gentes

Phalariſmi hæreticorũ in Catholicos viuos & mortuos.

1. Aurelijs.

2. Cleriaci.

3. Lugduni. *Niceph. li.4.c.17.*

4. Pictauis.

diceretur. Sic Pictauien. omnes Ecclesias, omnes sepulturas, omnes bibliothecas, imo nec tantum illius Ciuitatis, sed plurimarum in Gallijs Vrbium ignibus tradiderunt.

5. opp. S. Ioann.

Erat in alio oppido Burdegalensis oræ (S. Ioannis Angelici vocabant) pars quædam capitis incliti præcursoris Domini, quo nemo maior inter natos mulierum: Processerunt eo immanitatis hæretici, vt post D. Mathiæ caput Vulcano consecratum, etiam occiput D. Ioannis postquam cum Herode & Herodiade magnis contumelijs affecissent, magna ceremonia, magna pyra medio foro incensa, iniecerunt & combusserunt.

6. Aurangi.

Aurangi post ordinaria hęreticorum facinora, disturbatas Ecclesias, euersa Sanctorũ monumenta, exusta corpora, & inter alia patronum & primum Apostolum suum S. Eutropium, & huiusmodi cætera, ad extremum, scitè formatam Christi crucifixi imaginem templo eduxerant, funibusque alligatam asino imposuerant, & per omnes plateas & compita perpetuis eam maledictis, & vna continuis flagellis & verberibus afficientes circumduxerant, & deinde non quidem in crucem egerunt, sed quod eiusdem erat immanitatis proiecerunt in ignem.

7. in Diæcesi Cornoten.

Cæterum ijdem hæretici in Diæcesi Carnotensi longe supra hanc diritatem progressi sunt: qui in Ecclesiam quandam vbi Sacerdos Diuinum illud Christianorum sacrificium peragebat irrumpentes, proculcata suis pedibus Sacrata hostia, & effuso sanguine, calice loco matulæ abutentes, & Sacerdotem ad lotium ebibendum compellentes, mox eundem cum crucifixi Christi imagine alte colligarunt, & Christum cum Sacerdote plurimorum sclopetorum glandibus transfixerunt: quod facinus plusquam Diabolicum à multis Euangelicis in alijs plerisque locis factitatum, fidelissimi historici annotarunt.

Surius an. 1568. & 1569.

Nullum reperiam orationis exitum, si voluero istorum facinora insigniora, per totas Prouincias recensere: recenset Gallorum historiographus Theuet, & scribit *nunquam sub Ostrogotthis & Vandalis tantum fuisse exercitum crudelitatis in Gallia contra Catholicos, presbiteros, Monachos, Sanctimoniales, vt ab hæreticis in Gallia.*

8. in Germania.

At in Germania forte clementiores? Non minus truculenti, qui similia, imo atrociora patrare exemplo docti: mouere bella scilicet, contra Principes & Imperatores, ita vt Carolus V. Imperator ad æternitatem natus, cum à subditis corona cinctus esset, numerarit vna die aliquot centena globorum tormentariorum castris suis iniecta, & tot fidelium cohortes enectas.

9. in Anglia.

Angli quia ab Angelis nomenclatura non multum absunt, forte humaniores in Catholicos? Sed hi meram lanienam, qualis nunquam à Tragicis descripta instituerunt in eos.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis.
Componens manibusque manus atque oribus ora Mezentius,

vt de illo scripsit Virgilius: iungebant & isti boni fratres.

Quantum apud eos per Iezabel effusum sanguinis? Quantum ab illo pio sexu impietatis? ferocitatis? Oceanus adhucdum sanguine martyrum russatus testatur: Namque facile erat, in quoscunque, prætextu crudelissimæ legis ab ea editæ sæuire. In tabulis Parlamenti sanguinarij hæc annuatim edicta leguntur. *Si quis postulatus, vt abiuret potestatem Ecclesiasticam Romani Pontificis recusauerit, reus esto læsæ maiestatis.*

Parlam. an. 13 c. 1. & an. 5 c. 1. & an. 23. cap. 2.

Omitto particulares Parlamentorum canones referre, in quibus decernitur. *Qui Missam audierit, confessionem exceperit, coronas precatorias, picturas Sacratas, numismata à Pontifice benedicta, cruces & reliqua Christiana retinuerit, gestauerit, veneratus fuerit, vt proditor patriæ iudicetur.* Deinde: *Si quis Iesuita, Sacerdos, Diaconus, religiosus, vel quæcunque persona Ecclesiastica in hoc regnum deinceps venerit, censebitur reus læsæ maiestatis, mortemque subibit vt perduellis: & si quis laicus eum receperit, vel quocunque modo iuuerit, damnabitur ad mortem: & bonorum omnium iacturam, perinde atque fur atq; homicida.*

& an. 27. cap. 2.

Talis libertas nostrorũ apud hæreticos. Putas quãti ab his

edictis Minosseis, excarnificati? Innumeri. Nam non tamen Sacerdotes, sed & Archiepiscopos & Cardinales, & supremos regni Cancellarios, video sanguinẽ fudisse. Ite vos Principes Christiani & fœdere vos innectite illis, quibus *libertas conscientiarum est in ore, carnificina Catholicorum in manibus.* Porro vicini Battaui quid in Catholicos? imo quid etiam in suos? Quærit, Carolus Scribanius Soc. Iesu doctus & eloquens Theologus; Ioannes Mathiæ Harlemensis, nouus orbi Enoch, quantas Amsterodani turbas dedit? Refert deinde. Haud dissimiles Ioannes Van Gheel in eadem ciuitate: arcem in ea, & regni sui sedem habiturus, ni forte obuiam itum esset: & stetit hic prætextus religionis ciuibus magno sanguine. Iam Ioannes Leidensis Sartor, quam scelestè VVestphalis imposuit, cum se Israëlis iactaret Regem, veteribus promissum, vt eriperet suos ex diutina seruitute? At nisi potenti exercitu Imperij Principes, Monasterium noui imperij sedem obsedissent, recepissent, ipsumque & asseclas dignis supplicijs affecissent, magnas Europa tota flammas sparsisset, non vno sæculo delendas. Et Dauid Georgius Delfensis, officio vitrarius, vibex & macula suæ gentis, qui se Spiritum sanctum cœlo missum, & à Filio ante promissum proclamabat, nõ res semel mouit, tam fatuo commento. Nec dissimilis fraudis impostor alius Hermanus sutor, qui se apud Frisios cælestem Patrem palam assereret, & Cornelius Intherckof, qui se tanti Patris cælo natum filium impudentius, an stolidius iactaret, non Rempub. mouissent, ni occursum tempori foret. Quid Theodorus Sartor, ausus est inaudita sæculis impudentia, se, socios, mulieresque comites, palam ostendere nudos, quod veritatem negaret tegendam, nudam illã esse, aspernari abscondi. Nec defuissent qui crederent, nisi magistratus prudentia, extinctus hic minitabũdus ignis fuisset. Illud vero est omnis culmen insaniæ, ad quam vel emortuæ lucernę erubescũt, scilicet ad fœdam caninamq; proluuiem Henrici Nicolai, à cuius dogmate non suffunditur homo, non nupta, non virgo, ad alienos complexus: nihil hic sanctum, nihil intactum: non thorus, non sanguis, non pater, mater, soror, prout sors dederit, & impudentes tenebræ. Plura vetat pudor, & hic tamen, quam non semel vniuersam prope Reipub. anchoram mouit, ni occursum impudentissimæ libidini foret? Verum est supra omne verũ, quod non tantum nunc, sed quod Lucretius canit &

Margin: 10. in Battauia. — An. 1535. — An. 1535. — An. 1534. — An. 1544. — An. 1553.

------ *sæpius olim,*
Religio peperit scelerosa atque impia facta.

& hinc bella. Nam vt Paulus Æmilius retegit. *Nihil in sacris bellis perinde obfuit, atque mos iam exortus, vt honesta præscriptione suas quisque respiciat res: In ore omnium sanctum piumque versetur: consilio, conatu, animo, secus afficiantur. Si de religione tantum agatur, si obliuio noxæ sanciatur, si sanatis mentibus fortunis hominum abstineatur, omnes idem sentiant.* Credas Vatem fuisse, & in hæreticos scripsisse, quibus obtentu religionis lusus est, etiam in sua viscera armare filios, quinimo in ipsam naturam, inque ipsum Deum, contra quem hæc portenta.

Hinc educo quatuor præcipue rationes, propter quas non sunt tolerandi hæretici. Prima esto. Hæretici quocunque nomine censeantur, iniurij sunt Diuinæ maiestati: Namque Sacras Dei ædes vel demoliuntur, vel in stabula conuertunt, atq; omnia Sacra proculcant: itaque non tolerandi, sed præinquirendi, & vel suadendi; vel plectẽdi: Iussit Deus, *Educ blasphemum extra castra*, deniq; prophetam, imo & ciuitates etiam integras, iussit occidere, vel succendere, si fuerint tales. Quadringentos & 50. Prophetas Baal extinxit Achab, ad instantiam Eliæ: Secutus exemplum Achabi Iosias, sacrificulos Baal in ore gladij percussit, omnemque iniuriam Maiestatis Diuinę vltus est. Nabuch quoque licet gentilis hoc edictum promulgauit, *A me*, inquit, *positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus & lingua, quacunque fuerit locuta blasphemiam contra Deũ Sidrach, Misach, & Abednego, dispe-*

Margin: Præscriptio religionis quid facit. — In Phil. II. — 1. Ratio. cur non toleran. hæretici quia Deo iniurij. — Deut. 13. — 4. Reg. 23. — Dan. 3.

dispereat, & domus eius vastetur. Iudæi hic duri, qui nec cohabitationem admittũt cuiusquam à patria religione dissidẽtis Scitis quamobrem Saluatorem Cruci affixerint, & Stephanum lapidarint? scilicet propter solam suspicionem blasphemiæ, quæ tamen non blasphemia erat. In Ecclesia Christiana veteri, licentia effusa nusquam fuit, postquam illa Principes habuit Christianos; imo correctio semper fuit in tales, alias alia, pro tempore astricta magis aut remissa; proque iniuria, lenis aut seuera. Petrus Ananiam & Saphiram iniurios Spiritui Sancto exanimauit, Simonemque Magum è sublimi deiecit. Paulus falsum Prophetam, qui Proconsulem à fide auertere conabatur cæcitate percussit. Ioannes nec Aue dicere talibus iubet. Sed placet in exemplũ producere Ciues Samosatenos ab antiqua disciplina excultos, quoniam illi se abstinuerint ab hæreticorum conuersatione. Eusebium acceperant Episcopum Arianum. Cum hoc autem nemo hominum, vel pauper, vel locuples, vel iuuenis vel senex Ecclesiam est ingressus: Quin & balneum in quo lauerat ingressi, non prius voluerunt lauari, quam omnes aquas præsentia ipsius pollutas per cuniculos emisissent. Eo discedente atque Episcopatum deserente, cum Ariani substitussent Lucium, lupum reuera non pastorem: Quo ingrediente pueri quidam pilam inter se impellentes in foro ludebant. Accidit vt pila ex cuiusdã pueri manibus excidens per mulæ eius qua Lucius vehebatur, pedes volueretur: Atq; illi vlulatum ingentem edidêre, piaculo pilam repletam esse opinati. Nec antea illa vti volebant, quam per accensum ignem, lustrare ita piaculum volentes, iecissent. Puerile hoc quidem fortasse, satis tamen idoneum quod demonstret, quam constans antiquitas fuerit in abnuenda conuersatione eorum, qui fidei doctrinam deprauassent.

Act. 5.
Ibid.
Samosateni quantopere vitarint Luciũ & Eusebiũ haret.

Ælius Saturnius poëta Satyricus è Capitolio est præcipitatus, quod in Tiberiũ Imperatorem versus composuerat: qui in Deũ ipsum conuitia componunt, dicunt, spargunt quomodo tolerentur, Iudices esse? Sed aliam rationem expendo.

Hæretici quocunq; nomine censeantur, iniurij sunt naturæ, & pudori. Namque authores scelerum, vel à suis, nuncupantur: itaque non tolerandi, sed plectendi. Monet Erasmus Rotherod. *Circumspice, inquit, populum istum Euangelicum & obserua, num minus illuc indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quam faciant ij quos detestamini. Profer mihi, quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico beneuolum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.* Lutherus ipse addit. *Mundus, ait, nunc sub istis fit in dies deterior: sunt nunc magis vindictæ cupidi magis auari, magis ab omni misericordia remoti, magis immodesti & indisciplinati, magisque deteriores, quam fuerint in Papatu.* Itaque his qui libertatem conscientiarum quærunt, dicatur quod scripsit Augustinus. *Frustra dicis, relinquar libero arbitrio: cur enim non homicidijs, & stupris, & quibuscunque alijs facinoribus & flagitijs, libero te arbitrio dimittendum proclamas? Quæ tamen omnia iustis legibus comprimi, vtilissimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem: sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam.* Diducerem singula, sed-- ----

2 quia naturæ iniurij.
In epist ad Vulturium Oeconomiũ.
Postil. super Euan. Domin. 1. Adu.
Cont. Cresc. ca. 51.

Tertia ratio cur non tolerandi hæretici, quia pacis publicæ olim turbatores: In Republ. ille magnus, qui seditionem in semine sustulit, nec permisit vt adcrescat in robur plenum. Ille enim si sine reipubl. periculo, & in solo noxio sanguine scelus piabit, à republ. interitum auertet. Sed quartam addo, cur non tolerandi, quia Baiazetis dicterio docti in nos cum possunt sæuire, *ne sæuiant. Multorum quia imbecilli sunt, latent vitia: non minus ausura,* vt monstrat Seneca, *cum illis vires suæ placuerint, quam illa, quæ iam fælicitas aperuit, Instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt. Sic tutò serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas*

3 ratio, quia pacis Pub. turbatores.
4. ratio, quia hostes Catholicorum.

litas & ambitio, & luxuria, ne paria pessimis audeat, fortuna fauore deficitur. Eadem velle eos cognosces, da posse, quantum volũt. Hos quos intra viscera regni fouemus, an innoxios putatis? Seditionis Rokossyanæ mementote, quid iam tentarint. Expectatis quoad venena iterum fundant? Censerem non expectandos, sed præuertendos; non tolerãdos, sed vel suadela, vel talione tollendos, si vestrum sanguinem, pignora, salutem, honestatem, & Dei honorem, quod facitis, curatis. Iesu casti cõsilij seminator, hoc consilium inspirare digneris Serenis. Regi Sigismundo III. & Principibus Regni, vt auferant scandala hæc de Regno Dei, vt omnes vnanimi ore te laudemus in sæcula, Amen.

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Simile est Regnum cœlorum grano sinapis. Matth. 13. cap.

CONCIO I.

Fidei vtilitas.

TANTA Dei erga nos exuberantia est, vt non suffecerit illi semina virtutum animis nostris inseruisse, quę naturaliter homo si excoleret, magnum prouẽtum bonorum recepisset; nisi etiam semine Fidei consereret agrum animarum à se creatarum. Volebat hominem ad superiora quam ipse per se posset eniti, adducere: ideoq; necesse habebat, eundem superioris saturæ semente grauidare, vt & intellectu & affectu contingeret, quæ nec oculus vidit, nec auris pura audiuit, nec in puris naturalibus cõditum cor vnquam ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Hoc enim semen Fidei infusæ efficit, quod die hodierna repando.

Heb. 11. Cum Paulus definiuisset Fidem infusam Theologicam, quæ *est sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium*, ad duo aspexit, scilicet ad intellectum & ad affectum; Fides enim iuuat intellectum, quia illustrat: iuuat affectum, quia connectit animam Deo: Intellectui per lumen infusum *est argumentum non apparentium*: Affectui autem per vinclum adiunctum est *substantia sperandarum rerum*. Binam istam Fidei vtilitatem, paulo accuratius ostendo.

Iuuat Fides intellectum, quia illustrat eũdem, ad perspicienda inadspectabilia. Lego in constitutis Diuinis, quod Deus iusserit Moysi facere candelabrum aureũ, ductile ex auro purissimo, quod statueret in tabernaculo fœderis ad meridiem, è regione contra mensam positam ab Aquilone. Mensam intelligo animam nostrã in qua à naturali penicillo nihil est delineatum ex Diuinis supranaturalibus imaginibus. Accedit quod illa ad Aquilonarem plagam collocata, habet à Tenebrione Aquilonari, nonnihil affusum tenebrarum, quas Lucifer deciduus dispergit. Et ideo recte dictum est à Paulo, quia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit ex his aliquid, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Ad hanc mensam animæ illustrandam, Deus accendit lychnum Fidei tanquam in caliginoso lucentem, vt quod oculo carneo nõ potest anima videre, illustrato per fidẽ aspiciat. *Fides illustrat intellectum.*

Inter sinapismi medicinas prima est, depuratio cerebri, & exinde per deriuationem, omnium sensuum, qui à cerebro suas operationes agunt, scilicet vt oculus acutius cernat, auris subtilius audiat, gustus sapidius accipiat. Recte itaque fides per granũ sinapis symbolicè designatur: hæc enim est quę animi animum excitat, acuit, illustrat, vt *quæ oculus* naturalis *non videt*, perspiciat; quæ *auris non audiuit* corporea, interior exaudiat; & *quæ in cor hominis nõ ascenderunt* à carne, à Patre luminũ emanantia suscipiantur, vt tandem illud homo audiat, quod semel dictũ est Petro, *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus qui in cælis est.* *Ad videndum inuisa.*

Ex rebus quidẽ creatis, multa de summo rerũ conditore cognoscere possumus, tamen non exacte, neque sine multis permixtis erroribus. Quicunque enim

Diuin

Deum per res creatas cognoscit, is ex quodam vestigio cognoscit. Sed vestigium, *vt quidam docebat*, nescio quid, de eo cuius pede factum est declarat tantū, non omnia tamen: Speculum imaginem refert, & faciem externam oculis offert. Si enim vestigium pedis in puluere impressum cernas, hominis ne sit an equi facile dijudicas; at homo ille Rexne an agricola, potens an qui minus possit, fortis an imbecillis, ex vestigio certū & exploratum esse tibi non poterit, itemque nec qua sit facie, quaue statura. At qui in speculo hominem, hominis faciem, pulchritudinem, formam, quantus qualisue sit cernis: quis itē sit, si antea vidisti facile agnoscis, at qua sapientia, qua doctrina, qua sanctimonia fortitudineue sit habere non potes. ita quoque ex rebus procreatis arguere possumus Deum esse potentem, sapientē, vnum, supremum ens, infinitū, immortale, gloriosum ac summe bonum; at quidē an sit Trinus in personis, an indiuisus in essentia, an nostro flagret amore; an ad se omnia conuertat, omnibus ne prospiciat, & prouideat, tāta quanta cernimus vbertate, tātane succensus dilectione, vt pro homine, maiestate sua exinanita vilissimam suscipiat humanitatem, & pro homine immortalis tandē mori decreuerit, ex rebus creatis non aduertere vales. Nullum est enim tam perfectum vestigium, quod Trinunitatem repræsentare queat. Nulla creatura, quæ obumbratum incarnationis mysterium deumbret. Nulla copia bonorum temporalium, quæ bona perpetua spiritualiaque ostendat. Fides sola est per quam licet *in ænigmate*, tamen *in speculo* videmus non apparentia.

Fides est argumentum, quod Deum Vnum in essentia, & Trinum in personis demonstrat. Sola fides *Angelum testamenti* in nostra mortali carne pro nostra salute nascentem & morientem ostendit. Sola fides vitæ æternæ thesauros inæstimabiles reserat, quæ primo subiungit animā Deo, deinde præcepta dat viuendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & incipit lucere, quod tātummodo suspicatur. Sola æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodo circumcludit, cæcos hæc illuminat, infirmos curat, peccatores homines saluat, fideles iustificat, pœnitentes reparat, iustos augmentat, Martyres coronat, Virgines & Viduas & coniugales castum pudorem docet, Martyres coronat, Sacerdotes consecrat, omnibus normam vitæ & terminos præscribit, atque omnia ad salutem necessaria palam facit. *Allegoria fidei.*

Fides Petra. Fides *est petra* illa in qua Iacob Patriarcha lassos reposuit sensus, & in sopore vidit per scalam admirandos *Angelos ascendentes & descendentes, Dominum quoque innixum scalæ*. Qui enim in Fidei petra solida cōquieuerit, aciem intellectus vsque super sidera attollet, Dominum maiestatis altissimæ innixum scalæ contemplabitur, Angelum quoque Testamenti & Dominatorem terræ ad nos descendentem, & perfecto opere redemptionis rursus ad cœlos regredientem, & ineffabili ratione nostram salutem operantem aspiciet. Huius etiam adamantinæ dyoptræ lumine, animas etiam se ad cœlestem conuersationem eleuantes, & à fonte inexhausto, illuminationem, iustificationem, castimoniam, sanctificationē, Diuinæ naturæ participium, speciem inexplicabilem, gloriam & felicitatem decerpentes contuebitur.

Fides virga. Fides est Virga illa quam intinxit Ionathas in fauum mellis, quod cum labiis degustasset, aperti atque illuminati sunt oculi eius. Qui enim fidei Virgulam ad cœleste defluuium erectam, in mellea suauitate cœlestium bonorū intinxerit, & ex ea vel minimū primis labris degustarit, oculi eius quos ei Sathā vel euulserat vel obscurauerat, aperientur, & splendore nouo illustrabuntur. Tunc videbit arcana, quæ nec ab animo humano, nec à mēte Angelica viribus naturæ vnquam apprehendi potuerunt.

Symbolum virga aurea. Veteres Orphici fingebant Sybillas arcanorum Scrutatrices, si quando opacas tenebras dispellere, & lucem splendidam Elysiorum camporum conspicere vellent

vellent, *ramum aureum* in quodam nemore obscuro decerpere, & illo omnem caliginem dissipare. Nostræ fidei sinape, vere plusquam ille aureus ramus, nebulas errorum dispergit, lumen splendidissimum ostendit, acrimoniam intellectui ministrat, vt inuisibilia videat. Est enim *sperandarum rerum substantia, & argumentum non apparentium.* Narrabo, vnde Basilio Magno tanta scientia. Is cum esset gentilis & bonarum artium apprime eruditus, inter confligantes Philosophorum sententias nihil certi asserentium nutabat: donec ab Athenis transiens in Ægyptum explorato Philosophiæ nostræ sensu Christo credere cœpit. Inde reuersus, Eubolum præceptorem suum de ratione veræ sapientiæ disputando superauit, & ad Domini Dei nostri cultum conuertit. Reperit ergo Basilius in Ecclesia per fidem, quod in Academia non poterat reperire per studium, & discipulos docuit quod nō didicerat à Magistro. Dum autem vterq; Ierosolymis à Maximino exemplo post baptizarentur, circūfusos lumine viderunt qui aderant; eaque res indicio fuit, eos antehæc veri ignoratione in tenebris fuisse, & fidei radio illustratos esse. Libet his adiungere Gregorium Thaumaturgum, qui etiam ab hoc ramo fidei doctus. Visa est ei Diua Deipara, & per S. Ioannem Euangelistā professionem fidei nostræ quantū ad Theologiam & Diuinitatis rationē pertinet, scriptū exhibuit. Accedit ad hos Ephrem Diaconus, qui etiam libro ab Angelo demonstrato sapientiam infusam accepit, & per fidei reuelationem tantus Doctor quantus est euasit. Fides enim à Deo siue per Angelos, siue per Sanctos annunciata, doctrix est disciplinæ Diuinæ.

SS. docti à fide. Basilius. Amphiloch. in vita Basil. Niceph. l. 6. cap. 17. Baron. an. 338.

Gregor. Thaum. Ephram. & alij.

Quis enim, oro, Deum creatorem cūctorum nobis reuelauit? Fidei virga. *Fide* ait Paulus, *intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* Ratiocinatio non suffragatur huic mysterio. Nemo enim quando hæc fiebant aderat. Fide ramus Abeli innocenti, religionem vsq; ad mortem tuendam esse persuasit. *Fide,* inquit Paulus *honorauit ille Deum, & plurimam illi hostiam obtulit, & pro eius honore mortuus est: per hāc testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, per quam defunctus adhuc loquitur.* Fidei virga Henocho pulchritudinem Diuinam obiecit, eumque ad illius amorem excitauit. *Fide enim Henoch*, vt ait Paulus, *translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Dominus, ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo, sine fide autem impossibile est placere Deo.* Fidei ramus Noeto S. futuram & scelerum pœnam & bonorum mercedem demonstrauit. *Fide,* siquidem, vt idem Paulus inquit, *Noë responso accepto de ijs quæ adhuc nō videbantur, metuens aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.*

Monebat Diuus Chrysostomus. Considerate, *inquit,* Patres antiquos qui fuerunt olim. Patriarchæ fide exierunt de terra sua & de cognatione sua, credentes; quia qui iusserat illos exire, dimittere nō poterat exeuntes. Fide Abraham in senectute meruit accipere filium, & contra spem in spe credidit. Idcirco & prædicatur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei in iustitiam.* Vidisti quomodo & ante euentum & impletionem promissorum, eo ipso quod credidit, sufficientem habuit mercedem? Nam in iustitiam reputatum est ei, quod credidit promissioni Diuinæ, & non humana ratiocinatione curiosius, ea quæ dicta sunt explorauit. Discamus igitur & nos obsecro à Patriarcha Dei credere dictis, & eius promissis fidere, neq; ea cogitationibus nostris indagare, sed magnam gratitudinem exhibere. Hoc enim nos & iustos reddere poterit, & assequi promissa faciet. Atqui Abrahæ promissum est, quod ex semine eius maxima futura esset multitudo, erātque præter naturæ solitum modum, quæ promissa erant; proinde & fides in Deum iustitiam ei attulit. Nobis autem si sobrij sumus atq; vigilantes, multo maiora promissa sunt, quæ & ipsa humanas cogitationes lōge transcendunt, modo tā potenti

Hom. 36. in Genes.

Fides ostēdit futurā felicitatem.

potenti promissori credamus, vt fide iustitiam reportemus. Ea enim quæ maxime nobis promissa, humanam transcendunt rationem, & omnem cogitationem excedunt, tanta promissionum est magnitudo. Neque enim præsentem solum nobis promisit huius vitæ statum, & visibilium fruitionem, sed & postquam hinc emigrauerimus, & post corporis corruptionem, quando in puluerem & cinerem nostra dissoluentur corpora, tunc resurrectura ea promisit, & in maiori gloria futura. *Oportet enim*, inquit Beatus Paulus, *corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Et post corporum resurrectionẽ regno frui daturum se nobis pollicitus, & conuersationẽ sanctis, & in perpetuo sæculo quietem, & ineffabilia illa bona que nec oculus vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt. Vidisti quanta promissionum excellentia? Vidisti donorum magnitudinem? Hæc cogitantes & scientes, quod mentiri nequi, is qui ea promisit, magna alacritate expediamus nos ad virtutis agones; vt & promissis bonis perfrui possimus, & ne præferamus saluti nostræ, & tantis bonis momentanea; neq; cogitemus labores virtutis, sed retributiones in mente reponamus; neq; pecuniarum sumptus tantum spectemus si quando eas opus est pauperibus erogare, sed potius, quantum inde nobis accrescat.

Alipiscendam virtutem. Ea enim de causa semini eleemosyna comparauit Diuina scriptura, vt cũ gaudio & multa alacritate illam operemur. Nam si ij qui semina terræ cõcredunt, & intus reposita spargunt, ita negotiantur vt bona spe foueantur, & iam nunc manipulos imaginantur ac plenas areas: multo magis quibus datum est semẽ hoc spirituale seminare, gaudere ac exultare cõuenit, quod messuri sũt in cælo hoc quod in terra serunt, & nummos expendendo peccatorum remissionem recipiunt, & fiduciæ materiam inueniunt, conciliantes sibi per ea quæ hic dant, perpetuam quietem & cum sanctis conuersationem.

Et continentiam eligere volentes, non spectemus quod laborem habet virtus, neque quod virginitas magnum habet certamen: sed quietem quæ nos excipiet cogitemus: hanc semper ante oculos nostros depingentes, malæ concupiscentiæ refrenemus rabiẽ, vincamus carnis motus indecẽtes, & respectu mercedis laborum molestiam subleuemus. Sufficit bonorum spes, vt etiam pericula contemptim aggrediamur, quanto magis vt virtutis labores fortiter feramus. Quando enim animo versas, quod si ad breue tempus certaueris, & fulgidam seruaueris virginitatis lampadem, beata vita censeberis dignus, & cum sponso intrare poteris, modo accensas habeas lampades & sufficiens oleum, bonorum operum actionẽ inquam, quomodo non cum omni facilitate difficilia omnia transcurrere poteris, cogitans illud quod à Beato Paulo Apostolo dictum est; *Pacem sectemini cum omnibus, & sanctificationem, absque qua nullus videbit Dominum.*

Vidisti quomodo sanctificationi pacem coniunxit? Nam vt sciamus, quod non solum corporis requirit puritatem, sed & pacẽ, opportune nos monet, vtrinque volens munire, vt & cogitationes sedemus, ita vt nulla sit in nobis turbatio, nullusque tumultus, sed in tranquillitate & quiete versemur, & cum omnibus pacifice agamus, & mansueti simus, & mites, & humani, adeo vt omnes virtutis colores in facie nostra reluceant. Ita enim deinceps & gloriam præsentis vitæ poterimus despicere, veram gloriam præferentes, & humilitatis maiorem habentes curam, ridereque omnem præsentis vitæ prosperitatem, vt vera & solida felicitate fruamur, & Christum videre mereamur. *Beati enim*, inquit, *puri corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Purificemus itaque nostram conscientiam, & magna cura vitam nostram gubernemus, vt cum præsentem vitam in omni virtutũ genere transegerimus, horum laborũ pręmia mereamur accipere in futuro sæculo, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui cũ patre & Sancto Spiritu sit gloria nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

CONCIO II.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Matth. 13. cap.

Fidei qualitas?

De Behemoth antiquo referebat Iobus, quia *circumdabunt eum*, inquit, *Salices torrentis*, scilicet quod ille delectabitur hominibus inani specie verborum, specieque tantum externa fulgentibus, nullum vero fructum vnquam proferentibus. Tales enim notæ salicis hieroglyphice designantur, quæ arbor viret pulcherrimis ramis & folijs, cæterum sterilis cum sit, nullum fructum germinat; & si aliquod semen protrudit, illud in araneam venenatam abit, sterilitatemq; inducit. Sterilia ista arbusta, & semina abominatur Deus, sed in fertilibus delectatur. Placet illi iustus, qui vel *sicut palma florebit*, vel *sicut cedrus libani multiplicabitur in domo Domini.* Placet illi Dauid, qui de se pronunciat; *ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei.* Placet & spôsa dilecta, quæ etiam ipsa quoque de se ait. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis*: Placet & quisque fidelis, qui *grano sinapis* fidei consitus, in arbustū viuacis, & feracis fertilitatis bonorum operum, ab hoc semine viuifico excrescit. De huius seminis fidei qualitate, mihi hodiernus sermo.

Iob. 40.

Salices torrētis quid

Homines vniuersi nomine arborum partim à Philosophis, partim à Sacra Scriptura appellantur. Plato aiebat, *hominem esse arborem inuersam, cuius radices versus cœlum, vnde habet verum alimentū.* In libris autem Iudicū, electio Ducis Israëlitici, sub apologo arborum adumbratur, cum dicitur. *Ierunt ligna vt eligerēt sibi regem, dixeruntq; oliuæ, ficui, viti, & ad extremum rhamno, Impera nobis.* Porro in iisdem scripturis, *Statura* cuiusdā *assimulata est palmæ*, & cuiusdam alterius recensetur esse *species electa vt cedri*, alterius deinde typus vinea de Ægypto translata, *quæ extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines duas*, delineatur. Cuiusdam etiam deuastatio sub nomine arborum, & prædicitur, & videtur. Prædicitur à Zacharia cum ait, *Aperi Libanus portas tuas, & comedat ignis cedros tuos: Vlula abies, quia cecidit cedrus tuus, quoniam magnifici vastati sunt. Vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.* Videtur autem à Balthasaro sub arbore nimis proceræ imagine, ipsa dignitas eius regalis, breui post tunc ad nihilū redigenda. Vnde ad quosdam dicebatur, *succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & dispergite fructus eius.* Fors quia vel subuentanei, vel cinereo puluere, vel aranearum veneno infarcti. Beatum hominem qui erit *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.* Si scilicet 1. de radice firma constantiæ roborabitur. 2. Si de stipite seu caudice intentionis erectæ ad cœlum surrigetur. 3. Si in ramos variarum virtutum distendetur, 4. Si folijs, & floribus sanctarum cogitationum, & locutionum venustabitur. 5. Si denique fructibus bonorum operum onustabitur. Quam felix talis arbor? Quantum Diuino aspectui grata? Has enim quinq; qualitates exigit fides, si debet esse Diuino aspectui grata.

Arbor symb. hominis.

Iud. 9.

Zach. 11.

Robur in primis in fide exigitur, vt nō sit homo velut *arundo vento agitata*, sed velut arbor firmis radicibus nixa.

Inter hieroglyphicas constantiæ notas ponitur quercus, qui vim ventorum ridet perstans immota. Potest poni & sinapis, quod ea licet tenella sit arbos, aduersus tamen turbinum impetus ineuulsa persistit. Talis esse debet fidei constantia, vt siue prospera, siue aduersa, siue instantia, siue futura, siue humana, siue Angelica ingruant pericula, illa tamen suo robore connixa, vel inflexa pro ratione perseuerantiæ, vel flexa pro rationibus prudentiæ, perseuerare conetur.

1. robur fidei necessarium.

Quercus hierogl. constantiæ.

Talis fides in Dauide, qui illud proclamauit. *Si consistāt aduersum me castra,*

non

non timebit cor meum. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

Talis fides in Petro, quem Sathan dari sibi postulauit, *vt cribraret sicut triticum*, pro illo tamen rogauit Christus ne deficeret fides ipsius.

Apollonia marty. Talis fides Apolloniæ quam hodie Ecclesia miratur, quæ equuleos, fidiculas, ignes, constantia sua infatigabili inflexit, eneruauit, extinxit. Veniunt ad Virginem crudelissimi carnifices, in quorum vultibus erant tormenta. Iactatur misera inter satellitum manus, & toto itinere non ducitur sed trahitur, explicatur totus tyrannicæ crudelitatis aduersus teneram fæminam apparatus, & illa instrumenta virorum quoque animos ipso visu frangentia, ad excutiendam muliebri pectori constantiam proponuntur. Instat tam denuntiationibus quam tormentis Decius, & minando torquet, vt fidem in Christū Virginis frangat. Virgo tacet. Videt intentum tyranni vultum, videt oculos minaces: & tacet. Cæduntur flagellis artus, verberibus corpus rumpitur, exprimiturque ipsis vitalibus spiritus: tacet. Nullum tormenti genus carnifex omisit; omnia membra laniata, omnes partes con uulsæ sunt, scissum corpus flagellis; tacet. Assidue tormenta variantur; accenduntur extincti ignes, tortores reuocantur, fessi etiam: tacet. Instabat tyrannus: *Torque. Ista pars potest subijci in ignes; in illa parte iam exaruit cruor: seca, verbera, lancina: tacet illa. Extincti sanguine refouebantur ignes, desinebat torqueri aliquando,* vt sæpius posset: exquisita verbera, lanienæ, catastæ, quicquid antiqua sæuitia inuenerat, quicquid & noua adiecerat, in miseram corporis patientiam, inter tyrannica tormenta sæuientia congesta: & tamen Apollonia tacet.

Vicerat enim sæuitiam constantia: derat iam sanguis, superabat tamen fides firmissimis nixa radicibus, in infirmo corpore puellæ. Talis fides placet Christo: talis constantia digna Christo: talis arbor digna paradiso.

Hierogl. Sinapis. Pierius Valerianus per sinapim, firmitatem doctrinæ intelligi edocebat, ego vero, fidei constantiam pronuncio. Quid autem illud, *inquit*, quod semel satum difficulter extirpari potest? Nam semina simulac decidere, haud ita multo post & virent & feracissime pullulant. Vnde fidei doctrinæ stabilitatem, & propagationem ex eo possumus interpretari. Nam qui semel nostræ huius sinapis suauitatem gustare cœperit, ab ea nunquam amplius, tāquam Vlyssis comites à loto auelli poterit. Pullulabit in corde quotidie caulis amœnissimus, totaque spiritus conceptacula seminibus his confarcientur, neque hunc proculcabit lupus, aut vrsus, aut rugiens leo: non effrenis equus, non taurus ferox, non dolosa vulpes in pabulum absumet: non frigus aduret, non æstus deficcabit, non aratrum denique contundet: virebit in dies magis, & ad procellas, & conculcationes omnium tanquam insuperabile Croceum lætius proueniet.

Secundum est, quod in arbusto fideli requirit Deus, scilicet intentionem surrectam ad cælum, non ad cænū. Videlicet vt homo sementem fidei iam germinantem, & satificantem erigat ad Deum, propter Deum, non autem propter ea quæ à Deo. Turpe esset Iobo, si impostor præualuisset contra eum dicens, *Nunquid Iob, gratis seruit Deo? Nonne tu vallasti eum possessione multa?* Turpe esset Dauidi, si non ex corde diceret, *à te quid volui super terram?* Turpe esset & cuique nostrum, si ei exprobraretur à Deo illud solenne, *non est, qui incenset altare meum gratuito.* Deus enim libere abundanterque omnia suppeditans omnibus, non reputat mercenarium opus, quod aliquis nimis apud se reputat, atque quasi ex mercede, pro auro, pro purpura, pro delicio designauit seruire, si hoc est seruire Deo. 2. intentio recta fidei.

Placet deinde illa fides Deo, quæ ad cælum erecta, in varios se extendit ramos variarum virtutum. Namque cum sit origo felicitatis nostræ; hæc autem non vnica sed multiplici operatione definitur; fides illa Deum delectabit, quæ hominem multiplici virtute decorabit pariter & felicitabit. Placuit Abraham Deo ex fide? Sed quæ fuit hospitalis, obediens, & fidelis. 3. erectio fidei in cælum.

fidelis. Placuit Deo Isaac ex fide? Sed, quæ fuit pudica, mansueta, iusti tenax. Palcuit Deo Iacob ex fide? sed ex sagaci, operosa, & constanti. Fidei arbor, non caudex, non stipes, sed ramis omnigenarum virtutum venusta oblectat Deum.

4.&5. *Fructus fidei.* Præsertim si rami non steriles, sed & folijs atque floribus pulcherrimarum cogitationum, & fructibus sanctissimarum *Hiere. 6.* cogitationum adornati & onustati. Equilem Thebanum postulabat quidam, vt, suum iudicium de Græcis & Romanis interponeret. ille acer respondit: *Non reputo, nec iudico, meliores esse Ciues Romanos quam Græcos, nec econtra. Nam Græci gloriam suam in linguis, Romani autem in hastis & ensibus collocant. Nos vero Thebani in operatione virtutum felicitatem ponimus. Plus enim valet vnum bonum opus, quam omnes hastæ Romanæ, & acuta lingua Græcorum.* Pudeat PseudoChristianos eorum quæ ethnicus denunciauit. Plus apud Deum hominesq;, imo solum solum apud homines Deumque valere opus bonum, & nihil omnino, acutam, solamque solam fidem stribilantē linguam. An audis quid in illos proclamabit? *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cælorum?* An vides Iudam Sacramenta administrantem, dæmonia eijciētem, & forte mortuos suscitātem, in quercu pependisse? An audis Deum quiritantem, de quibusdam, *non est vua in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea. folium defluxit?* An vides Christum accedentem in Euangelio ad ficulneam, vt fructus colligeret, & his non enatis an audis eidem maledicentem, *nunquam ex te fructus nascatur?* An cernis hominem hortulanum toto triennio lętificantem, circumlinientem & expectantem ficulneam, & postquam oleum & operam perdidisset decernentem, *succidite arborem, vt quid enim occupat terram?* An audis Iudam Apostolū, quosdam abominantem; *Arbores,* inquit, *autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ?*

Et Hest. 6. Noster Assuerus summopere deliciatur, *ingredi in hortum arboribus fructiferis consitum*, & ex eis fructus honoris & honestatis colligere. Noster Imperator cum in loco spacioso statuit pedes nostros, iussit perenni edicto: *Non succides arbores fructiferas, sed steriles* tantummodo. Noster *Deut. 20.* conditor hoc primum sanxit. *Producat,* inquit, *terra herbam fani semen seminantis secundum genus suum, & secundum similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum, cuius semen est in ipso secundum similitudinem super terram.* Monebat exinde Origenes. Et nos ergo, *inquit*, ita debemus & fructificare fructum, & semina habere in nobis ipsis, id est omnium bonorum operum, omniumque virtutum semina in corde nostro continere; vt hæc habentes fixa in mētibus nostris, ex ipsis iam omnes actus qui incurrerint nobis, secundum iustitiam geramus. Isti enim sunt seminis illius fructus, actus nostri qui ex bonis cordi nostri thesauris proferuntur.

Talis fidei arbor oportet vt sit, si etiam nos cum sponsa optamus vocare exspatiantem in Paradiso voluptatis Iesum, & dicere, *descendat dilectus meus in hortum suum:* videat & colligat *poma noua & vetera.* Sin secus; si fides nostra vel in semine tantummodo, vel in foliata lingua iactabitur, varijs criminibus deformata, miseros nos si credimus illam Deo placere. Præclare Moyses Abbas apud Nicephorum, fidem quæ non est exculta bonis operibus in Lucio Alexandrino suggillat. Factum narro. *Moyses abb. fidem ex oculis quærit.*

Mauuia Saracenorum regina, inter pacis conditiones, quas Valenti Imperatori proponebat, postulauit vt Moses qui tum in vicina solitudine philosophice degebat Episcopus, ditioni suæ populorum consecraretur: vir virtute, & vitæ sanctioris seueritate prodigijsque & signis multis illustris. Quod vbi ita fieri debere Imperator eis significauit, quibus ea imperij pars curanda commissa fuerat, Moses assumptus, & ad Lucium qui eo tempore Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatum administrabat, vt ab eo consecraretur, adductus est. Ibi ille ad eum palam & libere in præsentia omnium; *Abstine te* (inquit,) *indignus enim sum, qui nomen & honorem Episcopi obtineam. At si nutu suo* *Lib. 11. c. 46.*

mo

me ea dignitate dignatur Deus, testem illum facio, nunquam te manus mihi impositurum esse, quas cruore & tabe Sanctorum virorũ conspurcasti. Lucius, *non recte illum facere*, dixit, *qui prius fidem eius quam cognouisset, reijceret.* Quod si calumnia alicuius detatoris ea verba ille protulisset, iudicẽ eũ esse voluit, & vt res suas audiret, hortatus est. Moses autẽ. *At qui fidem tuam*, ait, *liquido satis ostendit, Episcoporum & Presbyterorum exilium, & illi præterea qui in metallis acerbissimam degunt vitam. An tu vero illas Christiani notas esse putas quæ à Christo & ab hominibus recte de Deo sentientibus prorsus sunt alienissimæ? Ego vero de fide, non auribus, sed oculis credo, & opera non verba requiro.* Ad eũ quidem modum Moses Lucium non fidelem coarguit fuisse.

Ad eundem modum, & Deus in iudicio fidem credentium examinabit. Manus aspiciet ramosas; quæ si fructibus bonorum operum refertæ, nos beatos: si vero criminibus multis degrauatæ, nos infelices.

Satagite itaque, vt in arborem firmis radicibus constantiæ nixam, & cogitationibus spiritualibus in cœlum erectam, tũ deinde floribus & fructibus virtutum onustatam crescamus, in sæcula. Amen.

CONCIO III.

Simile est regnũ cœlorum fermento. quod, &c. Matth. 13. cap.

Gratiæ necessitas.

VULGATUM satis in sacra scriptura est somnium Pistoris Ægyptij. Coniectus in carcerem à Pharaone, somnio se vidit habere tria canistra farinæ super caput suum, in quorum vno excelso portaret omnes cibos qui fierent manu pistorum, auesque comedere ex eo. Visum retulit ad Iosephum concarceralem, qui ita interpretatus est. Tria canistra tres dies designare, post quos, Pharao damnatum infelicem suspenderet, volucribusq; extinctũ exponeret. Si ad mystologiã aspiciamus; fors in tribus illis vasis farinæ, non erat mixtura fermenti gratiæ, ideoque panes humanorum operum, manu humana facti, non placent Summo Monarchæ. Ita plane. Namque opus humanum quamuis iudicio humano magnum videatur, si tamen fermento Diuinæ gratiæ non est conditum, neque magnum, neque Deo placens reputatur. Ideo Cœlestis sophia, vt illud augeret & sapidaret fermento gratiæ præuenientis atque adiuuantis illud temperauit, quod in tribus vasis animæ, tanquam in tribus canistris abscondit. De huius fermenti gratiæ necessitate mihi hodiernus sermo. Vos attendite attenti.

Quod est fermentum farinæ, hoc gratia, humanæ operationi. Feruet à fermento farina, & augetur, & sapidatur. Vnde fermentum à feruore quem excitat in farina, agnominatur: sic etiam & voluntas boni operis præstites, à Diuina gratia feruet, seipsa fit grandior, & sapida gustui Diuino. Feruet imprimis. Nam ipsa in se friget, ad Cœleste munus: ita vt neque velle, neque cogitare possit aliquid boni à se tanquam à se. Quod si incalescit ad amorem cœlestium, non nisi ab hoc feruido condimento gratiæ Diuinæ incalescit, quæ simul ac animam penetrauit, mirum est quam feruentes radios, & tullios spirituum accendit in voluntate nostra. Miramur omnes Apostolum illum antea frigidum, vt ad prunas calefaciens se, ad illius ancillulæ vocem totus obriguerit, quomodo postea tanto igne arsit, vt gaudium putarit pro nomine Iesu cõtumeliam pati? Vnde illi tam ardens voluntas? A gratiæ Diuinæ feruida conditura. Coapostolus eis Paulus, spectaculum factus vniuerso supero & infero Orbi? Vnde? A Diuinæ gratiæ temperatura, *quæ defusa est*, inquit, *in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

In Comagenes vrbe Samosatis stagnũ esse, *tradidit Plinius*, emittens limũ (maltham vocant) flagrantem, cũ quid attigit solidi adhæret: præterea tactus sequitur fugiẽtes, sic defendere muros oppugnante Lucullo, flagrabatq; miles armis suis, quæ limo inuoluto sequaci. A quis etiam

Gratia effectus.

1. *Accedit voluntatẽ.*

Symbolum gratiæ, Maltha.

etiam accenditur, terra tantum restingui docuere experimenta. Referet nobis, gratiæ Diuinæ fermentum ista Maltha. Hoc enim si quem capacem tetigerit; fit etiã adamantino corde quod nullis ignibus humanis cedit; illico adhæret, sequitur, & perurit, hominem in armis suis, quoque magis aqua tribulationum perpluitur, magis accenditur, nescia à persecutionis Oceano charitate extingui; quæ non nisi à terrea cogitatione obruitur. Auditis illam quomodo flagrat; *Lampades*, inquit, *eius lampades ignis, aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quantum putas ardent Sancti, qui ne ardores quidem flammarum quibus perusti, persenserunt? Quid memorem Eustachium sub Traiano Imperatore æneo boue crematum? Quid martyres in viui comburiam calcis fornacem coniectos cantantes, qui *Massæ candida* nomen ridentes relinquerunt? Quid illos sub Nerone in modum funalium sebo & ceris, & multa alia pinguedine oblitos instar cereorum accensos? Quam ardẽtes? Quam flammantes illi? Quam ardẽtes? Ridemus Scæuolas Romanos, qui ignem contempserunt. Quid enim magnum est, tantillo tempore manum foculo imposuisse? Perstiterunt vsque ad mortem plurimi ex nostris; nec viri tantum, sed & fœminæ, sed & pueri atque puellæ, flammarum ardorem per ardores charitatis despuentes.

Martyrũ ardor.

Libet nunc Procopium sub Diocletiano, tanquam sub illo Porsenna constantissime manus sibi aduri lento igne perferentem adducere. Is enim cum à Tyranno Dijs immolare cogeretur, nolletq; parere, iubet Tyrannus afferri aram, & super eam extendi dexteram martyris ardẽtibus repletam carbonibus, eis thure imposito, vt si in manu dolorẽ sentiens thus in aram immisisset, statim reputaretur, vt qui Dijs sacrificauerit. Atque ara quidem erat posita, extenta autem manus martyris: thus autem simul cum igne parabatur, & natura seipsam abnegauerat. Nam vrebatur quidem manus longo tempore, & ignis operabatur; mens autem quę eum confirmauerat, tenebat immobilem. Quicunque aderat, obstupescebat, error labefactabatur, pietas confirmabatur, Christus glorificabatur, & diabolus pudore afficiebatur.

Libet huic adiungere Polycarpum Ioannis discipulum, qui cum studio Græcorum ac Iudæorum quoq;, sub Antonino incendio fuisset adiudicatus, non solum nõ expauit hoc genus mortis, verũ quo facilius indicaret carnem incendium superaturam absque vllo præstigio, toto corpore nudatus in ignem est missus, & nec adurebatur. Etenim ignis, fornicis seu cameræ speciem præbuit, qui quasi velum nauigij vento inflatũ corpus omne martyris circumdedit: præterea vero, & odor suauis ceu thuris, alteriusue pretiosi aromatis flagrantis ad circumstantes est perlatus, cum in igne extingueretur, nec tamen adureretur. Adderem illos septem pueros Machabæos ex veteri exemplo; adijcerem Christinam, Agnetem, & alios innumerabiles ex nouo, nisi clarum esset, hoc feruentissimum Diuinæ gratiæ fermentum, massę voluntatis inditum, ita illam calfacere, vt eius ignes sint velut inferiores ignes, qui nullo cocytho, nulla stygia palude extinguuntur.

Fermentum auget incremento suo farinam, cui permiscetur: auget & gratia Diuina magnitudinem & pondus actionis humanæ. Opus humanum, vt ab humana manu factum, quanti est ante Deũ? Ne hili quidem. Scio quosdam pronunciasse, iustitias suas esse velut pannũ menstruatæ. Scio Paulum euulgasse passiones huius temporis, non esse condignas ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Scio alios Iobo inculcasse. Quid prodest Deo, si iustus fueris? aut quid nocebit, si iniustus? Isaias quoque decernit, omnes nos vna cum omnib. ex nobis vt ex nobis facinoribus præclaris, esse tanquã *stillicidium de situla.* Quæ enim finiti ad infinitum proportio? quæ eorũ quæ nullius pretij, ad inęstimabilia bona comparatio? arenæ ad aurum? vitri ad margaritum? puluisculi ad thesaurum?

2. Auget operis pondus.

Est tamen permaxima æqualitas, ex adiecti-

adiectitia massa gratiæ Diuinæ, vt panis quem ex gratia donas Christo, aquæ gutta qua reficis Christum, puluisculus farinæ quo recreas Christum, calix frigidæ qua abluis peregrinum, arena domus quam apud te calcat pauper, in summa quicquid ex gratiæ adiuncto operaris propter Christum, Christum tibi debitorem faciat, cœlum tibi aperiat, & thesauris inæstimabilibus te diuitet, propter aucturam gratiæ Diuinæ.

Et fermentum quidem (*vt aduertit Chrysostomus*) magnam farinæ copiam in vires suas quamuis modicum sit conuertit: Sic & gratiæ portio animæ nostræ communicata, cum nos *Diuinæ consortes* fecerit *naturæ*, inæstimabilis quoque pretij opera in nobis perficit.

Audiamus Christum, & Paulum, valorem rebus non nisi de gratiæ participio assignãtem. Paulus quidem ait, *Si distribuero in cibos pauperum omnem facultatem meam, charitatem autem*, quæ gratiæ primafilia est, *nõ habuero, nihil mihi prodest.* Christus autem non de tota substantia, sed de cratere aquæ frigidæ pronunciat, *Si quis calicem aquæ frigidæ dederit Prophetæ in nomine meo, mercedem Prophetæ accipiet.* Ecce clarum est, totius possessionis auri, & argenti distributionem ne pili æstimari sine gratia; calicem vero modicum frigidæ regno cœlorum rependi, ex gratia. Hæc enim est quæ & ad opus inflammat frigẽtem voluntatem, & ipsum denique opus quale quale fuerit à voluntate cum gratia exhibitum, Diuino syclo cæleſtis sanctuarij expendit.

Midæ symbolum. Græcorum fabulæ ferunt regem quẽdam, *teste Ambrosio*, qui quicquid tangebat, aurum fiebat, sed etiam ipsa conuiuia feralia. Nam & ipsa mantilia digitis apprehensa riguerant, & cibus in ore crepitabat; ferens non alimenta sed vulnera, & in gutture potus hærebat, nec penetrare facilis, nec redire, eo quod in aurum, à contactu vertebatur. Fuerit non fuerit in re quod narratur, non examino; istud vero firmissime adsero; quia omnis quicunq; Diuinæ insertus est naturæ, per gratiæ fermentationem, quicquid boni vel leuidensis operis patrauerit, auro cœlesti resplendescit. Tundis pectus cum Publicano? descendis iustificatus in domum tuam.

Lachrymam influis in pedes Christi cum Magdalena? remittuntur tibi peccata tua. Clamas cum latrone, *Domine memento mei?* Audies, *Hodie mecum eris in paradiso*, Rete putridum dimittis cum Apostolis? Beatus es cui dicitur. Sedebitis super sedes duodecim, & centuplum accipietis. Quid vilius tonsione? quid lacryma aridius? quid verbulo fugacius? Qui tamen in gratia Diuina existens, aliquid eorum dixerit, fecerit, effuderit, Cælo se dignũ fecerit. *Diligentibus siquidẽ Deũ* vt Paulus docet, *omnia cooperantur in bonũ.* *Rom. 8.*

Gratum Dei opus facit. Fermentum farinæ immixtum, totam massam fermentat, & saporat: sic & gratia Diuina cum se alicui admiscuerit voluntati, opera eius Deo grata reddit. Ideoque & gratia gratum faciens à Theologis nuncupatur, quod nos Deo gratificet. Iactent alij quod linguis loquantur nouis, quod serpentes tollant, quod dæmonia eijciant, quodque mortuos ad vitam reuocent: nihil tamen eorum quæ à gratia gratis data ab eis proficiscuntur, illos magnos aut Deo charos reddit, prçterquam illæ quæ à gratia gratos facientes sunt virtutes.

Viros Sanctos, *ita Chrysostomus demõstrat*, magnos effecit verus ac nõ simulatus gloriæ atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam sæcularium harum rerum omnino curam habebant.

Nam nisi hoc habuissent, si passionibus velut nos seruissent, etiam si de morte innumeros homines suscitassent, non solum nihil vtilitatis fecissent, verum seductorum nomen non effugissent.

Viuendi enim disciplina est, quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim signum Ioannes fecit, quo *inter natos mulierum nemo maior?* Vnde iste nouus & ille antiquus Helias mirabilis, & Deo charus? Nonne ab astricto viuendi cultu? Iob autem illum quibus signis diabolus admiratus est fuisse Deo charum? Certe signo quidem nullo:

vitæ autem miraculi disciplina, & robore animi excelso atque inuicto. Quæ signa Dauid adhuc adolescens effecit, vt Deus diceret, *Inueni Dauid filium Iesse, virum secũdum cor meum?* Abraham porro, Isaac, & Iacob quos mortuos suscitarunt? quẽ leprosum emundarunt? Ipse autem Dominus quando leges discipulis ferebat, quid eis præcipiebat? Non certe vt signa facerent, sed vt facerent voluntatem Patris sui qui in cælis est. *Luceat* inquit, *lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrẽ vestrum qui in cœlis est.* Petro quoque non dixit, *si me amas,* signa operare, sed *pasce oues meas.* Ipsum deinde cum Iacobo, & Ioanne cæteris Apostolis gratiores habebat, atque illis alijs proponebat, non propter signa: nam ab omnibus certe pariter leprosi mundabantur, mortui suscitabantur, dæmones expellebantur, omnibus enim æqualiter fuit concessa potestas. Sed propter quid? propter vitam omni genere virtutum, inter alios à gratia magis excultam. Nam in Ioanne castitatis flores, in Iacobo puritatis fructus, in Petro vero laureæ ardoris spectabantur.

Quid igitur magis optatis? Miraculis clarescere? gloriari? an forte condemnari? An vero operibus gratos esse? magnificari? & sine dubio glorificari? Væcordem neminem ex vobis ego existimauerim, qui cupiat cum Iscarioth miracula perpetrante in altum sustolli, quam cum Publicano, cum Magdalena, cumque latrone virtutibus à gratia gratum faciente, de puluere ad cœlum eleuari, & post fella amara gustare dulcia mella, à mellea suauitate, quæ Deo à Dei gratia in nostris cordibus diffussa placet. Proinde vos monuerim, vt huic nostræ triplici mensuræ, & farinam operationis imposuerimus, & fermentationem Diuinificam impetrauerimus.

Turãnius operosus. Senec. de breuit. vit. c. 20. Ad opus impellat vel ipsorum Ethnicorum non desidiosa vita, sed ad virtutis exercitationẽ composita. Præterire quod mihi occurrit exemplum non possum. Turannius fuit exactæ diligentiæ senex; qui post annum nonagesimum cum vacationem à C. Cæsare accepisset, componi se lecto, & velut exanimem à circumstante familia plangi iussit. Lugebat domus otium Domini senis, nec finiuit ante tristitiam quam labor illi suus restitutus est. Hem senex semianimis? pro perituro lucello, vacationem, mortem existimat? Quid nos robusti? pro non interitura gloria? sed--- Opto vt nos omnes dies vltimus, molentes hanc sanitatis farinam inueniat.

Cæterũ quia *duæ erant molentes*, quarum *vna assumitur, altera vero relinquitur*, vt est in Euangelio: opto vt farinam hanc & *cibum* istum *qui non perit* operantes, assumamur ad gloriam, nõ ad opprobrium. Fiet si huic nostræ farinæ, fermentatio se admiscuerit Diuinæ gratiæ gratũ faciẽtis. Misceas ô Diuina Sophia *vinum* tuum *cum lacte* nostro; tuum fermẽtum cum furfure nostro. Amen. Amen.

DOMINICA SEPTVAgesimæ.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane, &c. Matt. 20.

CONCIO I.

Prædestinatio sitne propter merita præuisa.

POSTQVAM Deus hominem plasmasset, noluit illum esse desidem, sed in paradiso posuit, *vt operaretur & custodiret illum.* Sic etiam cum plasmatum reformasset, noluit esse otiosum, sed vocauit otiantem ad vineam suam, vt lucraretur denarium diurnum. Feceritne istud ex mera sua beneuolentia, an vero propter aliqua opera præuisa? necessario inquirendum mihi est die hodierna.

In templi Salomonis parietibus, vidit Ezechiel Propheta, *intrinsecus & extrinsecus ad mensuram fabrefacta Cherubin & palmas inter Cherub. & Cherub. duas autem facies habebat Cherub faciem hominis iuxta palmam ex hac parte, & faciem leonis* *Bifrons Deus quid.*

tis iuxta palmam ex alia parte. Bifronte isto Cherubo, si recte conijcio, non alium adumbrauit quam Deum felicitatis æternæ auctorem, quam significat Palma. Nam quod frequenter appareret in specie Cherubini, recte veteres depingebant Deum, specie Cherubica vmbratũ. Deus noster ascendens super Cherubinos, bino aspectu respicit felicitatem nostram, scilicet *misericordiæ*, quã humanus vultus, & *iustitiæ*, quam leonina facies designat. Et hoc præloquio facile est respondere quæstioni propositæ, sitne prædestinatio propter merita præuisa? Aio namque. Si vocationem & gradus iustificationis attendis, propter nulla opera, sed ex ipsa Dei benignitate. Si autem glorificationẽ requiris? propter multa opera, quæ ex iustitia remunerat.

Frons Dei quid.

Sed Angelici Doctoris doctrinã præmitto. *Prædestinationis*, inquit, *effectum bifariam possumus cõsiderare. Vno modo in particulari, & sic nihil prohibet, aliquem effectum prædestinationis esse causam & rationem alterius. Posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis,* vt seruare mandata Dei propter vitam æternam, *priorem vero posterioris, secundum rationẽ causæ meritoriæ*, quemadmodum Paulus inquit. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex, vel: *Sicut si dicamus quod Deus præordinauit se daturum alicui gloriã ex meritis & quod præordinauit se daturum alicui gratiam, vt mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi, & sic impossibile est, quod totus effectus prædestinationis in communi habeat, aliquam causam ex parte nostri. Quia quicquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprahenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit nisi per auxilium Diuinæ gratiæ, secundum illud Prophetæ, conuerte nos Domine ad te, & cõuertemur.* Hinc habeo; quia vocationem & iustificationem nostram Deus respicit benignitatis vultu; merita autem coronat ex iustitiæ throno. Sed hæc altius deduco, ab illis gradibus Paulinis quos recenset. Quos, *inquit, prædestinauit, hos & vocauit: quos autem vocauit illos & iustificauit: quos autẽ iustificauit, illos & glorificauit* Quatuor res habeo circa æconomiã salutis nostræ, 1. prædestinationem, 2. vocationem. 3. iustificationem & magnificationem vltimo expecto.

Vocationem ad gratiam, præuenit electio Diuina, secundum quam, vt docet Paulus, *elegit nos Deus ante mundi constitutionem.* Hanc decerno esse, non propter aliqua merita, sed ex Dei beneuolentia. Non enim dicit Paulus, nos fuisse electos quia fuissemus Sancti & immaculati. Quomodo enim Sancti, si necdum nati? sed vt subiungit, *vt essemus Sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*, & alibi idem Doctor cœlestis asserit, quia Deus *prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ & gratiæ suæ, in qua adoptauit nos in dilecto filio suo. In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia & prudentia, vt notum faceret nobis Sacramentũ voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius quod proposuit in eo. in dispensatione plenitudinis temporũ instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terris sunt. In quo etiam nos vocati sumus, prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Vbi cum lego prædestinationem & electionẽ æternam esse *secundum propositum voluntatis* Diuinæ, & *secundum diuitias gratiæ* eius, & *secundum beneplacitum quod proposuit in Christo*, & secundum *superabundantiam sapientiæ* Dei, adoro benignitatem ipsius, nec aliqua aut merita, aut assensum liberi arbitrij prguisum obtrudo prędestinationi electorum. Quod enim aliquis eligitur, propter beneplacitum voluntatis eligentis, non eligitur propter electi dignitatem. Bene adnotabat Augustinus. Si electio, *inquit*, vllis bonis meritis datur, iam nõ gratis donatur, sed debita redditur, ac per hoc non vero nomine gratię nuncupatur, vbi *merces*, sicut

Ephes. 1.

1. prædestinationis electio ex gratia.

De patien. cap. 20.

 dicit

Rom.4. dicit Apostolus, *non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Si autem vt vera sit gratia id est gratuita, nihil inuenit in homine, cur merito debeatur? Quod bene intelligitur in hoc quod dictũ est in Psalmo. *Pro nihilo saluos facies illos.* Itaq; profecto ipsa gratia dat merita, non meritis datur. Quid boni fecerat Iacob vt eligeretur? Nihil namque *cum adhuc nati non fuissent, nec quippiam boni aut mali fecissent, ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quid boni Israelitæ fecerãt; vt eligerẽtur? Nihil. Sed *per electionem*, ait Paulus, *gratia, reliquia Israëlis salua facta sunt.* Quid dignum gratia fecerant Apostoli, vt à Christo eligerentur? Nihil. *Ego vos*, ait Saluator, *de mundo elegi*, quibus antea dixerat, *de mũdo non estis*, ne putarent se nunquam fuisse de mundo, mox addidit, *sed ego vos de mundo elegi*, profecto vt de mundo non essent, ab ipso eorum electore collatum est. Quamobrem si per suam iustitiam, non per gratiam eius dona elargirentur, non *de mundo* electi fuissent, quoniam de mundo iam non essent, si iam iusti essent. Deinde, si propterea sunt electi, quia iam iusti erant, ipsi priores iam Dominum elegerant. Quis enim potest esse iustus, nisi eligendo iustitiam? *Finis autem legis Christus est, ad iustitiam omni credenti, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustificatio, & iustitia.* Demum quid boni Paulus, adhuc Saulus cogitabat? An non potius magna mala, quando *spirans cædes* ad exterminandos fideles, horrenda mentis cæcitate ac furore properabat? Quid insuper otiosi in foro meruerunt, vt in culturam vineæ eligerẽtur? Quid est, *quærit Augustinus*, quod nos prædestinatos, & electos discernit? Si dixerit homo; fides mea, voluntas mea, bonum opus meũ, respondebitur ei. *Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris, quasi non acceperis?* Electio igitur prædestinatorum, solius Dei misericordiæ opus est.

Rom.11.

Ioan.15.

Epistola 106.

2. Vocatio ex gratia.

Prædestinationem sequitur vocatio, quam Dei miserentis opus esse, vocatio operariorum vel sola ostendit. Hi enim cum nihil boni fecissent, imo otiosi in foro perstitissẽt, à Deo benigno vocati sunt *vt ostenderet*, ait Paulus, *diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit nos, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam, & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam, & erit in loco, vbi dictum est eis: non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.* Ad illam cœnam, *vt dicebat Augustinus*, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, neque illi qui venerunt venire possent, nisi vocarẽtur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt; nec illi qui voluerunt venire, debent alteri attribuere, sed tantum sibi, qui vt venirent vocati, erãt in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum, voluntatem operatur. Propterea & si quisque sibi tribuit, quod veniat vocatus, non sibi potest tribuere, quod vocatus est. Qui aut vocatus non venit, sicut non habuit meritũ præmij vt vocaretur, sic inchoat meritũ supplicij, cum vocatus venire neglexit. Ita erunt duo illa, *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Ad misericordiam pertinet vocatio, ad iudiciũ pertinet beatitudo eorum qui venerũt vocati, & supplicium eorum qui venire noluerunt. Vocatio igitur, nõ propter merita aliqua, sed ex misericordia Diuina procedit. Quod enim nos de morte ad vitam vocauit, de tenebris ad lucem reduxit, & de captiuitate redemit, gratis & nõ nisi propter nomen suum fecit, prout Dauid orabat. *Et redime nos propter nomen tuum*, id est, gratis, propter nomen tuum, nõ propter meritum meum, quia tu dignatus es facere, non quia ego fui dignus vt faceres.

Rom.9.

Libro 83. qq.68.q.

Iam tertio sequitur iustificatio, quę etiam ipsa opus est misericordię Dei: Namque omnia, ex quibus constat sunt dona misericordiæ Dei. Postquam enim Deus aliquem ad participium gratiæ suæ aduocare disposuit, primo intellectum luce fidei collustrat, qua peruideat, & statum pecca-

3. Iustificatio ex gratia.

peccati, & pulcherrimæ felicitatis auctorem Deum. Mox in animo spem generat, charitatem accendit, mentẽ ad assensum excitat, dolorem præteritorum insinuat, propositum nouæ conuersationis suadet, ac hominem in nouam transformatum creaturam, reddit conformem imagini filij sui: hæc autem omnia facit per gratiam. Testatur hoc idem Paulus dicens, *Gratia Dei saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur.* Aduertit Augustinus. Non quia opera bona, *inquit*, ista pia cogitatione frustrantur, cum Deus reddat vnicuique secundum opera eius, sitque *gloria & honor & pax omni operanti bonum*, sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia. quoniam *fides quæ per dilectionem operatur*, nihil operaretur nisi *charitas Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Voluit dicere S. Augustinus.

Ephes. 2.

Epist. 106.

Nam consensus ex gratia.

Equidem verum est, quod detestatio peccati, dolores & lachrymæ, propositum vlterius non peccandi, atque indumentum noui hominis, iustificant hominem; Sed vt iustificent, non habent ex se, sed ex gratia Dei, qui per dilectionem infusam dedit vt iustificarent. Placuit Deo remittere Dauidi scelera, quia lachrymis potum temperabat, & cinerem tanquam panem manducabat: Sed vt tanto amarore sese discruciaret, non à Dauide sese à se, sed à Deo per Nathan Prophetam excitante Dauidem, in Dauide fuit.

Placuit Deo, prodigum illum ad se recipere, quia dixit, *Surgã & ibo ad Patrem meum?* Sed quia cogitauit & dixit, non à se, sed à Deo inspirante cogitauit & dixit. Placuit Deo, Magdalenam à septem dæmonijs insessam eripere, quia multum dilexit? Sed quod dilexit, non à se, sed à Spiritu sancto per quem charitas in cordibus diffunditur, dilexit. *Non enim sumus sufficientes, aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui in nobis velle & perficere operatur, pro bona voluntate.* Quamobrem alibi docebat Augustinus. Non est, *inquit*, in nostra potestate cor nostrum & cogitationes nostræ, quæ improuiso offensæ, mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu proposueris, ad sæcularia reuocant, mundana inculcant, ingerunt voluptuaria, illecebrosa intexunt, ipsoq; in tempore quo eleuare mẽtem paramus, impliciti inanibus cogitationibus, ad terrena plerumque deijciuntur. Non igitur est in hominum potestate, sed in Dei virtute, vt habeant homines *Potestatem filios Dei fieri.* Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeant fidem quæ per dilectionem operatur, ad quod bonum recipiendum & retinendum, & in eo perseueranter vsque in finem proficiendum, non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, in cuius potestate est cor nostrum & cogitationes nostræ.

De bono persever. cap. 8.

Omnia quæ ad iustificationem necessaria ex gratia.

Porro si ista nouis Pelagianis non sufficiunt, audiant vel Deum ipsum; vel Diuinos viros in scripturis loquentes, qui hæc omnia ad Dei gratiam referunt. Audiant quod Deus dicit; *Dabo eis cor cognoscendi me, & aures audientes:* &, *Dabo eis cor aliud & spiritum nouum.* Audiant & illud, *Spiritum meum dabo vobis, & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.* Audiant Prophetam confitentem. *A Domino diriguntur gressus viri, mortalis autem quomodo intelliget vias suas?* Audiant sapientem decernentem. *Omnis vir videtur sibimetipsi iustus, dirigit autem corda Dominus.* Audiant Dauidem orantem, *Cor mũdũ crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Audiant & Euangelistam referentem, *Crediderunt autem quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Audiant & Paulum prædicantem, *Deus operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate.* Parum est velle, nisi Deus misereatur. Sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit; nam in terra pax est hominibus bonæ voluntatis. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, siue intus vbi nullus hominum videt, siue extra per sermonem sonantem,

aut per aliqua vel signa, vel flagra visibilia, efficitur, vt etiam ipsum velle, Deus operetur in nobis, qui *omnia in omnibus operatur.*

4. Glorificatio propter merita. Extremum est in prædestinatione denarius seu palma felicitatis æternæ, de quibus exploratum est, quia dantur propter multos exantlatos labores, ex iustitia. Notum est quod hodie audiuistis; quod, cum sero factum esset dixit Dominus vineæ procuratori. *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos.* Mercedem enim nũcupat, non donatiuum, quam ex conuentione benignitatis meruerunt. Enimuero, licet Deus nemini quicquam debeat, quia nihil à quoquam aut accepit, aut accipit; licet etiam & illud verum sit, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis; tamen quia placuit illi conuenire & pacisci nobiscum ex denario diurno, placet quoque ei non iam donare, sed reddere eundem. Ita vt Paulus possit iure suo exigere. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.* Nec ipse tantum, sed & quilibet, quem vocauit in partem sortis Sanctorum, & cui dedit potestatem esse filium Dei, potest compellare. *Feci quod iussisti? Da quod promisisti.* Vocante atque volente & cooperante te in tua vinea laboraui. Da quod semel dare decreuisti? Reddit sine fraude, imo etiam superaddit, quia quod propter eminentiam non par erat, homini pro tantillo labore cõcedere, vt par & iustum esset, ex conuentione fecit. Cum autem fidelis sit in omnibus verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, *non est*, vt Paulus ait, *iniustus, vt obliuiscatur operis cooperariorum suorum, & dilectionis, quam ostendunt in nomine ipsius.*

Denarius in tubere repertus. Plinius inter fortuita refert, cuidam Licinio tubera comedenti, in vno tubere morso denarium inuentum fuisse. Illud inter fortuita numerandum, istud vero inter ordinaria accensendum; vnumquẽque virtutis operam suam in hac vinea collocantem, statim denarium diurnum in ipsa opera accipere. Narrabo aliquod istius exemplum.

Vrsini presbyteri visio. Vrsinus Nursiæ præsbyter castus ac sanctus, dum animam ageret, lætus exclamauit, gratias agens ijs quos ad se venisse solus cernebat. Et quærentibus qui ei assidebant, qui essent illi quorum aduentu tantopere gauderet? *Nunquid non videtis*, inquit; *Petrum & Paulum Apostolos?* hic adesse & euocare me? Mox ad eos quos ipse tamen videbat conuersus, dum repeteret; *Venio, venio, ecce venio:* cum ijsdem abiens corpus exanime reliquit. O felix animula, quæ nec mortis dolorem sensit: dum conspectu sanctorum lætatur: nec de futura salute dubitauit, dum à Sanctis, vt secum veniret inuitatur.

Cum igitur vitæ æternæ denarius & palma felicitatis ex meritis contingat, electio vero, vocatio & iustificatio ex gratia, vos qui vocati estis tam ad cultum vineæ animarum vestrarum, atque ad sublimitatem virtutis tam præclara facinora operantis, vos iam *genus electum, gens Sancta, populus acquisitionis, gratias agite Deo, qui vos de tenebris vocauit in admirabile, lumen suum.* Porro *abundate* quoque *in omni opere bono, scientes quod labor vester non erit inanis in Domino. Nolite amittere confidentiam, quæ magnam habet remunerationem.* Licet enim, *id quod est in præsenti, momentaneum & leue sit* opus, *supra modum* tamen, *in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, & nobis. Quem iusti ponderis denarium, & exoptatæ felicitatis palmam, nobis in tua vinea, te cooperante laborantibus præstare digneris, oramus Diuinissime cælestis templi Instaurator, qui viuis in sæcula sempiterna.

Amen.



CON-

CONCIO II.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. &c.

De necessitate bonorum operum apud Christianos.

SPONSA illa Diuina, dum beneficia quæ in pignus ardentissimi amoris à sponso acceperat, recenseret, & illud esse hominis fatetur. *Introduxit me*, ait, *Rex in cellam vinariam.* Per *cellam vinariam* intelligit secretam illam secessionem, in qua ex Botro Cypri dilecto latice expresso, inebriat omnes ab vbertate domus Dei. Ad eandem suauitatis reconditę cellam promam, cur non primo introducit hodie vocatos, sed mittit illos ad vineã? ad opus laboriosum? ad pondus & æstum diei ferendum? An forte vt ostenderet necessitatem bonorum operum, his qui cupiunt introduci ad *cellam vinariam* felicitatis perennis? Ita plane: quod hodierna die demonstrare contendo.

Bacchi imago docet, non prius esse deliciandum quã laborandum. Qui Bacchi imaginem vel fingebant vel pingebant, *dolio insidentem, hedera coronatum, laua thyrsum vel palmitem, dextra craterem tenentem, efformabant.* Adumbrabant bibonem, si pleno dolio insidere, & pleno cratere sitibunda labra proluere cuperet, debere palmitem quoque & pampinantem thyrsum, præuia manu excolere; nec ante culturam laboriosam, vindemiæ redundationẽ expectare. Nãque & de Noë scriptum est; *cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantauit vineam, bibensque vinum inebriatus est.* *Gen. 9.* Primum ergo vineam excoluit Noë agricola, deinde post vindemiauit botros eius atque vltimo à suaui propagine *inebriatus est.* Ideo itaque Paterfamilias non prius ad cellam promam, sed ad vineam otiosos introduxit, vt in ea sibi præpararent, ex quo in cœlesti cellario inebriarẽtur. Neque enim agricola in hyeme musto madebit, nisi prius vineam in æstate excoluerit: neque sponsa prius introducta fuit in cellam vinariam, quam exijsset *in agrum, vt videret si floruisset vinea:* neque aliquis cœlesti cratere inebriabitur, nisi prius in æstate præsentis vitæ, suos palmites spirituales fructiferos effecerit, atque ex eis vina suauitatis expresserit. Quis enim in Orbe sine operatione felix? Deus, Angeli, Orbes, & omnia quæ sub & in orbe, non nisi ab opere suam voluptatem fruuntur, necessarium quoque est vt & homo non ab otio, sed à laborioso negotio beatitudinem quærat.

Apud Ægyptios inuenio fuisse templum, *in cuius fornicatione rotunda, talis fenestra qualis in Pantheo Romano visitur, diam lucem admittens, & Cœlorum orbes repandens, ex tholo autem pensiles aliquot rota mirabiliter implexa imminebant, quibus singulis adligata sculptiles manus palmitibus onustæ.* *Ægyptiaci templi & orbium manuleatorũ typus docet operationes.* Innuebant nisi fallor, omnibus quotquot limina templi illius terebant, vt cum primum templum ingrederentur, mox per fornicem foratum, ad cœlos oculos attollerent, seq; ad cœlum natos & elatos esse recordarẽtur: deinde vt pensiles, manuleatasque rotas aspicientes, cogitarent sibi necessario esse, instar Cœlorum & virtutum cœlestium, veloci operationi, dies noctesq; insistendum, neque otio aut ignauia desidendum. Præclare ad nostram Theologiam. Nam & *manus* Deo sponsa assignat, *volubiles, aureas, plenas hyacinthis*; nimirum vt operosum illum designet, & Ezechiel in cœlo *vidit animalia pennata, manus habere sub pennis*, scilicet operationi destinatas: *Nam omnia in orbe ex opere felicia.* & secretiores Theologi, siue propter intelligentias Motrices, siue propter influxiones rerum genitrices, siue propter tres digitos quibus Deus continet omnia, orbibus cœlestibus manus affingunt; scio quia propter operationes mirabiles. Hæc enim omnia ideo felicitatem delibant, quia in operibus peruigilias ducunt. Porro etiam omnia quæ sub cælo sunt viuẽtia, ab operatione perpete suam quam gustant beatitatem habent. pisces natant, volucres volant, repunt serpentia, gradiũtur & laborant quadrupedia, alia aut sibi stru-

struunt, aut structas vitāt insidias, omnia tandem quæ à natura parente prognata sunt, non in torpore, sed in opere sibi proprio suam traducunt vitam, ita vt & formica omnium reptantium pusilla, non sit in otio, sed in tali labore, qui à sapiente propositus est nobis exemplar sequelæ cum monet, *Vade ad formicam ô piger, & disce ab ea quomodo in æstate congregat cibum.* Si itaque Deus principium & fons totius felicitatis ex actione ineffabili ducit iucundissimam vitam; Si beati spiritus suam beatitudinem statim à principio, per opus & pugnam adepti sunt; si omnia visibilia & nobis inuisa, ad certos destinata fines, illos nonnisi per motus siue internos siue externos assequuntur, nescio qua lege homo, se exemptum esse dicet, ab operatione virtutis: præsertim cum Salutis nostræ auctor Christus, ad opus Virtutis, & ipse exemplo præiuit, & præcepto nos adstrinxit, & præmio proritauit, & demum ab otio seueritate suppliciorum deterruit. Quatuor istas educo causas, necessitatis bonorum operum, ad felicitatem assequendam cœlestem.

1. Christus præiuit ad opus. Inprimis Legifer noster Christus viam sibi aperuit ad beatitudinem corporis, actione virtutis. Quod enim *exinaniuit semetipsum*, in forma serui suscepta, *factus obediens patri vsque ad mortem, exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen*, quod vero Deo patri agricolæ, & plantatori vineæ, multam operā nauauit, in cultu Ecclesiæ, dedit illi Pater *bibere de hoc genimine vitis* Soreth, *in regno cœlesti.* Post fella gustauit ille fauos, & post *torcular* quod *calcauit solus*, libauit *mustum granatorum* suorum & *vinum*, in empyrei vinaria *conditum*, vt hoc nimirum exemplo doceret, omnem hominem quicunque sitit dulcedinem felicitatis æternæ, non recuset laborem peregrinationis terrenæ. Et erit hic aliquis, qui fidem solam ad salutem sufficere iactabit? Saluator noster nonnisi per obedientiam, humilitatem, charitatem, atque aliarum virtutum exercitium gloriam corporis promeruit; & homo rebellione, superbia, Dei & hominis odio, atq; quouis alio flagitio contaminatus, sola fide ipsam apprehendet? Fallitur qui putat. Namque ideo dedit exemplum virtutis, vt sequamur vestigia eius.

Quinimo & præcepto suo ad virtutum culturam, omnes quotquot sunt astrinxit. Hoc enim est illud, quod iubet. *2. Christus præcepit opus.* *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis. Estote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est. Nisi abūdauerit iustitia vestra, plusquā scribarū & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, & glorificēt Patrem vestrum qui in cælis est. Hoc deinde est quod inhibitorijs præceptis inculcat. Non occides, non irasceris, non videbis alienam ad concupiscendam eam, non peierabis, sed nec omnino iurabis, nolite iudicare, & non indicabimini. Noli reddere malum pro malo.* Summam vitæ Christianæ breuiter cōplexus est Paulus, & si alibi, luculenter tamen; in ea quam scripsit ad Thessalonicenses. *Hæc est*, ait, *voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque vestrum, vas suum possidere in sanctificatione & honore. Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum. Ne quis malum pro malo reddat: sed quod bonum est sectamini, in inuicem & in omnes, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, spiritum nolite extinguere, omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete, hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus nobis.* *1. Thes. 4.* Quamobrem nomine Martyrum Carthaginensiū Tertullianus gloriatur, tali magisterio se imbutum à Christo cum alijs esse, & ex professione Christianitatis ad hæc opera obligari. *Christianæ professionis summa.* *Depositum*, inquit, *non abnegamus, Matrimonium nullius adulteramus, Pupillos pie tractamus, Indigentes refrigeramus, Nulli malum pro malo reddimus. Pro innocentia & probitate, pro iustitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo viuo cremamur, quod nec sacrilegi, nec hostes publici veri, nec tot maiestatis rei* *Lib. ad Scapul.*

pati

pati solent. Et vtique ex disciplina patientia Diuinæ, agere nos satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars pene maior Ciuitatis cuiusque in silentio & modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes, nec aliunde noscibiles, quam de emendatione vitiorum pristinorum. Hæc de mente Paulina, & ex disciplina Christianitatis, de innocentia & bonis operibus Christiano necessarijs, Tertullianus.

Christiana professionis tituli.

Sed non est à me omittendum illud, quod in Sacris litteris professio Christiana plurimis nominibus nuncupatur, quæ quidem ex innumeris sunt ista. Vinea, ager, negociatio, cursus, stadium, militia, crucis supplicium, Christi consectatio, atque hominis interioris renouatio. Itaque & nos ab hinc denominamur vinitores, agricolæ, negotiatores, cursores, agonothetæ, milites, crucis latores, Christi sectatores, & innouata creatura. Habemus in scriptura, *plantauit Deus vineam*? ecce vinea, Christiana professio intelligitur, quod autem *mi sit operarios in vineam*? iam nos vinitores agnosce. *Seminauit bonum semen in agro suo*? en Ecclesiæ ager, *mittentes autem semina sua*? iam nos agricolas cense. *Quærenti bonas margaritas*? negotiatorem vides, qui diuenditis omnibus inuentam vnam emit? iam negotiationem intellige. *Omnes qui in stadio currunt*, ait Paulus? istud est stadium Ecclesiæ: sic currite vt comprehendatis? iam te cursorem esse exploratum habes. *Militia est vita hominis super terram*? militiæ nomen conuenit professioni nostræ. *Labora vt bonus miles Christi*? iam te militiæ inauthoratum esse deprehendis. *Tollat Crucem suam & sequatur me*? ecce Crucis supplicium & Christi consectatio, qui non baiulat Crucem suam & sequitur me, non potest esse meus discipulus: iam te baiulum Crucis, Christique discipulum & audis & percipis. Innouamini in nouitate sensus vestri, deponentes veterem hominem, cum à Paulo dictum auscultas: renouationem vt aquilæ iuuẽtutis tuæ, & animatam ad Dei similitudinem reformationem, iniunctam fuisse intellige. Ab his titulis, quid nisi ad opus ex professionis formula impellimur? Quid enim à vinitore in vinea, vel ab agricola in agro expectamus, nisi laborẽ? Quid mercaturę officiũ, sine labore? Quid cursor in stadio, sine properandi festinatione? Quid miles sine pugnãdi fortitudine? Quid baiulus Christi Crucis, sine portandi tollerantia? Quid denique à Christi sectatore & discipulo? quid à renouatore vitæ prioris desideramus, nisi vt multo labore sudetur ab eo ad extergendas sordes, & ad consectandum Christum in nouitate mentis? Itaq; neque agricola, neque vinitor, neq; negotiator sine labore, ita neque Christianus. Vt cursori, agonothetæ, militi, opus est operatione, sic & Christiano. Vinitor, agricola, negotiator, Stadiodromus, pugil, miles, tunc facit satis professioni suæ, cum operi suo incumbit; sic & Christianus quando exercitio operis boni.

3. Christus remunerat opus.

Tertium est, quod Christus proposuit præmium, quo necessitatẽ imponit suis discipulis, operum bonorum. Semper enim & olim dicebat, & nunc quoque repetit. *Non me frustra inuocasti Iacob, neque mihi gratus seruiuisti Israël.* Porro nonnemini in Abramo pollicetur, *ero merces tua magna nimis.* Vinitoribus quidem iubet reddere denarium diurnum. Agricolas recreat promittens. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos*, quos Sol & Luna & mirantur & adorant. Porro negotiatores spirituales, alterum super decem, alterum super quinque vel duas Ciuitates in regno cœlesti perferens, iubet gaudere. *Euge serue bone & fidelis.* Stadiodromis coronam incorruptam decernit, plexam ex fasciculis sidereis. Agonothetis reponit calculum nouum, & in eo scriptum nomen quod nemo scit nisi qui accipit. Victoribus, manna, stellam matutinam, Regna & sceptra in Ciuitate supramundana. Si quis autem abnegauerit semetipsum, & Crucem suam tulerit; & Christum secutus fuerit, *vbi*, inquit,

inquit, *sum ego, illic & minister meus erit.* Cæterum ij qui se in nouum hominem conformauerunt, possunt cum Paulo sibi polliceri, *Saluatorem expectamus Dominũ Iesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Præclare Psaltes de illo canebat: *Domine, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerũt animam meam. Nunquid enim adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Quasi diceret. Multus quidem mihi dolor erat, tunc quando portaui pondus diei & æstus, quando lachrymis stratum rigaui, quando laui innocentes manus meas, quando odiui Ecclesiam malignantium, & quando sicut oliua fructificare cupiui in domo Dei: sed tamen longe maior est consolatio mihi præparata, quæ me lætificat, dum mihi dictum est, *in domum Domini ibimus.* Namque qui non sedet in sede iniquitatis, sed iustitia atque iudicium est correctio sedis eius, non potest defraudare operarium suum, cui solens est rependere præmium: immo quia bonus & suauis est rectis corde, *fingit laborem in præcepto,* quasi labor sit magnus, cum tamen sit & exiguus & non diuturnus, ad tam immensum & *æternum gloriæ pondus,* quod non tantum nos, quantum ipse *operatur in nobis.* Quæ enim videntur temporalia sunt, horis numerantur, & quandoque in momento exercentur: quę autem non videntur, æternum durant. Monebat *hic Augustinus.* Attendite, *inquit.* Quodammodo Deus proposuit venale regnum cœlorum. Dicis illi: *Quantum valet?* Pretium ipsius labor est, quomodo si diceret; pretium illius aurum est. Non sufficeret hoc solum dicere, sed quæreres; *Quantum aurum?* Nam si solidus aurum est, & semiuncia, & libra, & tale aliquid. Ideo dixit, pretium, ne laborares quærere, quamdiu huius pretij labor est. Quantus labor est? Iam quære tu, quantum laborandum sit. Nondum dicitur tibi, quantus labor iste futurus sit, vel quantum laboris de te exigatur: illud tibi dicit Deus, ego ostendam, quanta sit illa requies, tu iudica, quanto labore emenda sit. Dicat ergo Deus, quanti futura sit ipsa requies. Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hæc est, requies sempiterna. Sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit incorruptio. Vitam æternam habebis, requiem quæ non habet finem. Quanto labore digna est requies, quæ non habet finem? Si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore emitur. Verum hoc est, sed noli timere, misericors est Deus. Si enim haberes æternum laborem, nunquam peruenires ad æternam quietem. Semper laborans, quando peruenturus eras ad illud, quod digne quidem potest emi sempiterno labore? Quia sempiterna requies est, æque pretium. Sed vt aliquando peruenias ad id quod emis, non in æternum laborandũ est. Non quia non valet tanti, sed vt possideatur quod emitur. Certe sempiternus debuit esse labor pro requie sempiterna. Decies centena millia annorum quid valent? Illa habent finem: quod autem Deus promittit, non habet finem. Qualis misericordia Dei? Nec dicit, decies centena millia annorum labora, nõ dicit, vel mille annos labora. Non dicit, quingentos annos labora: cum viuis, labora, in paucis annis, horis, momentis. Vndecima venisti, vndecima labora, inde iam requies erit, & finem non habebit. Et adhuc audi consectanea, *Domine secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam,* & paucos annos laboras, & in ipsis laboribus non deest consolatio, non desunt gaudia quotidiana. Sed noli gaudere in sæculo; gaude in Christo, gaude in verbo eius, gaude in lege eius, quantas hic consolationes percipies? Verum est ergo quod dicit Apostolus. *Etenim quod ad præsens est, temporale est & leue tribulationis nostræ, sed iuxta incredibilem modum, & in incredibilem modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce quantum pretium damus, quodammodo vnam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos. Siliquam laboris ad requiem incredibilem: pondus

Expl. loc. Psal. 93.

diei

dici ad pondus gloriæ æternum, æstum momentaneum ad lætitiam sempiternã; sudorem horarium,ad affluẽtiam perennem, qua inebriat suos qui in hac vinea laborarunt. O quam volupe est Sanctis Dei ex hac vita decedentibus,cũ eis contingit percipere hunc liquorem? Narrabo de quadam. Thrasyla D. Gregorij Magni amita, in extremis agebat. Huic virgini animam agenti ipse Angelorum rex & Dominus Iesus Christus apparuit, & excedentẽ comitatus est. Primum autem ostenderat se illi Felix Pontifex, & perpetuæ lucis sedem ostenderat dicens: *veni*, inquit, *& fruere consessu hoc beato.* Mox ipsa febri affecta,& iam animam agens,vidit ad se venientem Iesum, & eis qui aderant,vt assurgerent,imperauit, eo quod aduenisset Dominus. Tum ad visionem quam sola cernebat, mentem oculosque dirigens expirauit:atque illico odor suauissimus nares omnium occupans,nemini dubium reliquit, quin vere ibi Dominus ipse affuerit. Quamobrem vos ô dilecti, in Christo vocati,ad hanc animæ culturam,oro frequenter dies noctesq; somnietis,tres quas pincerna Pharaonis in somnis aspexit & expressit propagines,fidei scilicet,spei & charitatis botros, aut operationes. Si exprimitis opere & veritate, sique thyrsigeri fueritis, & vos quoque introducet, in cellam promam suauitatis æternæ. Amen.

Thrasylla visio.

CONCIO III.

Exijt conducere operarios in vineam suam. Matth. 20. c.

De qualitate bonorum operum.

NOBILE responsum dedit vitis, alijs arboribus, rogantibus, vt eis imperaret. *Nunquid possum*, inquit, *deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri?* Apologus est in libro Iudicum notissimus, vbi Spiritus sanctus loquaces faciens arbores, recenset, quod *ierunt ligna vt vngeret super se regem, dixeruntque oliuæ*, & postea *ficui, impera nobis*, recusante oliua & ficu imperium, *locuta sunt etiam ad vitem, veni & impera nobis.* Vitis autem quod honore fructus sui proprij frueretur,respuit regnum, quod scilicet sola ex arboribus esset,quæ possit Deum lætificare. Adumbrauit homines per vitem & palmites designatos, quod cœlestis Agricola manu sua in vineam electam plantauit, atque vt delicium essent in hoc saltu Libanotico vero Salomoni, quatenus se instar vineæ excolerent, mandauit. Hoc nobis parabola hodierna insinuat,vt talem curam & operationem circa nos qualem circa vineã faciamus, si volumus Deum & homines fructificatione nostra lætificare,& gloriari. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem honoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.* De ista qualitate operationum,ex cultura vineæ, mihi hodiernus sermo.

Iud. 9.

Apologus lignorum

Plantatur vinea insitione,seminatione, & vitis defossione. Insitione,cum palmes à vite præcisus, in alteram vitem inseritur. Seminatione, nam, vt Ambrosius refert,ex acini vinacio vitẽ vsque in arboris summum cacumen prorumpere. Defossione vero,quando vel sarmentũ præcisum,vel vitis tenella detracta ab altera, depangitur in scrobe. Hinc exordium sumo operationis nostræ, & assero hoc propositum: Quicunque cupit esse vitis spiritualis, oblectans Deum & Cælites; & fructificans flores fructus honoris,& honestatis, & suauitatis, inprimis curet,vt Christo inseratur. Ita enim ipse Christus monebat discipulos suos. *Ego sum vitis vera*, inquit. *Manete* itaq; *in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic neque vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere, Si quis in me nõ manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*

Vinea plantatur tripliciter.

Primũ opus Christiani, insitio in Christum.

Ioan. 15.

Necessaria itaque est inprimis in Christum insitio per fidem, quæ & radix est, vnde reliquæ operationes, Deum & cælites lætificant. *Sine hac impossibile est placere*

Per fidem obaudientẽ.

cere Deo, cum hac, sed non sola, posibile est superare etiam ipsos Angelos. Atque vt hic paulisper immorer; video mihi necessario esse adducendam doctrinam Diui Augustini, quam habet de operibus & fide, quid, & quantum, & vnde, & quomodo valeant apud Deum, vt Lutherani & quotquot sunt, quibus erroneum dogma de sola fide placet, tum deinde, Iudæi, Pelagiani, Mahometani, & si qui alij sunt qui tantum de operum gloriantur bonitate, intelligant, quid sit necessarium ad promerendum regnum Dei, scilicet. An fides sola? An opera sola? An vero quod nos dicimus, cum Paulo, *Fides quæ per dilectionem operatur.* Itaque docet Augustinus. Anceps est, *inquit*, animus humanus & fluctuans inter confessionem infirmitatis, & audaciam præsumptionis plerumque hinc atque inde contunditur, & ita impellitur, vt ei in quamlibet partẽ cadere præcipitium sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, (*attende quomodo Lutheranos & Caluinistas quasi penicillo depingit*) & in hanc cogitationem se inclinauerit vt dicat: *quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita parata est in finem, vt nemo pereat fidelium iniquorum*, id est, nemo pereat eorum qui sibi dicunt, *quicquid vis faciam, quibuslibet facinoribus inquiner & implicer, liberat me Deus misericordia sua: quia credidi in eum.* Qui enim dicit neminem perire talium, cogitatione mala inclinat in impunitatem peccatorum, & Deus ille iustus cui cantatur, *misericordia & iudicium*, non sola misericordia, sed & iudicium inuenit, hominem male de se præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutẽtem, & necesse est vt de se damnetur.

Psal. 31.

Quæ non iustificat sola.

Altera etiam cogitatio præcipitat hominem, si se in audaciam quandam præsumptionis erexerit, & de suis viribus iustitiaq; præsumpserit, & proposuerit animo implere iustitiam, & omnia quæ percipiũtur in lege ita facere, vt in nullo offendat (*vide quomodo tangit Pelagianos, Iudæos & Paganos*) atque in potestate sua se habere vitam suam, vt omnino nusquã labatur, nusquam deficiat, nũquam titubet, nunquam caliget, sibiq; hoc tribuat & potentatui voluntatis suæ, etiã si forte impleuerit omnia quæ iusta videntur coram oculis hominũ, ita vt nihil inueniatur in vita eius, quod possit reprehendi ab hominibus; ipsam præsumptionem iactationemque superbiæ damnat Deus. Quid igitur fit, si homo iustificauerit, & de iustitia sua præsumpserit? Cadit. Si deinde consideras infirmitatem suam, & pręsumẽs de Dei misericordia, neglexerit vitã suã mũdare à peccatis suis, & se omni gurgite flagitiorũ demerserit? & ipse cadit.

Vt nec opera sola.

Præsumptio de iustitia, quasi dextera est, cogitatio impunitatis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis: *Ne declines in dexteram, aut sinistram.* Ne præsumas ad regnum de iustitia tua, ne præsumas ad peccandum, de misericordia Dei. Ab vtroque te reuocat præceptum Diuinum, & ab ista altitudine, & ab ista profũditate. Illuc si ascenderis, præcipitaberis: hac si lapsus fueris demergeris. Respondebis *Quid ergo faciam?* Vnusquisque pro modulo suo audiat quod Paulus de operibus Abrahæ dicit. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non ad Deũ.* Insinuat hic, vnde fit iustificatio; quod scilicet non ex operibus absq; fide, namq; multi gloriantur de operibus, & inuenis multos paganos propterea nolle fieri Christianos, quia quasi sufficiunt sibi bona, de vita sua. *Bene viuere opus est*, ait. Quid mihi pręcepturus est Christus, vt bene viuam? Iam bene viuo, quid mihi necessarius est Christus? Nullum homicidium, nullum furtum, nullam rapinã facio, res alienas non concupisco, nullo adulterio contaminor. Tales habent gloriam, sed non ad Deum. Quapropter si exinde Abraham iustificatus est, habet gloriã sed non ad Deũ. Sed habet gloriam ad Deũ; vnde ergo iustificatus est? Subdidit Scriptura. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Iam hic habes illã voraginem de qua locutus sum, (*scilicet quando infert Luther vel Caluinus, & quãdo illi qui labuntur dicunt* (*Vides ergo, quia ex fide*

Prou. 4.

Quod patet in Abrahamo.

Rom. 4.

Loc. expl.

ex fide non ex operibus iustificatus est Abraham? Faciam ergo quicquid volo, quia & si bona opera non habuero & tantum credidero in Deum, deputabitur mihi ad iustitiam. Si dixit & decreuit? lapsus demersus est, si adhuc cogitat & fluctuat? periclitatur.

Pauli & Iacob doctrina de iustificatione conciliantur. Iacobi. 2.

Scriptura autem Dei vtriusque intellectus, non solum periclitantem à peccato liberat, sed & demersum à profundo eleuat. Respondeo ergo tanquam contra Apostolum, & dico de ipso Abraham, quod inuenimus etiã in epistola alterius Apostoli, qui volebat corrigere homines, qui male intellexerant istum Apostolum. Iacobus enim in epistola sua, contra eos qui nolebant bene operari, *de sola fide præsumẽtes*, ipsius Abrahæ meminit, cuius Paulus fidem commendauit, & non sunt sibi diuersi Apostoli. Dicit autem opus omnibus notũ, *Abraham filium suum immolandum Deo obtulit.* Magnum opus, sed ex fide. Laudo superædificationem operis, sed video fidei fundamentum. Laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem. Si enim præter fidem rectam hoc faceret Abraham, nihil illi prodesset, qualecunque illud opus esset. Rursum, si sic teneret fidem Abraham, vt cum ei Deus imperaret offerre sibi immolandũ filium suum, diceret apud semetipsum; *Non facio, & tamen credo? quia me etiam contemnentem iussa sua liberat Deus? Fides sine operibus mortua* esset, & tanquam radix sine fructu sterilis atque arida remaneret. Itaque neque opera debemus præponere fidei, neq; fidem sine operibus prædicare. Ea enim opera, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires & cursus celerrimus præter viam. Fac enim hominem optime gubernare nauim, & perdidisse quo tendit; quid valet quia antennam optime tenet, optime mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis est viribus vt detorqueat nauim quo velit atq; vnde velit, nec ducat in portũ, sed in saxa festinet? Talis est ille, qui operatur nõ ex fide. Nemo ergo cõputet bona opera sua ante fidẽ, vbi fides nõ erat, bonũ opus nõ erat. Bonũ enim opus intẽtio facit, intentionẽ fides dirigit. Non valde attẽdas quid homo faciat, sed, Quid, cum facit, aspiciat.

Sed vt est animata per dilectionem & obedientiam.

Sed neq; etiã debemus fidẽ sine operibus prædicare. Et si enim ex fide iustificatus est Abrahã, sed si fidẽ opera non præcesserũt, tamẽ secuta sunt. Tene ergo fidẽ operaturus, hoc.n. Paulus ait, *Fides quæ per dilectionem operatur.* Vide si non vult te Paulus operari, qui dicit, *Non adulterabis, non homicidiũ facies, non cõcupisces, & quod est aliud mãdatum in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Dilectio proximi malũ non operatur, plenitudo autẽ legis est charitas.* Nunquid charitas permittit aliquid mali te facere ei quẽ diligis? Sed forte tantũmodo mali nihil facis, nõ etiã aliquid boni? Ergo nec charitas permittit te nõ præstare, quicquid potes ei quem diligis. Charitas orat pro inimico, & illi benefacit. Nam Christus iussit. *Orate pro persequentibus, benefacite illis qui oderunt vos.* Charitas *declinat à malo, & facit bonũ. Et si fidẽ habeã ita vt montes transferã, charitatẽ aũt nõ habeã, mihi nihil prodest:* Itaq; *in Christo Iesu, neq; circũcisio aliquid valet, neq; præputium*, scilicet neque fides sola; neque opera sola fine fide, *Sed fides quæ per charitatem operatur.* Sed ad insitionem palmitum reuertor. *Gal. 5. Rom. 13.*

In Christo.

Opus esse, illi qui vult fructificare tanquã palmes in vinea Domini fructus honoris, vt Christo per fidẽ inseratur. Hæc enim inprimis transformat filios iræ in filios Dei. Nam *dedit potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Hæc à patre luminũ, deriuat in filios in primis auxiliũ vitale, vt potis sint operari ea quæ placita sunt patri: non secus ac insitio palmitis conciliat huic à vite humorẽ viuificum, vt possit germinare vuas quibus lætificet Deos. Tum deinde hæc inter Deũ, & hominem filium stabilit fædus, vt ea quæ operatus fuerit homo, licet exilia sint, & indigna quę cõferantur ad immortalitatẽ; tamen post factã conuentionẽ, digna cẽseantur immortalitate. Quamobrẽ vt insitio palmitis origo est pãpinationis, floritionis, & germinationis, sic & fides Christo nos cõcorporans est origo, & fundamentum eius quod aliquis dicit *ego quasi vitis fructificaui suauitate odoris, & flores*

flores mei fructus honoris, & honestatis.

Et in Ecclesia Catholica. Plantatur etiam vinea vel seminatione vel depactione, quādo vel acini seruntur, vel detracti palmites in scrobe defodiuntur vberis soli. Qui cupit esse palmes Christi, oportet etiam vt se inserat, vel depangat in solo fertili Ecclesiæ. Quia enim hæc est mons domus Domini eleuatus in vertice montium; deinde quia est vinea pacifico Salomoni tam intime vnita illi, quam sunt vnita membra capiti, vel palmites viti: debet qui vult fructificare, in hoc loco vberi Ecclesiæ Catholicæ depangi. In hoc enim *monte pingui monte coagulato, placuit Deo habitare in eo.* Hunc montem excelsum placuit irrigare irriguo superiore, in montem istum descendit alimentum vitale, sicut ros Hermon qui descendit in montem Syon, in eo monte deduxit alueos, & disposuit silanos atque fistulas, per quas tepores, & irrorationes à Sole iustitiæ deriuatas, dispensat, ad recreationem palmitum. In alijs montibus, *quia neque ros, neque pluuia descendit,* ideo non succrescunt spuria vitulamina: in hoc vero Ecclesiæ Catholicæ intermedio montium, quia pertranseunt aquæ, ideo plantatio eius, vt est in Psalmo, *impleuit terram, operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei, extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines suas*: quia *qui manet in me*, ait Christus qui caput est Ecclesiæ, vnum cum & in hoc monte, excisus lapis nec excisus de monte, sed super montem eleuatus, *hic fert fructum multum. Qui in me*, per Ecclesiam, *non manserit, mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*

Psal. 79.

Ioan. 15.

2. *Secundum opus Christiani, recisio peccatorum.* Succedit vitis curatio, quæ trino opere absoluitur; recisione, erectione, pampinatione. Quia enim solet tam in palmitibus, quam in pampinis luxuriari, oportet & luxuriantes palmites recidere, & pampinos detrahere foliantes. Quippe vitis, quæ recte putatur (vt ait Theophrastus) melius germen, & fructum adfert, viuereque diutius potest. Sic etiam, quia flexilitate curuari solet, oportet vt sursum adducatur, ne intortus aut flexuosus fiat palmes. Animæ rami sunt mentis passiones repullulantes quotidie: quas oportet etiam quotidie falce disciplinæ, pœnitentiæ, & mortificationis resecare. Anima enim quæ indulgenter ac remisse viuere finitur, perinde atque vinea quæpiam neglecta eluxuriat, & siluescit sarmentis, seque effundens circa incōmoda, nec vllam adferentia frugem, natiuo succo exhauritur. Pulchre indidem monebat Augustinus. *Corrige fidem, dirige fidem.* Corrige recidendo, dirige fulciendo, recipe disciplina, fulci fiducia. Corrigebat, & recidebat Paulus qui dicebat. *Castigo corpus meum, in seruitutem redigo.* Corrigebat & recidebat Dauid, qui referebat, *& fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.* Recidebat & ille qui Domino confitebatur, *Castigasti me Domine, & eruditus sum quasi iuuenculus indomitus.* *1. Cor. 9.* *Psal. 72.* *Iere. 31.*

Scribit Matthiolus inter præcepta rei agrariæ, ijs qui putant vineas necesse esse, vt falcem recisoriam hirci sanguine oblinant, si volunt ne gemmæ teneræ ab erucis, aut nata folia à vermiculis erodantur. Fateor durum esse homini carnem sibi cognatam, fame, siti, flagro mortificare, & effrenes motus voluptatis sub iugum mittere, vel præcidere. Si tamen falx nostra imbuta fuerit cruoris Christi Domini assidua recordatione, non modo non durum, sed volupe erit, huic spirituali putationi manum falce armatam apponere. Sic enim gemmulæ virtutum nullis dolis, sic pampini sanctarum cogitationum nullis dentibus, erucæ aut vermis infernalis poterunt absumi aut corrumpi.

Cæterum erigendus est palmes mentis in cælum, & si in cogitationibus quandoque, tanquam in folijs erraticis luxuriat, distringendus.

Tertium opus Christiani vinitoris est, de fructu bonorum operum cogitare. Philo monuit, hoc solum bonum agricolam debere agere, vt nec cultura viti desit, nec vitis culturam fallat. Sic & Christianus hoc tantū debet procurare, vt fructus bonorū operū referat post floritionē. 3. *Opus Christiani fructificatio.*

Qui enim laudat castitatem, & est *sicut equus & mulus quibus non est intellectus,* qui

qui ieiunium commendat, saturo ventre, qui sobrietatem prædicat, & epulatur quotidie splendide; qui mansuetudinem fingit, & leonem in domo agit, qui pulchris cogitationibus opere non respondet--- *turpiter atrum.*

Desinit in piscem mulier formosa superne.

Debet itaque post flores honoris producere fructus honestatis. Palmes quem tulerunt exploratores ad Moysen, onustabatur bothro. Propago quam vidit pincerna Pharaonis, post germinationem & floritionem germinauit bumastos, sic decet & hominem Christianum, producere fructus suauitatis: Nihil hoc spectaculo gratius, quando datur vel videre in vinea serta pendentia velut quædam speciosi ruris monilia, vel carpere vuas aureo vel purpureo colore renitētes; Hyacinthos cæterasq; gemmas fulgere existimas, corruscare Indicos lapillos, & albarum emicare gratiam gemmarum.

Ex hoc admoneris ô homo (ait Ambrosius,) ne immaturos fructus tuos dies supremus inueniat, aut plenæ tempus ætatis operi imparata dedeceant. Acerbus enim fructus amarior esse consueuit, nec potest dulcis esse, nisi quoad maturitatis perfectionem adoleuerit. Huic viro perfecto nec frigus horridæ mortis, nec Sol iniquitatis nocere cōsueuit, quia obumbrat eum gratia spiritualis, & omnia mundanæ cupiditatis, & corporeę libidinis restinguit incendia, defendit ardores. Laudent te quicunq; conspiciūt, & agmina Ecclesiæ velut quędam palmitum serta mirentur, spectent singuli fideliū pulchra animarum monilia, delectētur maturitate prudentiæ, splendore fidei, confessionis decore, iustitiæ pulchritudine, vbertate misericordię, eo quod redundantiam vitis fructiferæ, copiose munere liberalitatis imiteris. Vitem laudamus, (ait Seneca,) si fructu palmites onerat; si ipsa ad terram, pondere eorum quæ tulit, adminicula deducit. Num quis huic illam præferet vitem, cui aureæ vuę, aurea folia dependent? Propria virtus in vite fertilitas est. In homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam habet pulchram, domum pulchram, multum serit, multum fænerat? nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest, nec dari, quod proprium hominis est. Quæris quid sit? Animus, & ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo. Consumatur itaque eius bonū, si id adimpleuit, cui nascitur? Quid est autem quod ab illo ratio hæc exigit? Rem facillimam. Secundum naturam suam viuere: id est, secundum rationem, & virtutem, quæ rationis proles.

Sed quartum adiungo de bonorum operū custodia. Scitus est Apologus Theocriti, de puero maturę vineę custode, dum imminet locustis, & capiendis fiscellam texit, insidijs excepto, & à duabus malis vulpeculis male deluso; quarum altera botros abliguriebat, propior altera clanculum incauti peram cibarijs leuabat. Vtinam nemo nostrum tam fatuus, vt iste puer. Insidiantur quoque nostris vineis duæ vulpeculæ, negligentia, & iactantia. Quis vigilās est vt dicat, *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas?* Aduigilate vos, & fructus si quos protulistis virtutum seruate, ne in nos dicat Deus illud quod est apud Micheam. *Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum.* Sed sibi tanquam veræ viti insertos atque fructu honoris, & honestatis onustos lætus aspiciat. Namque tales semper vernantibus sertis coronat.

Producam vnum in exemplum. Merolus Monasterij Gregoriani monachus Romæ, egregia morum sanctitudine præditus erat.

Huic in quiete visum est, coronam candidissimis floribus contextam è cælo labi, ac super caput suum sisti. Post hæc aduersa valetudine agitatus, cum magna animi alacritate diem obijt extremum, Anno deinde 14. Petri Abbatis iussu aperto eius sepulchro, incredibilis odoris inde suauitas exhalauit. Quā ex re illud quod per somnium viderat, verū fuisse cognitum est. Qui tam feliciter mori, & ornari cupit, debet, sicut ille vixit, & ipse viuere.

Margin notes: 1. Cor. 9. — Psal. 72. — Iere. 31. — 3. Opus Christiani fructificatio. — 4. Opus Christiani fructuum custodia. — Apologus pueri custodis vineæ. — Cant. 2. — Mich. 7.

Ita enim à Domino coronabitur, si se ipse floribus, & fructibus variarum virtutũ venustauerit. Amen.

DOMINICA SEXAGESIMAE.

Exijt qui seminat seminare semen suum. Luc. 8. c.

CONCIO I.

Verbum Dei, cur seminis appellatione nuncupetur.

CÆTERI Vrbium triumphatores, cum primum aliquam cęperint, & terræ æquarint, solent aratro producto conscindere, & Sale conspergere. Christus non ita, sed quos sui iuris fecerit, hos benignitatis semine conserit. Seminauit olim Hebræis manna in deserto, seminat & nunc omnibus, semen verbi sui. Quale? quam fructiferum? Id erit materia Concionis nostræ.

Mãna verbi Dei. Mannæ Israëliticę proprietates vel referre, vel superare mihi videtur semẽ verbi Diuini. Depluit Dominus filijs Israël manna de cœlo, toto tempore quo pere-
Comparatio. grinati sunt in deserto, postquam autem terram promissionis ingressi sunt, non
1. amplius illa, sed cibo solido eos satiauit: sic & nobis omnibus, in vasta huius mundi solitudine peregrinantibus, semen verbi sui quo reficiamur dispergit, postquam autem in terram felicitatis æternæ introduxerit, iam non verbi inuoluti semine, sed pane illo reuelato in mensa sua reficiet. Tunc enim, *non docebit vir proximũ suum, sed omnes scient me à maximo vsque ad minimum.*

2. Admirabile quoddam semẽ erat manna, quod Israëlitæ contemplantes obstupefacti cognominarunt, Man hu? quid est hoc? Admirabile quoque est verbi Dei se-
Psal. 118. men, vt canit Psaltes, *Mirabilia* inquit, *testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.* Mirabilia, scilicet, profunditate & dignitate, mirabile virtute & efficacia sua.

3. Manna erat minutum, quasi pruina alba siue ros matutinus. Minutum est & semen verbi Dei in specie externa, sed cãdidum & *lucidum illuminans oculos*, nec non irroratione salutifica imbuens intellectum, indulcans affectum, & refrigerans pectus malo igne perustum.

Mannę gustus fuerat, quasi similę cum 4.
melle: gustus autem huius seminis cœlestis dulcior est ipsa dulcedine. Vnde excla *Psal. 118.*
mabat Dauid. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?*

Manna diuersos in se sapores contine- 5.
bat, quando, vt Sapiens refert, *deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur*, & semen verbi Dei varios habet sapores, iuxta diuersas hominum appetitiones, quibusdam est insipidum ex cordis eorum insipientia; alijs amarum ex mentis amara amaritudine; quibusdam vero est manna absconditum omne delectamentum, & omnis saporis habens suauitatem.

Manna ad Solem liquefiebat, & ad ig- 6.
nem durabatur, quibus vero Sol iustitiæ benigniore illuxit radio, eis semen verbi Dei, imo illos potius eliquat, vt gratię cęlestis recipiant humorem, eiusque dulcorem sentiant, secus accidit his, qui se ab hoc lumine auertunt, & igne concupis- *Ioan. 6.*
centiæ à fornacę Babylonica incendũtur. Namq; eis ob hoc semen in lapidem duratur, vt dicant. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*

Manna consuetudinarium quidam ex 7.
Israëlitis fastidiebãt dicentes, *Anima no-* *Num. 11.*
stra arida est, & nauseat super cibo isto leuissimo, quis dabit nobis carnes ad vescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, In memoriã veniunt nobis cucumeres & pepones, & porri, & cæpe, & allia. Quot etiam inter nos sunt, qui semen verbi Dei non odio habent? Quot nostrum, qui non potius pepones, allia, cæpas, & porro sordẽtis terrenæ dulcedinis, suauitati huic impermixtæ præponunt? Quãti cibos Ægyptios non magis esuriunt? non siliquas porcorum potius præoptant?

Manna reseruatum in diem alterum 8.
computrescebat, & semen verbi Dei ad fructum profectus proferendum. Si non statim

statim seritur & nec statim in germē sanctificationis excrescit, in momento in auras euanescit.

9. Manna si ad diem Sabbati collectum seruabatur, nulli erat corruptioni obnoxium. Sic & semen verbi Dei quod propter futuram felicitatis requiem seritur, in seculo venturo permanebit, secundum quod monebat Hieroymus, *discamus hic in terris*, inquit, *quorum scientia nobiscum perseueret in cælis*. Sed quid moror? quid semen hoc Diuinissimum mannæ cōparo, cum illud manna legali longe præstet?

Qui mannæ cibo vescebantur, pala-
10. tum corporis tantum, qui vero semine isto cælesti reficiuntur, & corporis & ani-
11. mæ gustum oblectant. Qui manna edebant, tandem tandem moriebantur, qui autē semine isto cælesti saginatur, viuet in æternum. *Verba enim quæ locutus est Saluator spiritus & vita sunt*, & discipuli nolunt ideo a Christo recedere. *Domine*, inquiunt, *quo à te ibimus. qui verba vitæ æternæ habes?* Qui manna legali nutrie-
12. bantur, mole corporis succrescebant: hoc autem semen animam indies ipsa maio-
Isa 61. rem facit. *Sicut enim terra profert germen*
Verbū Dei *suum, & sicut hortus semen suum ger-*
Seme quia *minat. Sic Dominus Deus per verbum suū*
germinat. *germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.* Hæc est prima causa, quamobrem verbum Dei appellatione seminis nuncupatur. Sicut enim terra semine grauida, si illud calore à Sole concepto refouerit, venustos germinat flores & varios producit fructus. Sic & verbum Dei sparsum in corde aliquo disposito, si tepore amoris incalefactum, & imbre lachrymarum inebriatum fuerit, in pulcherrimas pudicitiæ rosas, venustos innocentiæ amaranthos, albentia lilia virginitatis, oliuas misericordiæ, palmites honoris, & in summa, in *omnem iustitiam*
Expēd. loc. *& laudem sempiternam* excrescet. *Lex e-*
Psal. 18. *nim Domini immaculata, conuertens animas testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis, iustitia Domini recta lætificantes corda.* Cum audis *immaculatam*
Emaculat animas. *legem Domini*, intellige, quia nihil aut docet aut iubet quod dedeceat, aut quod maculam vel famæ vel animæ inducat.

Non permittit adulteria vt leges Lycurgi: non incæstus promiscuos vt Persarum tabulæ: non communitatem vxorū vt Platonis sanctiones; non voluptatem
& vitæ licentiam vt Epicurus. Ab hac Lib. de pal-
scola, seu sub isto pallio (inquit Tertul- lio. cap. 8.
lianus,) nullis vitijs adulor, nullis veternis parco, nullam impetiginem demulceo. Adigo caute rem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus non vnum orbem citri emit, qua bis tantum Asinius Gallus pro mensa eiusdem Mauritaniæ numerat. Hem quantis facultatibus æstimauêre ligneas maculas? Immergo æque scalpellū acerbitati ei, qua Vedius Pollio seruos murænis inuadendos obiectabat, noua scilicet sæuitia delectatio terrenæ bestiæ, & edentulæ, & exunguis, & excornis, de piscibus placuit feras cogere, vtiq; statim coquendis, vt in visceribus earum aliquid de seruorum suorū corporibus, & ipse gustaret. Præcidam & gulam, qua Hortensius orator primus, pauū cibi causa potuit occidere, qua Asinius Celer mulli vnius obsonium immēso pretio sestertiorum detulit, qua Æsopus histrio ex auibus eiusdē pretiositatis, vt canoris & loquacibus quibusq; centū millium patinam confiscauit, qua filius eius post tale pulpamentū potuit aliquid sumptuosius esurire, margarita namque vel ipso nomine pretiosa dehausit, credo ne mēdicius patre cęnasset. Dabo catharticum impuritati Scauri & aleæ Curij, & vinolentiæ Antonij, & meretricio Cleopatræ, & immanitati Neronis, & spurcitiei Gabali, & sęuitiei Sulæ, & has purulētias Ciuitatis non alius eliciet atque euaporabit, nisi sermo palliatus. Namq; hæc Domini lex immaculata, emaculat omnes sordes. Hem tinniunt vobis aures si diduco? Sed ---- Dicebat idem Dauid, de eadem lege Domini immacula-
ta quæ est *conuertens animas*, hic mihi Conuertit
occurrit quod alibi retulit Psaltes. *Ete-* animas.
nim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui
in rota, illuxerūt corruscationes tuæ orbi ter- Expēd loc.
ræ. Quadrant omnia ad inuicem, pro *con-* Psal. 76.
uertens legunt alij, *conficiens animas.* Ecce

hic habeo verbum Dei & legem, & sagittam, & vocem tonitrui, & illucescentẽ corruscationem. Si enim conuertit? lex est, vox est tonitrui in rota, corruscatio est fulgurans. Hac corruscante fulguratione conuertit Saulum spirantem minas & cædes, quando subito circumfulsit eum lux de cœlo, & vox intonuit. *Saule Saule cur me persequeris?* Hac voce per filios tonitrui Boanerges, in hac rota volubilis mundi audita, orbis se mutatum de repente aspexit, quãdo in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hanc legem ignitam in manibus Dei mundus demirans, mirum est, quanto igne amoris deflagrans in altum abijt.

Act. 9.

Si autem lego, conficiens animas: hinc verbum Dei sagittas potentis acutas cum carbonibus desolatorijs experior. *Sagittæ tuæ* ô Deus *acutæ*. Non mirum si ab eis *populi sub te* tuumque dominium *cadunt*. Quod si *in corda* quoque *inimicorum regis* coniciuntur; hostes conficiunt, & efficiunt amicos, filios iræ occidunt, & filios gratiæ reddunt.

Psal. 44.

Sanctificat animas.

Dicebat deinde, quod *iustitiæ Domini rectæ*, scilicet non tales quales illæ quas ipse iudicabit, detortæ, imperfectæ, sed omni ex parte ad libellam, & amussim examinatæ, consumatæ. Nihil enim est, quod non doceat Dei sermo. Recensẽre aliquas minutias huius grani iustificati, ex quibus pulcherrima seges virtutum omnium succrescit, nisi persuasum haberem vos omnes de præstantia ipsius idem mecum sentire. Nulla est enim virtus, nulla honestatis aut pulchritudinis species, quæ non ab hoc celesti semine exurgat. Sanctimonia, puritas, innocentia, virginitas, castimonia, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, modestia, humilitas, misericordia, mansuetudo, clementia, liberalitas, patientia, obedientia; insuper & magistra virtutum charitas, ex hoc semine pullulat. Non grauabor tamen hic vnum aut alterum exemplum proferre, quo palam fiat, quanta fertilitas virtutum à semine verbi Dei.

Psal. 18.

Exẽplo est.

Refert Athanasius Antonium abbatẽ, non aliunde floruisse tam pulchra virtutum specie, quam à verbi Dei semine. Ad Ecclesiam (inquit,) cum parentibus sæpe conueniens, nec infantum lasciuias, nec puerorum negligentiam sectabatur, sed tantum ea quæ legebantur auscultans, vtilitatem præceptorum vitæ institutione seruabat. Post mortem autem parentum, necdum sex menses fluxerant, quibus ad Ecclesiam, vt solebat, accurrens recordabatur, quomodo & Apostoli omnibus spretis, secuti fuissent Saluatorẽ; & multi, vt legitur in Actis Apostolorum, facultatibus suis venditis, precia ad pedes eorum detulissent egentibus partiẽda; quæue aut quanta spes ijsdem reposita esset in cœlis. Talia secum voluens, intrauit Ecclesiam, & accidit vt tunc legeretur Euangelium, in quo Dominus dicit ad diuitem. *Si vis perfectus esse: vade, vende omnia tua quæcunque habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo.* Quo audito, quasi Diuinitus huiusmodi ante memoriam concepisset, & veluti propter se hæc esset scriptura recitata, ad se Dominicum traxit imperium, statimque regressus, possessiones quas habebat vendidit.

S. Antonius.

Matth. 19.

Erant autem ei trecentæ palmæ vberes, & optimæ, quas propinquis largitus est, ne in aliquo aut sibi, aut sorori molestia gigneretur. Cætera vero quæ in mobilibus possidebat, vniuersa vendidit, & aggregato non exiguo pretio indigentibus dedit. Rursum autem Ecclesiam ingressus cum audisset Dominum in Euangelio dicentem, *nolite cogitare de crastino*, reliquam quoque portionem pauperibus distribuit: neque se versari passus est domi, sed sorore fidelibus ac notis virginibus commendata, ipse iam omnibus seculi vinculis liber, asperum atque arduũ arripuit institutum, in quo in tantam effloruit virtutum speciem, vt Deicola nũcuparetur.

Non disparem fructum ex verbi Dei semine recepit, alter in terris Angelus Serapion. Similiter enim cum audisset illud Saluatoris dictum, *Vende, da pauperibus*, & incidisset aliquando in egentem pauperem,

S. Serapion.

Luc. 28.

perem, pallio se exuit, & indigenti dedit. Deinde cum obuiam factus esset alteri algenti, itidem præbuit ei tunicam: & de cætero sedit in tuguriolo nudus, in vlnis vnicum tenens Euangelium. Deinde ab aliquo interrogatus, *quis nam eum nudasset? Hoc*, monstrauit & dixit, Euangelium.

Cum vero eo quoque vendito, pro illo acceptum pretium distribuisset pauperibus, cuidam discipulo qui eum rogauit, *Vbi est Pater paruum Euangelium?* respôdit. *Crede mihi fili*, inquit *parens ei qui dixit, vende quæ habes, & da pauperibus, ne ipsi quidem libro, in quo hoc scriptum erat, statui parcere.* Alius cum speciosam vxorem duxisset, & in templo illud Christi consilium exaudisset. *Qui amat patrem aut matrem, aut vxorem, aut filios plusquã me, non est me dignus*, illico domum reuersus, tempusque opportunum nactus, & amplam possessionem, & venustam, neque adhuc temeratam coniugem relinquens in eremum secessit.

Abrahã.

Eremus.

Et quid vnum aut alterum memoro? Ab hac auditione, viduabantur vxores, orbabantur parentes, quinimo & vxores maritos, & parentes filios atque filias pone sequebantur, ad idem vitæ cœlestis institutum, quod à mellineo Diuini eloquij consciscebant, ita vt Augustinus in illud vulgatum proruperit. Surgunt indocti, & rapiunt regnum Dei; nos autem cum doctrinis nostris, mergimur in profundum.

Iudæa.

Quod si & Euangelicam volumus lustrare historiam, reperiemus Magdalenã à verbo Dei sanctificatam, Matthæũ ex Publicano Euangelistam factum, Zacheum liberalem ex rapaci, alios autem ex alijs vitijs emersisse, atq; vberrimos, siue trigesimos, siue sexagesimos, siue cẽtesimos fructus produxisse. Petro loquẽte, cadebat Spiritus Sanctus in auditores, & illos in alios viros demutabat. Cæteris Apostolis Orbem vniuersum conferentibus, quantas produxerit Orbis virtutum segetes, non est possibile explicare, vt merito exinde nominetur, & sit *hortus conclusus & ager cui benedixit Dominus.* Hortus conclusus Sancta Ecclesia existit, *explicat Gregorius*, quæ dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros è bona terra emittit. Quorum dum alios vsque ad Martyrium perducit, alios in Sancta cõuersatione erudit, hos sanguine Martyrij rubentes ad æternam patriam transmittit, illos vero in Sãctis operibus viuentes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quam mala punica, & pomorũ fructus emittit? Mala punica enim sub rubeo cortice, multitudinem granorum continent. Fructus vero pomorum, in se refectionis dulcedinem habet.

Orbis.

Ecclesia quæ est hortus conclusus.

Sic Martyres dum sub igne tribulationis laborant, multitudinem virtutum interius sibi congregant in mente. Sancti etiam, qui in pace Ecclesiæ viuunt, fructus pomorum gerunt, quia dum Sancta opera faciunt, proximis exẽpla tribuũt, quorum exhibitione sequi volunt, reficiunt. Vnaquæque etiam anima hortus conclusus esse intelligitur, quia dum virtutes nutrit, flores gignit, & dum virtutũ exhilaratione se reficit, fructus quos genuerat eadem custodit. Vtinam & nos pars aliqua agelli vel horti Diuini, sed seminatori malo conclusi, Deo autem reclusi.

Intellexistis causam, propter quam verbum Dei sementis nomine nuncupetur, nimirum propter germinationem virtutum. Faxit Deus, vt conclusos animæ nostræ sulcos illi expandamus, & semen tam pulchrum tanquam frugiferum auide excipiamus. Hinc enim fiet, vt fructus totius pulchritudinis referentes, & manipulos frugum lætissimarum portantes, venientes veniamus ad patriam felicitatis æternæ, Amen.



CONCIO II.

Et dum seminat aliud cecidit secus viam &c.

Qui fiat, vt non omnes referant fructum ex verbo Dei?

Iud. 3. SEMEGAT vnus Iudicum Iſraëlis, non gladio ſed *aratro percuſſit ſexcentos viros de Philiſtijm*, vt eſt in hiſtoria Iudicum. Typum gerebat Saluatoris noſtri, qui non haſtam vibrans, neque gladium diſtringens, ſed aratrum agricolationis ſuæ ſpiritualis verſãs, & ſemina verbi ſui ſpargens, omnes phalangas Sathanę proſternere, & terram ſalſugineam in fructiferam conuertere debebat. Ideo enim hodie exijt in agrũ, vomere ſcilicet proſcindere glebam animorum, ſeminare ſemen iuſtitiarum pulchrarum. Sed qui fiat vt non omnes referant fructũ ex verbo Dei? In idipſum ſerio inquiremus.

Semegad typus Chriſti. Semegad, ab Origene interpretatur, *ibi aduena*, & recte ſignificat Saluatorem noſtrum, qui ſiue in cœlo ſecundum humanam naturam, ſiue in terris iuxta Di- 1. uinam maieſtatem, *Aduena* poteſt nũcupari. Namque & aduentitia Deo Verbo carnis natura, & aduentitius in cœlo homo aſſumptus, & aduena inter nos ille, qui *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt* Deus & homo. 2. Samgar Iudex, cui libri aperti ſunt, *& ipſe quoq; defendit Iſraël*, quando *regnauit in domo Iacob; & ſedit in ſede Dauid patris ſui, & regni eius non erit finis*. Semegad ſiue Samgar referebat originẽ ad Anath, *fuit enim filius Anath*, quod interpretatur, *reſponſiones, vel oracula*. Et ex hoc quoq; recte deſignat Saluatorem Deum, cuius æterna generatio, ab illo qui decreta pãgit vniuerſo quod eſt in Orbe, & qui fontale eſt principium omnium oraculorum atque reſponſionum quę à ſuprema illa cortina, temporanea quoq; eiuſdem natiuitas eſt, & à ſerie illorum qui cœleſtia oracula terris reuelabant, & ex illa Virgine quam omnia reſponſa Prophetarum prę-monſtrabant.

Semegad non gladio, neque haſta, ſed vomere percuſſit Allophylos ſexcentos; 3. & Saluatori noſtro, non ſemper placuis gladium illum flammantem ſtringere, adhibuit ei poſtquam factus eſt *quaſi colonus in terra*, conuertere *gladios in vomeres, & lanceas in falces*, ſcilicet, pro ſublimitate ſermonis vindicantis, & acumine ſeueritatis depaſcẽtis, imitari agricolam & veluti aratro ſimplicitatis verborum ſulcare terram animæ, ac ſæpius eam clementi commotione & commonitione reſciſſam ſemine ſalutifico conſerere.

Samgar *percuſſit ſexcentos vomere, &* 4. *ſaluauit Iſraël?* Saluatori noſtro, cui non eadem ſemper felicitas in ſua agricolatione? qui fit, vt non omnes referant fructũ à verbi Dei ſemente? Non nupera, ſed antiqua hæc ſors & Verbi Dei. Nam & Diuus Chryſoſtomus, de hoc ipſo conqueritur, *Nihil*, inquit, *apud nos magis auditur quam Dei verbum & Dei Euangelium, nihil tamen minus videtur, quam viuere ſecundum Dei verbum & Dei Euangelium.* Æque vt etiam nunc. Nihil frequentius audimus, quam Diuina dogmata, nihil tamen minus aſpicimus, quam vitam iuxta cœleſtia dogmata. Vnde eſt vt verbum Dei rariſſimas germinet meſſes? Namque Chriſtus per Prophetam dicebat. *Quomodo*, inquit. *deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram & infundit eam & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum,* Iſai. 55. *quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Quod non omnes fructũ ferant. Si ergo tantæ efficaciæ eſt à Diuina voluntate, quid eſt quod nõ fructificat? Reſpondens D. Chryſoſtomus, aſſignat cauſam, quod id prouenit non agricolæ, neque ſeminis cauſa, ſed terræ conditione; nõ naturaliter inſita, ſed à voluntate propter peccatum aſcita. Non eſt cauſa ab Non eſt ab agricola. agricola, nam ille ideo factus eſt velut colonus in terra, vt ſilueſtrẽ animæ noſtræ ſolitudinem aratro timoris ſui proſciſſam in cultiſſimi agri amænitatẽ demutans, plenos manipulos frugum iuſtitiæ reportaret.

Neque à semine. tatet. Neque est causa à semine. Nam illud est magis depuratum auro, & omni lapide pretioso magis electum, ad hoc de ore Diuino sparsum, vt exhiberet in messem copiosam virtutum. Itaque suscipientis animæ culpa erit, non insita sed per peccatum adscita. *Sed ab anima indisposita vitio.* Vt enim semina terræ, si non sine fænore debent reddere quod acceperunt, in agro bene culto necesse habent recipi; sic verbi Dei semen, si non debent vacuum redire, sed vel centesimum vel sexagesimum vel trigesimum, fructum referre, habet seminari in corde subacto, & ex agricolæ cœlestis ritu præparato.

In Hispaniola insula noui Orbis, frumenti spicas adeo ingentes esse tradunt, vt vno brachio humano æquentur, & duo granorum millia singulæ contineant, vt *Lib.10.c.10.* Petrus martyr scripsit. Plinius quoque refert, in Byzacio Africæ campo, ex vno modio, centenos quinquagenos modios reddi. Misit, inquit, ex eo loco Diuo Augusto procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadraginta paucis minus germina, extantque de ea re epistolæ. Misit & Neroni similiter CCC. XL. stipulas ex vno grano. Fertilissima etiam apud Ægyptios tritici genera ramosi, quod centigranum vocant, inuentus est iam & scapus vnus centum fabis onustus. Magnus & incredibilis iste prouentus frumenti, propter bonitatem & aptitudinem agri. Magnos quoque & admirabiles prouentus producit verbum Dei, si in disposito corde recipiatur: si in neglecto, nullos vel indignos, qui in horreo cœlesti condantur. Vt enim non omnes terræ, omnia ferunt semina, sed fluminibus salices crassisque paludibus alni adnascuntur, orni steriles saxosis montibus gaudent, littora myrtetis lætissima, denique apertos vitis amat colles, aquilonem & frigora taxus, *Sap.1.* sic non omnem animam amat semen Diuinum, *in maleuolam enim animam non intrabit spiritus sapientiæ, nec habitat in corpore subdito peccatis Spiritus S. effugiet disciplina fictum, & subtrahet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.*

Sed ex parabola hodierna eruamus terræ spiritualis vitia, propter quæ non fructificat, primum est illud. *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud* *Præsertim si non scit recondere verbum. Matth. 8.* Secus viam semitæ solent esse viatoribus peruiæ, atque ab auibus varijs infessæ, & significant mentes nulli non maligno cursori, nulli non volaci & voraci volucri peruias, quas & ille rugiens qui circuit quærens quem deuoret, & illæ rapaces harpiæ, corui & cornices infernales pererrant. In tali mente non germinat semen Diuinum. Namque ille qui super pectus reptat in hac semita, solet conculcare, & inuolantes variæ cogitationes velut volucres rapaces solent surripere, quicquid à Deo superiectũ fuerit. Vt enim semen terrenum, *Quod debet abscondi.* nonnisi gremio terræ mollito ac subacto absconditum, atque eius vapore calido tepefactum, elicit ex se herbescentem viriditatem, quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur, è quibus emergens fundit frugem spica ordine structam, & contra auium minorum morsus vallo aristarum munitam: sic verbi Dei granum, non nisi conclusum in corde, in messem honestatis exurgit. Sic faciebat Dauid qui dixit. *In corde meo* *Psal.118.* *abscondi eloquia tua.* Sic faciebat & Diua Virgo, quæ *omnia verba conseruabat, conferens ea in corde suo.* *Velut lac.* Bene etiam Diuinum verbum lacti comparatur à Paulo qui dicit. *Lac vobis dedi, non escam.* Vt *1.Cor.3.* enim infante lactente inuisibiliter exuctũ statim in viscera liquatur, si debet eum nutrire, sic & Diuina verba fluida à pectore IESV, amant intra pectus defluere, *Aut thesaurus.* inque eo conanimari. Pulchre Diuus Ambrosius, *thesauro abscondito in agro* componit verbum Dei. Vtique, inquit, non aurum, non argentum, non pecunia comparari potest regnum cœlorum, sed *Psal.11.* *eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum*, quibus ipsum regnum acquiritur.

Hunc ergo thesaurum sapientiæ & cognitionis absconditũ in agro, in quo plãtata sunt verba scripturarum cœlestium,

cum inuenerit homo, abſcondat illum in corde ſuo, nec diuulget eum, ſciens quia ſi diuulgauerit Babylonijs theſaurũ Dei, magnam offenſam contrahet, vt dicatur ei ſermone Prophetico: *De ſemine tuo accipient, & facient ſpadones in domo regis,* per quæ ſignificatur, quia is qui non in corde ſeruauerit, ſed vel adulatoribus, vel conſocijs criminum, vel nihil penſi vitæ honeſtatem ducentibus diuina myſteria prodiderit, poſteritatem animæ ſuæ ſeminariumque meritorum habere non poſſit. Caue ergo ne diuitias *quas ex ore Sacerdotis cepiſti,* perfidis prodas, & ſi amicitiam ſimulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non referes theſauros regios, quos Babylonij ſcire non debent; ne veniant & capiant poſteros tuos, & ſeminarium virtutis abſcindant. Hoc eſt etiam, quod in Euangelio dicit Dominus: *Nolite mittere margaritas veſtras porcis.* Ideo Propheta docebat, quid homo facere debeat, ſemine Dei onuſtus. *Sedebit,* inquit, *ſolitarius, & tacebit, & eleuabit ſe ſuper ſe.* Scilicet ſtatim audito Dei verbo, intimos receſſus petet, & in eo quieſcens tacebit, inque *lege Dei meditabitur die ac nocte,* nec alicui quod in corde concepit reuelabit, ne forte veniens aliquis dæmon, vel dæmone fors peior homo, illud rapiat vel proculcet diſuaſu maligno. Qui tali ratione audit verbum Dei, eleuabit ſe ſuper ſe, & euadet in filium Dei, & erit vel tanquam hortus irriguus, omnigena fiorum & fructuum varietate refertus, vel quod Dauid dicebat, *tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Sin vero non *ſedebit* ſed diuagabitur; ſi non *tacebit,* ſed omnibus quod propoſuit repandet. Verbi cauſa. Si audiet illud, *qui amat patrem, matrem, vxorem, pluſquam me, non eſt me dignus,* & domum reuertens procaci alicui reuelauerit, ſtatim vel ciconia dilectionis parentum, vel columba amoris coniugalis aduolabit, & magis honorandos parentes, pluſq; vxori indulgendum perſuadens, illud de dilectione Dei ſuper omnia propoſitum deuorabit. Audies deinceps in Concione, *nolite theſaurizare in terra, facite amicos de mammona, da pauperibus & theſaurum habebis in cœlo,* & neceſſarijs tuis iſtud quod concepiſti propalabis; aduolabit coruini generis aliqua volucris, cras crocitans, & ſterilitatis tempus, neceſſariorum vſum, domeſticorum curam, ſenectutem annoſam, facultatum aucturam, atque alia & alia auaritiæ & inhumanitatis fomenta tibi geminabit, ſicq; illud Dei verbum, quod pro animæ ſalute perceperas proculcabit. Qui ſapiens, *ſedebit ſolitarius & tacebit, & ita eleuabit ſe ſuper ſe.*

Laudatus Hilarion Abbas Palæſtinus, qui cum audiſſet in Eccleſia illud, *qui non renuntiauerit omnibus quæ habet, non poteſt meus eſſe diſcipulus,* nemini dicens, ſtatim vt domum redijt, partem ſubſtantiæ fratribus, partem pauperibus largitus eſt, nihil ſibi omnino reſeruans. Erat autem annorum 15. cum ſic nudus & armatus in Chriſto, ſolitudinem ingreſſus eſt, ſacco tantum & pelliceo pallio membra coopertus. Laudatus & Niuardus Bernardi abbatis Clareuallenſis frater; qui poſtquam eius & aliorum fratrum conſilium de relinquenda vita ſeculari audiſſet, adque religionem aſpirantes iam domo excedere vidiſſet, nulli quicquam reuelans maluit abeuntes ſequi, quam in domo paterna hæres ex aſſe futurus manere. Illi enim paruulo inter æquales in foro ludenti dixêre. *Niuarde frater, nunc te ſolum totius ſumma reſpicit patrimonij: nos namque ius omne tibi cedentes, Chriſtum ſequimur.* Tunc ipſe: *Cælum vos ergo poſſidebitis,* inquit, *ego terram?* Nihilque moratus poſt eos abijt in monaſterium, vt potius cœleſtes cum fratribus, quam cum parentibus manens diuitias obtineret terrenas. Laudatus & Iudællus Britanniæ rex, vna cum fratre ſuo. Cum enim in templo audiſſet conſilium Chriſti illud de paupertate ſpiritus, quia *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum,* ſtatim Iodoco fratri voluit tradere regnum. Ille itidem ad Dei aſpirans ſeruitium, ne quod vltro offerebatur, vel inuitus ſuſcipere aliquando cogeretur, clam

Iſai. 39.
Aut margaritum.
Thr. 3.
Quod facile abſcõd homo ſi ſolitarius.
Pſal. 1.
Qui tacebit & facit.
Matth. 6.
Matth. 6.
Thr. 3.
Vt Hilarii.
Luc. 14.
Niuardus.
Iodocus.
Matth. 5.

clam inde profugit, atque ad ripam Alzei fluminis in agro Pontinij, constructo paruo humilique tugurio, solitarius habitauit. I nunc vana & stulta mortalitas, per cædes & parricidia quære tibi dominatū, quem sanctissimi viri, tam vili habuerūt vt alter deponere vellet, alter recusaret accipere. Laudatus & Theodorus Pacomij discipulus, qui item cum audisset illud Saluatoris, *qui amat patrem & matrem plusquam me, non est me dignus*, illico domo paterna profugus, in eremum secessit, & disciplinæ Pacomij se addixit. Attulerat mater illius quandoque ab Episcopis literas, quibus reddi sibi filium præcipiebatur; hisque obsequi compulsus Abbas, discipulo discedendi potestatem fecerat. Cæterum ipse omnibus præferens Christum, nec egredi de monasterio voluit, nec saltem se ostendere matri, ne scilicet scandalizantem oculum quē à se iam proiecerat, rursum quærere videretur. Perseuerauit ergo in monasterio, & factus est Dei filius, qui matris esse noluit. Talis seges virtutum in nobis succresceret, si nos tales auditores verbi essemus. Sed quia partem mundus, partem dæmon, partem caro & sanguis --- delibat, ideo nullos fructus vel exiguos videmus.

Matth. 4. Theodor. Matth. 6. Thr. 3. Vt Hilari. Luc. 14. Ninardus.

Aliud terræ vitium est, petrositas. *Aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* Petram intelligo illos, qui posuerunt cor suum velut adamātem durissimum, vel se constrinxerunt tāquam malleatoris incus, ne salubris doctrinæ sementem suscipiant.

Aliud vitiū animæ, si obdurat. Luc. 8.

Terra sæpe super se venientem suscipiens imbrem si non herbescit, reproba vocatur & maledicto proxima censetur: sic & tales, qui verbum Dei à perenni seminatione deciduum, suscipiunt nec suscipiunt. An & inter nos non plurimi tales, in quos illud dicit Deus, quod est apud Ezechielem. *Dicunt vnus ad proximum loquentes, venite audiamus quis sit sermo egrediēs à Domino. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus, & sedeat coram te populus meus, & audiunt sermones tuos & non faciūt eos, quoniam in canticum oris sui vertunt illos, & auaritiam suam sequitur cor illorum, & est eis quasi carmen musicum, quod suaui dulciq; sono canitur & audiunt verba tua, & non faciunt ea.* Q diceret.

Hebr. 6. Ezech. 33. Vel vt sonos musicos audit.

Tales isti, quales illi qui sonis musicis oblectantur, & cantores aliquorum fortitudinem & res gestas accinentes libenter audiunt, sed virtutes quas illi laudibus efferūt imitari recusant: sic isti recreationis solummodo causa te audiunt, corde autem obdurato consilia tua penitus contemnunt. Talis Pharao, cui lubentia erat videre miranda facinora quæ Moyses patrabat, & audire dulciloquas voces quas Aaron dicebat, dicis & moris non amoris ergo. *Non vult dimittere populum meum*, ita aiebat Deus, etiam in signis & portentis. Tales auditores & illi, quibus verba Prophetarum facta erant in canticum, & quasi sonum alicuius cytharæ. Tales & nunc permulti, qui ideo concionatores audiunt, vt eorum mulceantur eloquentia, non vero vt flectantur doctrina, qui vt apes saturæ multa percurrētes, nec flores iam decerpentes, sed eos quoque intactos relinquentes, sic isti flores tantum curiositatis requirentes, neq; ex his mella intimius recondita degustantes, aut in succum vertentes. Væ sani, qui non meminerint se *Terram reprobam, & maledicto proximam proximè vocari.*

Vos itaque præsentes, *hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Aliquando iam audistis vocem illius per Moysem, & obdurastis corda vestra. Per præconem locutus est, quando obdurastis corda vestra: per se nunc ex labijs nostris loquitur, mollescant corda vestra. Expandite sinus animæ, ad seminationem eius, *suscipite insitum vobis verbum quod saluare potest animas*, in corde abscondite eloquia Dei, nec alicui malæ volucri reuelate. Si non retegitis, si refouetis, & frequenti rore lachrymarum aspergitis, si Diuinos influxus recipitis, multiplicabit ille fruges iustitiæ vestræ, Sanctus Samgar viuens in secula, Amen.

Iacobi 1. Matth. 13.

CONCIO III.

Et aliud cecidit inter spinas & simul exorta &c. Luc.8.

Qui fiat, vt Diuites, raro referant fructum ex verbo Dei?

CONDITOR rerum Deus, ideo vel surculos vel semina reliquit omnibus in prima productione, vt omnia fructificarent, neque vllum omnino sterilescens remaneret. Ideo etiam verbi semen in agro Ecclesiæ, & seminauit, & reliquit, ne germina sanctificationis deficerent, sed in dies succrescerent. Si id fecit? cur illud semen quod in corda diuitum cadit, vel nunquam, vel raro profert fructum? Occasione hinc sumpta in abusum diuitiarum inquiremus.

Terra si auida seminis fructificat. *Religiosum est*, inquit Plinius, *colonis augurium, cum ager auidius accipiat semen, tunc enim esurire, comesse, & post vberius fructificasse creditur* & videtur. Iam inde causam habeo primam, cur diuites vel nunquam, vel raro fructum referant ex verbo Dei. Quod enim videtur in spinoso agro, quia ille nec esurit, nec comest semen, ideoque non, vel raro, vel id parum fructificat: hoc est in diuitibus; quibus illud vulgatum, solens in ore: *O ciues, ciues, quærenda primum est pecunia: Virtus post nummos*, & propterea nulla vel modica esuries verbi Dei. Bene in eos dixit Paulus. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli.* Tentationem cum audio, in quam cadunt qui ditescere cupiunt, audio ab illis orationem Midæ, potius quam Christi ingeminari. Diuitiarum amore incensus ille, nihil aliud à Dijs flagitabat, quam, *quod manibus contingeret, aurum esset*. Sic & isti.

Ideo auari diuites nõ fructificãt, quia non auari verbi.

1. Tim. 6.

Sed auri.

Expresse Satyricus.

--- *Diues qui fieri vult,*
Et cito vult fieri ----

addo, *& per nefas vult fieri*, huic maxima tentatio, cum quiduis aliud potius cogitabit & curabit, ex quo corradat aurum, quam vnde mereatur cœlum. Nox illi insomnis, horæ ad auri clepsydram expensæ; otia, negotia, negotiationes auro destinatæ: Scyllæ, Charybdes & Syrtes enauigatæ, omnia terræ & maris pericula propter aurum deuorata: virgo terra, Oceanus intactus conchylia clusa, mõtes inaccessi, accessi, reclusa, sulcatus, temerata idque auri causa: iura non iura, sanguis non sanguis, amicitia non amicitia. Sacra non sacra, natura denique non natura est huic, qui *cito vult fieri diues*. Hinc habeo in diuite & negligentiam salutis, & diligentiam nummi, quę maxima indicia sunt illum non modo non esurire, ideo fastidire semen verbi.

Propter quẽ illis iura nõ iura.

Dixi, huic, qui *cito vult fieri diues, iura esse non iura*. Quæ requiris? Gentium? Dabo in Tiberio Cęsare, qui Vonosum Parthorum regem ad se confugientẽ, propter opes quas ingentes secũ attulerat, interemit. Vis ciuilia? idem Tiberius se ostẽtat, qui Lẽtulũ à vitæ modestia laudatũ, postquam eum hæredem scripserat, nec nõ & Lepidam fæminam ab innocentiæ laude clarissimam, postquam ope eius hęreditatem Quirini assecutus est, propter aurum necauit. Itaq; cum Lentulum occidisset, & spe alterius hæreditatis, innocentẽ fæminam damnasset, ac propterea Regem, qui sub fide ad eũ se receperat, spoliasset interemissetque; cum ipse maiore Orbis terrarũ parte potiretur, satis intelligi potest, auaritiæ, iura esse nõ iura. Vis adhuc? ostendo, huic nulla esse, tam sancta iura, quæ non iura? Dabo iura amicitiæ, quæ auaritia temerauit. C. Gracchus familiari suo Septimuleio caput abscindere & per vrbem palo infixum ferre sustinuit, quia id Opimius Consul auro id se repensurũ edixerat. Sunt qui tradunt, liquato plumbo eum cauam partem capitis, quo ponderosius esset explesse. Insuper dabo iura amoris patriæ, quæ auaritia violauit. Demonica Duci Gallorum Senonum obsidenti Ephesum, mercede monilium in prædam prodidit. Dabo etiam iura sanguinis, quæ auaritia pessumdedit. Nam scio filios parẽtibus annosis venena miscuisse. Vidi fratrum germanorum dexteras, in inuicem non semel armatas fuisse. Porro quis fraudes, dolos, litigiorũ textrinam,

Gentium.

Ciuilia.

Amicitiæ.

Patria.

Sanguinis.

nam, odia implacabilia, cædes quotidianas inter cognatos & agnatos recensere sufficiat? *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* Audi quid alter scripsit. *Non uxor saluum te vult, non filius, omnes Vicini oderunt, noti, pueri, atque puella.*

Sacra. O si ego, vestra excutio. Sed---- Auaritiæ etiam Sacra non Sacra. Habeo in scripturis Sacris Heliodorũ & Antiochum, neque à templo Sacrato abstinuisse. Auaritiæ deinde, nulla, sepulchra clausa. Nam Darius sepulchrum Semiramidis propter aurum ingressus est. Vespillonum autem non nemo est qui non penetret, vix vsque ad inferos, propter aurum. *Sepulchralia.*

Natura. Nisi proditum esset à scriptoribus incredibile esset quod auaritia, etiã in visceribus humanis aurũ quærit. Tito Hierosolymas obsidẽte reperti sunt, qui Hebræos aurum glutientes, ferro diuiderent inque intestinis eorum aurum scrutarentur. Duo millia ab hac auri ingluuie cęsa, plures fors cecidissent, nisi Titus graui proposita pœna, eam rem interdixisset. Parem sæuitiam ex immẽsa auaritia, exercuerunt Balduini Hierosolymitani regis milites in Turcas, quos deuicta Cæsarea, in ea vrbe cæperunt. In eis enim habendi insatiabilis cupiditas pudorem eũ vicit, qui iure in eo bello seruandus erat, quod sub religionis titulo, non acquirendi cupiditate Balduinus gerebat. *Viscerum.*

Sed quid si ostendo, quia auaritia, in ipsum Congeronem cruda? Prodeat Ptolemæus Rex Cypriorum, qui anxijs sordibus cum magnas corrasisset opes, propterque eas se periturum videret, ideo omni pecunia imposita nauibus, in altum processit, vt naue perforata suo arbitrio periret, vtque hostes præda carerent, itaque non sustinuit solum mergere aurum & argentum, ipse se cum eo demersit. De altero quodam Ausonius reliquit.

Qui laqueum collo nectebat, reperit aurum
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum.
Aptauit collo, quem repperit laqueum.

Dei. Sed audite maiora, quę tentat auri fames. Nec Deo parcit. Iudas quid ille discipulus, minister, amicus, Apostolus, Oeconomus, Magistrum, Dominum, Amicum, Deũ, vili precio in mortem tradit. *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?*

Non mirum. Ferale genus auaritia, imo plusquam ferale. Quæ fera in parentem sæuit? Quæ læa in Deum vnquam fera? Sæuit auaritia, quæ nec Ciuem, nec amicum, nec familiarem, nec innocentẽ, nec pudicam, nec beneficum, nec patrẽ, nec matrem, nec agnatum, nec cognatũ, nec Sacra, nec sepulchra, imo nec naturam, quin nec auarum, quinimo nec Deum agnoscit, ibique & in Sacro & in prophano, & in sepulchro, & in viscere, & in Dei sanguine, aurum quærens. *Feralis auaritia.*

Qui itaque volunt diuites fieri, conijciunt se in magnam tentationem, vnde per fas & nefas acquirendi.

Chilon percontatus, *quid essent diuitiæ?* respondit: *Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppeditatio.* Vere & ex tripode. Nam propter illas furta, cædes, Sacrilegia, & quæ non? Socrates cum vidisset quendam prædiuitem; ad rem intentum, dixit illum esse, *aureum mancipium*, quod scilicet seruus esset, non minus eorum quæ conquisisset, quam cupiditatum. *Thesaurus malorum. Apophtegmata Chileonis & Socratis.*

Veteres Ægyptij, cum diuitem diuitiarum auarum innuebant, *IGNEM Perpetuum* pingebant. Nam vt ignis cum ligna quæ acceperit consumat excrescit, & vnde videtur ad momentum flamma restingui, inde paulo post cernitur dilatari. Sic in diuite, crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, vt ignis quæcũque peruaserit exurit, nec domesticis, nec vicinis, nec regijs, nec sacratis ædibus parcit: ita & amor nummi. Ferunt ignes quosdam aquis accendi, pluuijs foueri, fæno & terra extingui. Nam in Chymera monte ignis est qui aquis accenditur, terra fænoque extinguitur, vt author est Plinius, is mons est in Pharselide Lyciæ, immortalisque diebus ac noctibus eius flamma flagrat. In Lyciæ quoque Hæphestijs riuis, lapides tæda flammãte tacti, *Inexplebilis. Lib. 2. cap. 106.*

tacti, quin & arenæ ipsæ in ipsis aquis ardent, eodem auctore, qui hūc illum ignē pluuijs ali tradit: quin si quis baculo ex eo accenso traxerit sulcos, riui ignium sequuntur, vt ille eodem loco testatus est. Is est amor auri, quo qui ardet, & si in eius fundo flumina oriantur, & varijs longisque circumducta lapsibus, in eiusdem possessionis mare abeant; & si ei aurum ab Ioue de cælis pluat: quo magis aureo imbre perpluitur, magis ardet flamma habendi, & quod super illos est ignes, & si congerant terminos terræ, iungant domum domui, agrum agro, quo plus acquirent, plus requirent, neque fænore agri, neque ipsa satis superque aggesta terra potest iste ignis cupiditatis extingui.

Bene hic adiecero quod est in Psalmo.

Psal. 117. *Exarserunt sicut ignis in spinis.* Ignis in spinis si quando exarsit, tamdiu ardet, quādiu ex rhamno superest quidpiam. Sic & diuites qui philargyria succensi, tamdiu feruent amore habendi, quamdiu in mundo supersunt.

Sed Orphycos videamus, qui etiam non prætermiserunt, ne symbolum aliquod talibus non adsignarent. Diuitem itaq; in *Tantali imagine*, pingebant. Vt enim hic apud inferos in medio aquarū gurgite, siti excruciari fingitur, & aquas præterlabentes ora & vola captare.

Imago auaritiæ, orphica.

Sic ille qui in barathro auaritiæ persistit, cupidine diuitiarum quibus affluit exæstuat, & quo maiores illi adlabuntur, eo feruentiore deflagrat ardore. Sic Lyricus.

Tantalus à labris sitiens, fugientia captat,
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te.
Fabula narratur, congestis vndique saccis,
Indormis inhians, & tanquam parcere Sacris,
Cogeris aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Alij sub simulachro *febrientis* Diuites collocare pergunt. Quemadmodum enim qui continua febre vexatur, etiam si mille fontes imbiberit, tamen quia satiari bibendo non potest, paruam inde percipit voluptatem: Sic isti, non modo non quiescunt adipiscēdo, verum etiam quia huius cupiditatis nullus terminus est vehementer cruciantur. Hinc requiro. In tot tentamētis cupiditatis, posse esse esuriem verbi Dei? In tot illectamētis, censes aliquem diuitem cupere esse frugi? Ego vix, aut ne vix credo. Auarus enim, primo sermonem Euāgelicum, vt aliquē apologum audit. Deinde si quid ex concione vtilitatis acceperit, mox aureo fulgure scintillante negliget, & post omnia ponet. Christus iubebit, *Da pauperibus?* Quomodo dabit, cui volupe pauperes deglubere? Christus præcipiet, *Redde quod debes?* Quomodo reddere promptus, cui rapere opus? Deus edicet. *Inferte decimā?* Quomodo decimā feret, qui decimare paratus? Christus monet, *prius quærite regnum.*

Ideo vix possibile auaros saluari.

Qua ratione requiret prius cælum, cui in animo & in manibus charius cænum? vere, vere, *qui diuites volunt fieri, incidunt in magnam tētationem, & in laqueum diaboli*, ne esuriant verbum Dei, quod si nec esuriunt, nec recipiunt, si non recipiunt, non vllum fructum ex eo proferunt. Si vero aliquod minutū casu aliquo suscipiunt, quia non auide suscipiunt, parum ex eo fructus proferunt, quem tamen exortæ spinæ accensæ, & laqueus diaboli iniectus, enecant, & præfocant. Ex diuitiarum enim amore succrescunt omnes peccatorum aculei, discordiæ, lites, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallaciæ, fraudes, furtum, rapina, peculatus, Sacrilegium, fæneratio, depilatio pauperum, latrocinia publica, insessus viarum, iudiciorum corruptela, & quod his acerbius, parricidia, Deicidia, & quicquid non talium homines eiusmodi audent? Recte siquidem ab eodem Paulo dictum est. *Radix omnium malorum est auaritia.* Recte 1. Tim. 6.
& à Saluatore nostro delineatæ sunt diuitiæ, sub typo spinarum. Vt enim spinæ serpentum & viperarum latibula & originationes sunt; sic diuitiæ serpentis antiqui draconis cubile delicatū merito cēsentur, in quibus ille sublatens, quos non morsus venenatos auari animæ infigit? quæ non venena peccatorum diffundit?

Diuitiæ cur spinæ dictæ.

Stimu-

Stimulat in primis hominem, vt in serpẽtem quoque transeat, cui maledictum iã statim ab origine dictum. Super terram gradieris, terramque comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Nam omnes quicunque tales, *Statuerunt oculos suos declinare in terram.* Accendit deinde & vipeream cupiditatem in homine, vt commodi cuiusque gratia, neque etiam materno parcat vtero, sed in viscera quibus tegebatur atque nutriebatur desæuiat. Quotæ Matres à Filijs, vix non in xenodochia ab amplis possessionibus, abactæ? Deducit insuper ora talium, vt fauces draconis, vt exacuato dente non neminem petant. Et ad eum modum diuite instituto, putabis in illo verbi Dei semen, in magnas virtutum segetes excrescere posse? Qui cuncta rapere destinauit; qui à nullo sibi scelere temperandum esse proposuit; qui sibi omnia, & dicere, & facere, & licere, & clepere, & accipere, & propterea, nec Patri, nec Matri, nec naturæ, nec Deo denique ipsi parcere statuit, talem abstinentia, iustitia, pietate, clementia, misericordia, aut alijs consectaneis virtutibus informabis? Æthiopem lauas, Coruum inalbas; Leonẽ exungulas & edentas, ignem lignis saturas, infernum inexplebilem exples. In summa. Mira Miracula facis.

Ideo vix possibile auaros saluari.

Ex horum consortio vni, necdum seni, sed adhuc dũ adolescẽtulo, formari apto præsertim à tali Magistro, dixerat Christus, *Vade, vende, da, meq; sequere.* Ille licet tot miracula à Christo patrata vidisset, cæcos illuminatos, claudos ambulones, mortuos viuentes; licet non exiguã beatitudinem talibus promissam; centuplum sedes cœlestes, Regna supera audisset; tamen abijt tristis. Tenaces diuitiarum spinæ, arcte hærentem detinebant.

Pro miraculo esset, si quis camelum gibberum, per foramen acus traduceret? Posset, is qui fide magna prædictus foret. *Facilius tamẽ est* vt dixit Saluator camelum illac transire, quam diuitem per portam angustam, ad regnum cœlorum. Miseri, qui nec in senectute quidẽ, capaces sunt verbi, qui tunc magis si quando, rapaces auri

Tim. 6.

...iuitia ...r spinæ ...cta.

Auaritia enim cum annis crescit; & quamuis senio subeunte, corporeæ vires decrescant, habendi tamen cupiditas ipso tempore magis augetur. Scit serpens senecta grauatus leberidẽ exuere; scit ceruus ætate grauis ramos corneos deponere; Senex etiã in agone positus scit rapere. An Ciuem illum Lublinensem audistis, qui ex prædio reuertens, in via lata ab apoplexia correptus, in eaque reptans, terram raptabat, & ori pro auro ingerebat, tamdiu donec expiraret?

Auar. aliquot in exemplum.

An illum alterum Cracouiæ meministis, qui moriens, aurimyriones in tabula lecto apposita ad se glomerabat? Proh eo tempore, quo iamiam reddituri erant rationẽ rapinę, vsurę, iniquitatis, his expleri cupiebant, nihil pensi habẽtes eius quod non tam ex Psalmo, quam ex vsu viderãt, *Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarũ in manibus suis.*

Psal. 75.

Quanto melius erat, primum quærere regnum Dei, & iustitiam eius, quam hæc adiecta? *O vanitas, vanitatum.* Hunc versiculum si saperent, qui tam auide in diuitijs corradẽdis versantur, in parietibus omnibus, in foro, in domo, in ianuis, in ingressibus, & in vestibus suis scriberent, & ante omnia in consciẽtijs suis, vt semper tum oculis cernerent, tum corde sentirent; quia pro cæno cœlum, pro vmbra lucem, & pro nihilo, terram desiderabilẽ reliquerunt, occasionẽque ex verbo Diuino fructificandi, atque sempiterna illa promerendi causam neglexerunt.

Audistis quod illi *qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Æthiopes aureis cathenis vinciunt sontes: Dæmon quoque suos vernat. Vidistis quas enumeraui tentationes, & laqueos. Laqueum fugite, tẽtatione hac improba ne vos tentari finitote: percepistis deinde *religiosum esse augeriũ colonis si ager auidius accipiat semen.* Sancta quoque auiditas ista vos habeat, si cupitis non cum diuite horrea dilatante in inferno contorqueri, sed cum iustis diuitibus Abrahamo, Isaac, & Iacobo in cælestibus collætari, Amen.

DOMINICA QVINQVAgesimæ.

Cæcus quidam sedebat secus viam mendicans, &c. Luc.8.

CONCIO I.

Vnde cæcitas animæ?

DAVIDI pergenti Hierosolymam, vt eam sui iuris faceret, dictum olim erat à Iebusæis. *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes, non ingredietur Dauid huc.* Ideoque vt est in historia, *proposuerat in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos, odientes animam Dauid.* Christo autem pergenti ad eandem Ciuitatem vt illam cruore suo irrigaret, iniunctum fuerat, *posui te in lumen gentium, vt aperias oculos cæcorum, & aures surdorum patefacias*, ideoque, vt est in Euangelio, si cui alteri operæ vacabat, huic præcipue vt illuminaret sedentes in tenebris, & in vmbra mortis defixos illustraret. Illuminauit hodie vnum ex illis, magis in anima quam in corpore, quia hæc cæcitas externa ab illa interna deriuabatur. Illa autem interna, vnde? Occasione istius cæcutientis inuestigabimus, *vnde sit cæcitas animæ*, à qua plurimi laborant. — 2.Reg.5.

Vt ex visibilibus rebus, ad inuisibilia adsurgamus, video, inde esse animæ cæcitatem, vnde etiam est corporea. Cæcutit aliquis corporaliter, 1. vel quia cęcus natus, 2. vel quia videns natus luce externa destituitur, 3. vel si perlustratur, tamen propter albuginem, vel sanguinem, vel aliquem alium adcretum seu adfluentem humorem lippit, 4. vel si non lippit, tamen aut puluere aut cautere exoculatur. Inde etiam anima cæcutit suo respectu. Sed singula diduco & expendo; vos attendite.

1. Cæcitas à natura. Cæcutit aliquis, quia cæcus natus? Hinc cæcutit omnis anima creata, quæ producitur *tãquam tabula rasa in qua nihil est depictũ.* Nemo hic de sua sorte quęratur, quod non statim aspiciat Diuinum lumen, ad cuius respectum de cæcitate spirituali mihi sermo. Nam postquam neque Angelos, neque bruta nos formare voluit, ille qui *omnia quæcunque voluit fecit*: nihil iustæ quærelæ habet homo, si non statim videat *admirabile lumen*, quod Angeli in primo momento suæ creationis aspexerũt. Paulominus tamen ab Angelis, cum Dei sapientia, minoratum fecerit hominem, potestatem ocularem ei indidit, vt si Diuina lux ei accesserit quæ & eleuat, & viuificat, & videntẽ facit omnem videntem, possit ad tantam altitudinem firmamẽti cælestis euolare, vt & Angelos ipsos docere possit. Audio siquidem quid Paulus dixerit de seipso. *Mihi omniũ minimo data est gratia, illuminare omnes, quæ sit œconomia Sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus, per Ecclesiã, multiformis sapientia Dei.* Itaque Paulus gaudet habere discentes à se Angelos? Plane gaudet & gloriatur, tantum enim posse concessum homini, vt possit & Angelos docere, ille qui cęcus natus. Non mirum, nam & cęcus natus quẽ Christus illuminauit, scribas & Pharisæos docebat, qui in lege & Prophetis docti. — Ephes.3.

2. Cæcitas à traduce. Cæcutit aliquis videns natus, quando luce externa destitutus. Lumine enim vel à Sole, vel à Luna, vel à Lychno opus, quod & aërem, & obiectas imagines illustret. Hinc etiam omnis anima creata cęcutit, quia interiori gratiæ lumine destituta. Equidem verum est, quia in Patre Adamo gratiam illi inditam vidente non cæco nato, videntes nos quoque in eo decimati, nati fuissemus: Sed si non oleum illuminationis effudisset, & lampada nõnihil adfregisset. *Si enim delibatio Sancta est? & massa, & si radix Sancta? & rami*, vt docet Paulus. Cęterum cum & vultũ à lumine increato auertisset, & balsamum illuminationis effudisset & *ignem de excelso in ossibus* eius succẽsum extingui passus est, insuper & lampada mentis acutũ cernẽtis, nõnihil & illuuie peccati sordidasset, & à casu quẽ cecidit adfregisset; nihil habe- — Rom.11.

habemus quod de conditore quæramus, si & lumine ipso interno gratiæ destituti, nascimur, quod Paulus ait, *natura filij iræ*, & tenebrarum non lucis. *Per vnum enim hominem peccatum, & per peccatum mors* animæ, quæ animam vt alijs internis sensibus, sic oculo ad Diuina respicienda orbat. Æthiops enim nonnisi æthiopem, leprosus leprosum, & cæcus nascens canis, nonnisi cæcutientes catulos gignit, & nemo dat, quod & sibi, & vniuersæ posteritati, non seruauit. Tamẽ pro magnitudine bonitatis suæ Deus, adest non nemini, *vt illuminet omnem hominem, venientem in hunc mundum. In ipso enim vita erat, & vita erat lux hominum, vt* Ioãnes scripsit. Itaque cum & ipse sit vita & ipse eadem vita sit lux hominum, & omnes quotquot viuimus, mouemur & sumus, *in ipso viuimus mouemur & sumus*, eo quod viuimus mouemur, & sumus, luce interna siue à magnitudine creaturæ obfusa, siue à luce Euangelij per orbem diffusa, siue ab eo quod *signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, vel in baptismo, vel in aliquo alio radio Stellæ recens scintillantis, illuminamur, vt *in lumine* Dei, *lumen* Dei *videamus*.

Omnes illuminat Iesus.

Verum hoc loco (*ita Chrysostomus*) infidelior quis opponat, cum audit Paulum de cœlo vocatum & illustratum, atq; dicat. Cur me etiam non vocauit è cælo? Vnde autem manifestum est tibi, ô homo, quia Paulum vocauit de cælo? Sed credis istud, ergo si credis? hoc ipsum tibi ad signũm satis est. Si vero non credis, quia è cælo Paulum vocauit: quomodo dicis, cur me etiam non vocauit? Credis quia ille vocauit? hoc ipsum tibi, *vt dixi*, abundat ad signum. Crede etiam. Nam te quoque è cælo vocat Deus, si habes animam ad obediendum paratam.

Hom. 4. de laud. Pauli.

Hinc habeo certissimum argumentum, illuminationis internæ. Cum enim *in omnem terram exiuerit sonus*, & olim in lege naturæ, *Sanctorum*, qui ad lumen naturæ, lumine fidei illustres, & postea in lege, scripta, *Prophetarum*, qui geminato radio per scripturam longe clariores: & in fine sæculorum gratiæ, SS. *Apostolorum*, qui à splendidissimo Sole iustitiæ, trino radio illustrissimi, in fines orbis terrarum, fulgurationibus fidei mirabiliter illuxerunt: ita vt nulla iam sit natio sub Sole, quæ hunc Solem nesciat & luxisse, & lucere, suffecerit istud ad damnationem omnium tenebrarum, *in* quibus *ista lux lucet, quia tenebræ eam non comprehenderunt*.

Pythagoras quidem, *in omni Diuino sermone, lumen haberi mandabat*. Hoc significato videlicet ne de Deo, sine Deo vel cogitarent, vel loquerentur mortales. Sicut enim Sol non videtur nisi in lumine Solis, sic Deus non cognoscitur, nisi Diuino lumine, & quatenus ipse per radium suum (vt Dionysius ait) sese nobis insinuauerit. Cæterum hoc lumen fere non nemini exerit. Audiamus etiam ipsum Gentilem. *Non sunt Dij fastidiosi*, ait Seneca, *non inuidi, admittunt, & ascendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit, immo (quod proprius est) in homines venit. Nulla sine Deo, mens bona est. Semina in corporibus humanis Diuina dispersa sunt: quæ si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt, & paria his ex quibus orta sunt surgunt.* Similia sunt ista his, quæ habemus dicta à nostris, scilicet à Paulo, qui ait, *quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Hinc mihi se insinuat ipsissima causa cæcitatis spiritualis, quam ab euanido oculo mentis elicio.

Pythagoræ Symbolum.

Cæcutit aliquis, vel quia lucem videre contemnit, vel quia nimis videre contẽdit? cæcutiunt omnes qui euanuerunt in cogitationibus suis, vel quia *rebelles fuerunt lumini*, vel quia nimis scrutatores luminis. Quemadmodũ solaribus radijs nemo clausis oculis frui potest; ita neque huius claritatis particeps abunde vnquã fuerit, nisi animi oculum ad eam dirigat, & intendat, tunc enim quocunque se vertit, facilis ei prospectus patebit. Satis radiorũ Pharaoni ab illa Luna, virga in serpentẽ deformata, manus depetigine maculata & emaculata, serpẽtes comesi, aquæ rubri-

3. Cæcitas à cõtempto lumine.

rubricatæ, segetes percussæ, primogenita occisa, & tot alia à Moyse edita signa, quia tamen oculos auertit, nec lumen istud in tenebris palpabilibus aspicere voluit, sibi ipsi deputat, quod in profundam caliginem descendit. Satis radiorum Herodi, & Hebræis ab illo Sole, stella recens insoliti fulgoris, Magi ab ortu venientes, vina ex aquis demutata, cæci illustrati, claudi in pedes erecti, Dæmones eliminati, mortui ad vitam redanimati, & innumera alia à Christo patrata miranda, quia tamen *Deo dixerunt: recede à nobis, scientiam viarū tuarum nolumus*, & *quia lux in tenebris lucebat, & tenebræ eam non cōprehēderunt*, sibi ipsi assignãt, quod *cæcitas ex parte Israël cōtingat.*

Rom. 11.

De nostro Sole cum oriens nomē præ-dixit Sapiens. *Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis obcæcat oculos.* Nimirum, hos qui nimium intenti. Itaque qui sicut visibile astrum impense aspexerit, excęcatur: sic & omnis, *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Moyses nonnisi per transennam vertebræ, audet aspicere hunc solem. Elias inuolutus pallio, per sibilum auræ tenuis, conijcit, istum radium. Israëlitæ in Moyse refulgens lumen, neque audent contueri, nisi per velamen obductum. Quinimo & ipsi Beati spiritus duabus alis velant faciem Dei, nec reuelare præsumunt, scilicet, omnes quotquot vnquam oculos attulerunt vel attollunt, ad videndum trinuno radio radiantem Solem, nonnisi in speculo & in ænigmate cōspicuum respiciunt, qui impendio scrutantur, cum dispendio luminis scrutãtur. Tales cæci gentiles, *qui euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se sapientes esse, stulti facti sunt*, quia Crucis prædicationem *stultitiam* reputarunt. Miseri, qui suorum exemplo non docti; ne essent temerarij aspectores luminis. Legerant plurimos suorum, orbatos fuisse lumine, quia curiosi in Sacra. Thyresias Thebanus ideo excæcatus fuisse dicitur, quod nudam vidisset Mineruam. Polizelus Atheniensium Dux aduersus

Expl. loc. Ecclesi. 43. 4. Cæcitas à præsumpto lumine.

Datem Persarum præfectum pugnans, cum quendam humana specie augustiorem in ipsa acie vidisset, cæcus factus est. Thamyras Trax poëta, quod cum Musis certare ausus, oculis & lyra priuatus. Q. Metellus, eo quod Sacra ex incendio ædis Vestæ rapuit, oculis captus est. Si Lucifer deciduus, curiosos deformatæ lucis spectatores, exoculat; quid nō supremus Sol qui Luciferum olim collustrauit? Si deriuata & iam obscurata lux scrutatores tenebrat; quid *emanatio claritatis Omnipotentis Dei sincera*, non tenebrabit eosdē? Si ille qui *se transfigurat in Angelum lucis*, inadspectabilis est oculis pætis, quid Angelus ipse testamenti, qui tanquam Sol lucet in virtute sua? Quamobrem & Balaam procidens ad ortum stellæ orientis ex Iacob, *clauso & obturato videbat oculo.* Sic enim de ipso scriptum est. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.* Sponsa quoque nonnisi *in vno oculorum vulnerauit* dilectum. Dauid quoq; referebat de seipso dicens, quid? *defecerunt inquit oculi mei in eloquiū tuum.* Qui oculi? quomodo defecerunt? Oculos intelligo, non corporis, sed mentis, de qua etiam dicebat ante. *Defecit in salutare tuum anima mea.* Itaque & anima, & oculi animæ in Dauide defecerãt, cum orabat, *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam.* Quid est defecerant? Quemadmodum oculi corporis deficiūt à lumine quod nec diu aspicere, nec intus penetrare possunt, victumque hominem ostendunt, quando cæcutit à radio, sic & oculi animę caligantes à lumine Diuino, si illud ad minimos athomos peruidere quærunt, & quemadmodum qui à longinquo aliquem dilectum venientem, vel etiam de nocte, in caliginoso aliquam scintillam ignis emicantem cōspexerint, si diutius inconniuenti oculo properant videre, specie illa vel amici vel scintillæ variante, minus quã ante discernunt, atq; adeo oculis deficere dicuntur: sic non apparentia illa Cælestia amica lumina, quæ tanquam scintillæ in arundineto nobis præ-

Exoculant à lumine, qui.

Expend. loc. Psal. 118.

præsentantur, quo magis aliquis optat & tentat discernere, defigurabūt se eius ob tutibus: ipse vero maiestatis scrutator, à gloria castigabit. Inter aues aucupij haliećtus non ignobilis censetur, propter acrimoniam oculorum, quibus & in aëre volucres vel sub sydera elatas, vel sub algis in aqua latentes adspicit, tamen aucupes timentes, ne vis illa visiua nimio aspectu eneruetur, caputiolio solent obnubere illorum oculos. Magis istud caputium necessarium animæ quæ optat, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* ne à fulguratione inadspectabilis luminis cæcutiat. Sed alios cęcutientes videamus.

1. Cæcitas à peccato. Cæcutit aliquis ab intrinseca aliqua causa, scilicet aut à sanguine, vel ab albugine, vel aliquo alio humore adcreto, siue etiā affluente. Sic & anima vbi laborare cæperit, vel sanguinolentia iræ, vel albugine concupiscentiæ, vel inflammatione superbiæ, necesse habet cæcutire. Quidam in Apocalypsi nimis se iactabat ab opulentia donorum. Huic tamen statim improperatum est. *Miser? Dicis quia nullius egeo? Tamen nescis, quia tu es cæcus, & miser & miserabilis?* Tales fere Iudæi, qui Christo veniente cum nimium sibi acutum cernere videbantur, tamen cæcitate & amentia laborarunt.

Polychronius præsumit mortuum suscitare. Talis ille discipulus Macharij Polichronius. In Synodo iussus exponere fidem suam, exhibuit chartam, in qua erat sententia Monothelitarum scripta. Asserebat autem, se impositurum eam mortuo alicui cadaueri, eoque resuscitato se demonstraturum virtutem veritatis. Synodus consentit, vt charta mortuo imponatur. Idque facit ille in publico conuentu. Expectatur mortui resurrectio ad multas horas. Polychronius insusurrando in aures cadaueris, nihil efficit: ac tandem cōfitetur, se non posse mortuum excitare. Synodus iubet eum à falsa sententia recedere, & veram amplecti. Sed is obstinato animo fuit adeo, vt diceret *se cum præceptore Macario episcopo Antiocheno malle errare, quam cum Orbe vniuerso recte sentire.* Ideoque dictus nouus Simon, quia phantasmate voluit mortuos suscitare.

Exoculati à lumine, qui. Excommunicatus, in cæcitate perseuerauit. Tales etiam fere omnes, qui sibi in oculis videntur esse *Saperdæ*, tamen nihil aliud sunt quam *copreæ*, & qui lynces se esse putant, monstrantur talpæ, de quibus etiam illud possumus vulgare, vulgare. Solem in meridiano lumine, vespertiliones vident. Alij sunt quos furor excæcat: in quos recte vsurpaueris, aliud à Psalte mutuatum. *Super cecidit ignis, & non viderunt Solem.* *Psal. 57.* Alios demum exoculat albugo concupiscentiæ, non minus quam illos Ciues vnius ex quinque Ciuitatis, & vt summarie dicam, alios fere omnes, *excæcauit malitia eorum*, vt neque matutinam mysteriorum, neque vespertinam præceptorum lucem aspiciant, magis plorandi, quam in hoc theatrum producendi, & adhuc magis plorandi, quod suam cæcitatem non vident. Quid enim eiusmodi, an non plorandi, qui potius homones, quam homines? An homines illi qui contra hominem viuunt? Sed audite Senecam; Quibus à vino, epulis, peruersis vigilijs, in quibus non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt, non speciosior, quam morbo pallentibus color, & in viuis caro morticina est, hoc in eis minimum dixerim malum. Tanto plus tenebrarum in animo est. Ille in se stupet, ille caligat, inuidet cæcis. Quis vnquam oculos tenebrarum causa habuit? Interrogas, quomodo hæc animo prauitas fiat, auersandi diem, & totam vitam in noctem transferendi? Volebam in luxum præsentis temporis quo Christo relicto, litatis Baccho, aliquid ex Gentili dicere, sed ---- Sed ad cæcos reuertor, qui ab aliquo humore redundante vel adsito cæcutiunt. Tales tanto adhuc magis plorandi, quanto magis prouocant in se Dei vindictam, vt lumen suum ab eis auertat. Namque auertere solet. Satis superque luminis sparsit illis qui orabant, *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Cæterum quia *Luc. 1.* & rebelles fuerunt lumini, & multum *Expl. loc. Psal. 68.* sangui-

Expend. loc. Psal. 118.

ſanguinem, albuginem, aliaſque ſordes aggreſſerant ſibi in oculos, nec vellent aſpicere lucem quam tam ardenter præoptabunt: ideo iuſto Dei iudicio quod olim Prophetauerat non optauerat Dauid, *Obſcurentur oculi eorum ne videat, & dorſum illorum ſemper incurua*, impletũ eſt. Chriſto ipſo dicente, *in hoc*, inquit, *veni in mũdũ, vt qui non vident videant, & qui vidẽt cæci fiant.* Nam & Deus ipſe præceperat, vt in pænam exocularentur. *Excæca*, inquit, *oculos populi huius, & aures eius aggraua & oculos eius claude. Ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur & ſanem eum.* Cauſam quæris? Aſſignauit ſuperius, cum in illos, Væ auarum pronunciauit. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum, & tamen dicitis. Feſtinet & cito veniat opus eius, vt videamus, & appropiet, & veniat conſilium Sancti Iſraël, & ſciemus illud. Tamen cum venit, dicitis malum bonum & bonum malum. Ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarũ. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & corã vobiſmetipſis prudentes.* Nos qui videntes, caueamus ne vel exoculemur, vel lippiamus; ſed magis oremus Dominum. *Illumina oculos meos Domine ne quando obdormiam in morte, ne quãdo dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.* Sed magis ego præualeſcens contra illũ, oculos meos ad te perpetuo attollam, viuentem & videntem in ſæcula. Amen.

5. Cæcitas ab exoculatione in pœnam.

Iſai. 6.

Iſai. 5.

Pſal. 12.

CONCIO II.

Cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Luc. 18. c.

Sine lumine gratiæ poteſtne homo verum videre?

AVctor tenebrarum, & ſi in hoc potiſſimum neruos intẽdat ſuos, vt oculũ vtrumq; & quo Diuina myſteria, & quo humana neceſſaria peruidemus, noſtra eruat ex mente, vbi tamẽ acres intellectus vires naturales, non facile vel labefactari vel erui poſſe perſpexerit, hoc vnum attentat, vt illam animæ alteram aciem qua Diuina contuemur, aut euellat, aut obuoluat. Id mihi inſinuant, hi qui cæcum Hierichanum *increpabant vt taceret*, ne ſcilicet lumen à luminis fonte, deriuaret, quo & miſerandũ peccati ſtatum, & filiorum Dei felicem ſortẽ aſpicere poſſet. Sine hac enim dexterioris oculi luce, etſi multa præclara, non tamen omnia, præſertim vero ad ſalutem neceſſaria, nemo cognoſcere valet, quod hodierna die demonſtrare contendo.

Facit ille cũ homine, quod olim Naas Ammonites volebat cum Hebræis. *Factum eſt quaſi poſt menſem, aſcendit Naas Ammonites, & pugnare cæpit aduerſum Iabes Galaad. Dixeruntq; omnes viri Iabes ad Naas, Habeto nos confœderatos, & ſeruiemus tibi. Et reſpondit ad eos. In hoc feriam vobiſcum fœdus, vt eruam omnium veſtrũ oculos dexteros, ponamq; vos opprobrium in vniuerſo Iſraël.* Dexter oculus, *ait Gregorius*, tunc eruitur, quando mẽs ea cæcitate percutitur, vt vltra ad videnda cæleſtia non aperiatur. Eruitur quidem oculus, quando à mente reproba, ſic lumen euellitur, vt radix ei nulla remaneat, de qua rediuiuum lumen erumpat. Hoc igitur Sathan toto ſuo poſſe molitur, vt hunc oculum quo Diuina aſpicimus eruat, & tenebrarum caliginem menti noſtræ affundat. Hinc enim facile conſecuturum intelligit, ſi hominem exoculauerit dextro lumine, illum nullo modo Diuinas illuminationes ſuſpicere poſſe. Referebat Dauid, quia *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* Ipſe reſpondet. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, quaſi diceret. Multi gentilium requirunt, vnde nobis tanta ſcientia? Quo doctore, docti, ſitire *ad Deum fortem viuum*? terrena faſtidire? nihil in cœlo præter Deum optare? Quis oſtendit nobis tanta bona, *quanta audiuimus, & vidimus, & patres noſtri narrauerunt nobis, & non ſunt occultata à generatione altera?* Scis vnde? Nõ ab oculo ſiniſtro quem terrigenæ ſtatuerunt declinare

Expend. lo. 1. Reg. 11.

Oculus dexter quid.

Sapientia lumine ſignato Chriſti. Expend. lo. Pſal. 4.

nare in terram, sed ab oculo dextro, quē lumine suo cælesti eleuauit, roborauit, & aperuit, videre, *quæ oculus non vidit*. Scis vnde? A signato lumine, quod ex vultu suo illustrato dignatus est imprimere, dū nos signaculo iustitiæ signabat, iam olim ab æterno præsignatos, Scis vnde? A signata ipsius facie, Filio, quē voluit esse lucem veram, quæ illuminat omnem. Ita enim Cyrillus interpretatur, hoc quod ex Psalmo adduximus, *signatum vultus Dei lumen*. Quemnam, *inquit*, vultum Dei Patris intelligit, cuius lumen super nos signatum est? An patet omnibus, quia vnigenitus Dei Filius, vultus Patris appellatur, incommutabilis illa *imago*, qui de se dicit *Qui videt me, videt & Patrem meū*, is in nobis signatus est? Nam conformes sibi nos faciens, & illuminationem sui spiritus, quasi Diuinā imaginem in credentibus imprimens, Deos, Deique filios per gratiam reddit, qui etiam vt Petrus dixit, *de tenebris vos vocauit in admirabile lumē suum*. Percepistis nisi fallor, quonam mea vergat demōstratio, scilicet. Veritatis agnitionem, non nisi à lumine gratiæ, in nobis prouenire, id vero & scripturæ, & rationes, & experimenta ipsa euincunt. Sacræ scripturæ testimonia, non multa vrgebo Suffecerit vnū aut alterum. Præeat Iobus, qui testatur rerum Diuinarum & humanarum sapientiam, tantam quanta est necessaria ad vitam æternam, non acquiri studio domestico, neque peregrinatione, sed neq; etiam scrutatione vestigij à Deo impressi, in hac abysso mūdi magna. Ita enim ille, *Habet*, inquit, *argentum venarū suarum principia, & auro locus est in quo conflatur, ferrum de terra tollitur, & lapis solutus calore in æs vertitur, locus sapphiri lapides eius, & gleba illius aurum. Sapientia vero vbi inuenitur?* Vbi autem non inueniatur statim enumerat dicens, *nescit homo pretiū eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentium, abyssus dicit non est in me; & mare loquitur, non est mecum, non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione illius: excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius. Trahitur autem sapientia de occultis. Vnde ergo Sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoq; cæli latet. Deus intelligit viam eius, & ipse nouit locum illius. Tunc vidit illam, & enarrauit & præparauit, & inuestigauit, & dixit homini: Ecce timor Domini ipsa est Sapientia, & recedere à malo intelligentia.*

In Ioa. li. 1. cap. 8. — *1. Pet. 2.* — *Iob. 28.*

Placet in compendium reducta proferre, quæ de originatione Sapientię D. Gregorius, hunc in locum coaceruauit. Inde enim euidens est, veritatis necessariæ ad vitam æternam cognitionem, à gratię lumine oriri. Ita enim ille explicabat.

Nescit homo pretium Sapientiæ, id est, nihil dignū æstimationi illius inuenit. Nō enim hoc sapientiæ pretium dicitur esse, & nesciri. Sed ideo nesciri, quia deest, eo scilicet loquendi genere, quo in angustijs quisque deprehēsus, cum remedium subuentionis non inuenit, fateri solet, quia quid faciat, nescit. Nescire igitur huius Sapientiæ pretium, est digni operis meritum, quo illam percipiat nō inuenire. Ad hoc namque pretium damus, vt eius vicem quam appetimus, possidere debeamus. Quid autem nos dedimus, vt hanc sapiētiam quæ Christus est percipere mereamur? Testatur Paulus, priusquam mēs illius, semen gratuitę veritatis acciperet, quibus sentibus premebatur erroris. *Qui prius*, inquit, *fui blasphemus & persecutor & contumeliosus, sed misericordiam consecutus sum*. Testatur pro qualibus Christus mortuus est. *Cum adhuc*, inquit, *peccatores essemus, secundum tempus Christus pro impijs mortuus est*. Qui ergo veniente luce Sapientiæ impij inuenti sumus, quid boni operis dedimus, quo accipere eandem sententiam mereremur? Huius itaque sapientiæ homo pretium nescit, quia quisquis à brutis animalibus rationis intellectu discretus est, hoc quod illuminatus est scientia non suis meritis, intelligit, nihil se dedisse boni operis, vt ad fidē veniret. Quasi enim ad percipiendam sapientiam pretium dare, est cognoscendo Deum actionis suæ mercede præuenire.

1. Sapientia non ex meritis.

Hinc euidens est, veritatis supremæ scien-

ſcientiam, neque à natura homini inditam, neque ex meritis præuenientibus datam, ſed ab ipſo lumine gratiæ ſua ſpõte deriuatam eſſe in illos, qui aperte ſuã inſcitiam confitentur dicentes, Errauimus à via veritatis & lux iuſtitiæ non eſt orta nobis. Nihil adhuc meruerat Abraham, cum ſe ei Deus in Vr Chaldæorum oſtẽdiſſet. Nihil boni fecit latro in cruce quod eum benigniore radio Chriſtus aſpexiſſet. Nihil Deo contulimus nos omnes, qui vt Paulus inculcat, *gratia ſalui facti ſumus per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donũ eſt*, qui vt Iobus alibi ait, *In manibus ſuis abſcondit lucem, & præcipit ei vt rurſus adueniat, annunciat de ea amico ſuo, quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere*, ſcilicet reuelat lucem ſuam quando vult, & cui vult; oſtẽdit namq; quod nullius in terra eſt poſſeſſio ipſius, nemo enim præter eundem eſt eius Dominus, oſtendit tamen lippientibus, quia ad eam poſſint peruenire, nõ ope naturę, ſed gratiæ illuminatione. *Nemo ſiquidem nouit Filiũ, niſi Pater, & cui ille voluerit reuelare, & nemo nouit Patrem niſi Filius, & cui iſte voluerit oſtẽdere.* Sed pergo ad reliqua.

2. Sapiẽtia non eſt ex meditatione ſedentaria. *Sapientia non inuenitur in terra ſuauiter viuentium*, ſcilicet; non eſt ex meditatione ſedentaria. Ariſtoteles quidem dixit, *Animam quieſcentem doctam*, verum, ſi lucerna ſuperni luminis adſit. Deficiente hoc lychno, oleum & operã perdit, quiſquis notitiam veritatis Diuinæ quærit. *Eccleſ. I.* Qui apponit ſcientiam, apponet & dolorem, quia quanto plus tentabit ſcire, tanto plus dediſcet, eritque velut ille qui labyrinthũ ſine filo ingreditur, *in quo properantes ipſa implicat velocitas*, vel qui Cymerias tenebras, ſine thæda pererrat, in quibus inerrantes ipſa abducit progreſſio quo ſublimiora cogitabit, eo magis deficiet. *Accedet homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus.* Ad hoc lumen quondam acceſſerat Ariſtoteles, dum initium Geneſeos legere volebat. Sed quia ſine hac lucerna, ideo magnum illi chaos viſum. *Multa*, inquit, *præclara dicit, ſed nihil probat.* Accenſa intellectus facula ſcio quam plurimos ſedentarios, hanc lucem inacceſsibilem inueſtigare? Sed quia plerumque ſine diurna face gratię miſeri; in quos non rapiuntur errores? Multus mihi hic ſermo eſſet, in voluptuarios illos, ex Lutheri vel Caluini proſtibulo, qui ſubantes vt porci, in volutabro luti quærunt aut iactant ſe plus Auguſtino, Hieronymo, Aquinate; & vniuerſa antiquitate videre. Stulti quod non intelligãt, quia *non inuenitur in terra ſuauiter viuentium*; quid inuenietur in fornicibus & luſtris, totas dies noctesq; commeſſantium? bibentiũ? vomentium? libidinantium? Baccho & Veneri libantium? &c. Sed ad alia propero.

Abyſſus & mare dicit; non eſt in me ſapientia. Abyſſum corda hominum vocat, quæ & per lapſum fluida, & per duplicitatis caliginem ſunt tenebroſa. De hac abyſſo per Ioannem dicitur, *Vidi Angelum deſcendentẽ de cœlo, habentem clauem abyſſi, & cathenam magnam in manu ſua, & apprehendit draconem ſerpentem antiquũ, qui eſt Diabolus & Sathanas & ligauit eum per annos mille, & miſit in abyſſum & clauſit, & ſignauit ſuper illum.* Ligatur Diabolus in reproborum cordibus, quæ abyſſus magna & inſcrutabilis, prout ligatus fuerat olim & in gentilium Philoſophis, & nũc eſt ligatus in prогenie Philoſophorum hęreticis. In hac ergo abyſſo, ſiue Philoſophico, ſiue hæretico pectore, ſi quæris ſapientiam; etſi impudenter iactent & Pater & proles; apud ſe eſſe; non eſt tamen. Nam ipſa flaccida, euanida, & turpis doctrina Philoſophorum, & varia, nutans, mutans, ſordidaque blaſphemia hæreticorum, volens, nolens loquitur. *Non eſt in me, non eſt mecum.* Perge tu Pythagora ad Memphiticos vates. Vade tu Plato ad Architam Tarentinum. Vola tu quiſquis es VVirtenbergam, Geneuã, Ienam, Londinum, Oxonium. Nõ eſt ibi veritas. Mendacium & ſtultiloquium, & blaſphemiæ, & maledicendi ſtudium, & ſcurrilitas ex fornice, & pluſquam Ægyptiæ errorum tenebræ illic inundauerũt. An audis Paulum in tales, vatem? *Erit enim*, inquit, *tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, & à veritate quidem auditum*

3. Sapiẽtia non eſt ex peregrinatione.

Schola hæreticorum quales.

ditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. An non apud illos fabulæ, apud quos Ioannes vir, fœmina? Pontifex vir, pellex? An non apud illos fabulæ, apud quos Pontifex Antichristus? An apud illos non fabulæ, de quorum scriptis & dictis, si rabiem caninam in Catholicos demas, nihil sūcci? Si pergis maria tranare, pro fonte veritatis, cloacā spurcitiarum Sodomæarū, pro lucerna verbi Dei, thædam sulphureæ flagrationis: pro luce detenebrante, palpabiliores quam Ægyptias tenebras reperies. Non insolens putas dictum. Serpens enim antiquus, qui est Diabolus, in hac Abysso Aquilonari Cathedrā erexit, *Sedebo*, inquit, *in lateribus Aquilonis, Ascendam super altitudinē nubium.* Doctus ab illo Lutherus docebat: doctus ab illo Zuinglius blasphemabat: doctus à talibus magistris Caluus, omne virus maledicentiæ euomebat. Putas tu hic veritatem esse? A patre mendaciorum? A filijs mendaciorum? A nepotibus mendaciorum? Esquilla non rosa, nō Hyacinthus, de tenebris non lux. *Non est in me inquit, non est mecum,* inquit, *nouum Euangelium. Quæ enim desursum est sapientia,* ait Iacobus qui discernere nouit, *primum quidem pudica est?* hæc autem nolēte vxore, iubet ancillam venire, *deinde pacifica?* hæc autem rusticos in nobilitatē, subditos Principes in Imperatorem armat. *Modesta* illa? hæc procax. *Suadibilis* illa? hæc Sathana pertinacior, *bonis consentiens* illa? hæc scelerum magistra & flagitiosorum tutela, *plena misericordia* illa? hæc Caluinistica & Lutherana cruditate & sæuitia, *plena illa fructibus bonis?* hęc nonnisi venenata vua. Fel draconum vinum eorum, vua eorum vua fellis, & venenum aspidum insanabile, qui solās teterrimas conscientias fructum capere aiunt ex communione mystici panis, omnemque fructum bonorum operum abhorrent.

Expend. loc. Iacob. 3. 4. Sapientia à Deo.

Vnde sapientia? vndè cognitio veritatis? A Deo, in Dei domo & in vnitatis & Pacis Templo. Ita enim Iacobus indicat: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Deus* enim, vt Iobus aiebat, *intelligit viam eius, & enarrauit, & dixit homini; Ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia.* Duo genera veritatis mihi se hic ostendunt. Alia sunt quæ credamus; alia quæ faciamus. Credenda sunt superiora; agenda sunt inferiora; per quæ superioribus placeamus. *Timor Domini est sapientia?* ecce quem credamus & vereamur ostendit. Recedere à malo est intelligentia? ecce quod agamus & caueamus demonstrat. Vtriusq; autem veritatis, scilicet & Theoricæ, & Practicæ cognitio, est nonnisi à Deo enarrante & illustrāte. Qui primus nostros oculos noctuæ oculis similes esse dixit, non aberrauit. Nam vt illa nocte videt, Sole illucescente cæcutit, sic & mentis nostræ acies, licet quædā in crepero creaturæ lumine aspiciat, tā ea quæ & nosse de Deo, & scire de virtutibus debet, tamen eam quæ à splendentissimo Sole, claritatis emanationem, nulla ratione assequi, sine ipso Diuinæ gratiæ lumine potest.

Eminet à se, altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, à nobis vero est *corpus, quod corrumpitur & aggrauat animam, & deprimit sensum multa cogitantem; ita vt difficile æstimamus etiam ea quæ in terris sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cū labore, quæ autē in cœlis sunt quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctū tuum de altissimis?* Hinc & propter altitudinem secretorum Dei, & propter imbecillitatem animi nostri indiget homo lumine gratiæ, quo eleuetur, roboretur & illustretur interior oculus noster ad videndum inaccessibile lumen.

Sine felleo vnguine cæcutiens Tobias non respicit: sine terrea inunctione cæcus natus in Euangelio non vidit. Sine chelidonia oculi hirundinum non renascuntur, sine Saurionis herba quam sinapim vocamus, vipera suis oculis non medetur. Sine gratiæ balsamo, anima quoque non potis videre quæ supra illam. *Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis tanquam à nobis. sed omnis sufficien-*

tia nostra ex Deo est, & omne datũ & omne donum perfectum descendens est à Patre luminum.

Luna hieroglyph. Fuêre qui per Lunæ hyerogyphicum naturam humanam exprimi differerent. Nam quod hæc inter minora astra maior hoc homo inter animantia sublunaria superior. Varia est Lunæ species, diebusque singulis immutata conspicitur? Neque etiam varietati quicquam magis obnoxium, quam rerum humanarum conditio, quin etiam si vniuscuiusq; vultum hominis intuemur, nunquã aut rarissime hac & illa vice eundem esse cõspiciemus. Sed quod magis ad rem facit Luna quod lucet à Sole mutuato lucet. Et homo quod aliqua luce sapientiæ illustris, nonnisi à claritate Dei illustris.

Quamobrem Dauid orabat. Quoniã tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas Lucerna non lucet, nisi ei de foris lumen cõcedatur; sic neque mens nostra, nisi à luce vnigeniti illuminetur. Si enim homo, sine hoc lumine posset verum videre, cur ad Deum magna voce sancti proclamãt; *Emitte lucem tuam & veritatem tuam?* Nam si non indigebãt illuminatore, cur frustra vocabant? Sed non fuerunt amentes sanctissimi viri illi, qui illuminari petebant; quibusque rursus ipse Deus Pater filium lucem misit, itaque indigebant. Nam & Dauid aperte fatetur, vnde hausisset notitiam, & quo manuduce fuerit traductus ad Sancta. Ipsa inquit, scilicet, lux & veritas demissà, *ipsa*, inquam, *me deduxerunt & adduxerunt, in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.*

Hieroglyph. Saura lacerta. Sed dum Sauromatis consilium decerpo. Saura etiam lacerta, inter notas hieroglyphicas poni potest: docẽdo homini vnde habeat vel acquirere vel roborare interiores oculos. Ea cum præ senectute caligat, Saurionem, seu synapim quærit, qua correpta, foramẽ parietis intrans comest, & ab esu, lumina in solem defigit, sicque oculorũ visum recipit. Sic & omnis quicunque ab antiquo Prothoparentum morbo cæcutit, Sauram sibi imitandam putet, præcipue vero vos ab oculorum acrimonia; Sauromate acres. Non à se, nõ à Lemano lacu, nõ à Syrte & Charybdi Anglica, nõ ab his qui suauiter viuentes omni cubito supponunt puluinos: sed à Deo & Diuinis hominibus, & ab hoc grano synapis Euangelico, quod minimum est omnibus oleribus &c. Sed in foramine Templi Domus Domini, lucẽ animorum, sicut recepistis per gratiam, sic vos qui lippitis, si qui lippitis, sed recuperare potestis, quærendũ esse censete. Alibi, in abyssis tenebrarum, in angulis secretis, in Aquilonari cęcitate, ne quæsieritis lumen. Naas illic habitat, qui eruit oculos dextros. Serpens antiquus ibi reptat, qui seminat errores tetros, in hac sola domo lucis, in hoc solo fonte Solis, ille qui in Sole posuit tabernaculum suum. Sol æternus habitat, & illuminat per gratiam omnem hominem venientem in hunc mundum, qui illuminat omnem hominem veniẽtẽ ad se ex hoc mundo, ad patrem luminum, qui æternat. Amen.

CONCIO III.

Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum. &c.

Christus illuminator.



INTER maximas laudes ponebat Iob, quod de se ad exemplum virtutis narrabat. *Ab infantia creuit mecum miseratio. Oculus fui cæco, & pes claudo.* Cum enim se non sibi tantum, sed mage alijs natum esse censeret: iure suo gloriabatur, quod ea quæ partium suarum fuerant, iam statim ab infantia exequeretur: cæcum scilicet doceret, atque aberrantem reduceret. Quamobrem suprema quoque laus erit Iesu Saluatoris, qui statim vt carnem nostram assumpsisset, illuminatoris & ducentis officia iniuncta, administrasset. *Christus illuminatio & Salus.* Namque de illo vaticinabatur Dauid. *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Illuminauit cæcos prædicando, sustentauit claudos opitulando, illustrauit tenebriones lucẽ irradians, reduxit errones viam præmõstrãs. Errabat iste à regia intrita, qui secus viã sedebat: insuper tatebatur errans,

errans, quod alij aiunt. *Errauimus à via veritatis, & lumen iustitiæ non est ortum nobis.* Aduenit Christus, & non solum in viam perduxit, sed & cæcutientem perluminauit, quia salus erat, & quia illuminatio erat. Sed qualis? Istud in præsenti requiremus.

Expend. loc. Isai. Magnam & immensam quandam lucem pollicebatur Deus exorituram, in luminis gratię. Ita lego apud Isaiam Prophetam. *Et erit lux Lunæ, quasi lux Solis, & lux Solis erit septies maior, eo die, quando sanauerit Dominus contritionem populi sui, & dolorem plagæ tuæ sanauerit.*

Volunt quidam interpretes propositorum verborum sensum, *vt refert Cyrillus*, referendum esse ad tempus consummationis sæculi. Tunc enim, *ait*, erit incrementum lucis, in ipsis elementis, quę quidem naturæ sunt lucidæ. Sed inueniemus Sacram scripturam dicentem. *Obtenebrabitur tunc Sol, & Luna non dabit lucem suam. Cadent quoque stellæ, sicut cadunt folia de ficu.* Omisso itaque hoc sensu, illud potius dicimus: non enim, inquit, erit clementis incrementum lucis, sed Lunæ, cuius *lux erit quasi lux Solis.* Lunam nominat velut in luce Lunæ versantes, & veluti adulterinè & modice illuminatos. Isti esse possent qui humanitus insita in nobis prudentia sola viuere solebant, nondum superna illustratione dotati, cuiusmodi sunt, qui nondum Deum natura & vere norunt, sed tanquam in nocte manent, mediocrem tum habent splendorem, quem ab ipsa creatione Deus humanæ naturæ indidit. Hi cum veræ cognitionis lumen acceperint: non tanquam in nocte manent, nec exiguum iam & lunare Lumen habent, sed deinceps velut in die radium Solarem aspiciunt.

Christus illuminator Lunæ, id est, gentium.

Aspiciebant gentiles olim à sidere, & à magnitudine speciei à qua poterit cognosci creator rerum, opificem cunctorũ peruidebant. Sed tamẽ adhuc in vmbris, & quasi in caligine. Nam *posuerat tenebras latibulum suum. Nubes & caligo in circuitu illius* erant tunc, quando stella vel cęlo duce, *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt conijciebant.* Clariore adhuc lumine illustrati Hebræi, olim à Luna sua, scilicet à radiatione vultus Mosaici, & à tabulis Sapphirinis & à Cherubinis aureis & ab Vrim & Thumim, & à Sacra illa Sanctuarij cortina, contuebantur Deum, lucis Conditorem. Sed tamen & isti in vmbris. Namque cum siue in tabernaculum, siue in Sanctuarium, siue in Templum Salomonis descendebat, nebula & fumo, & caligine circumdatus apparebat, ita vt neque primores Prophetarum poterant perspicere, quis Deus noster. Vnde ab hac mutuatione luminis si qui resplendebant, ad Solare lumen nullus eorum ascendit. *Docti eorum fulgebant sicut scintillæ: & qui erudiebant multos tanquam stellæ in perpetuas æternitates.* Quod si aliqui illorum, emicarent *quasi Luna plena in diebus suis*, inter magna sydera noctis illius referebantur. Cæterum quod audis, quendam, *quasi Solem refulsisse in domo Dei*, dum dicitur. *Quasi Sol refulgens, sic iste effulsit, in domo Dei,* Ecclesi.50. similitudine analoga illum effulsisse scito, non tanto lumine, quantum accessit sideribus noui testamenti. Hoc enim felicissimo tempore, quo sanauit Dominus contritionem populi sui, & dolorem plagæ nostræ vino & oleo affuso medicauit, lucem Lunæ in lucem Solis demutauit, dum & ipse Sol iustitiæ, septuplo maiore lumine irradiauit. Resplenduerat olim per legem Israëlitis. Nam velut à caligine pristina Ægyptiaci erroris eduxit, fecitque eos intelligere & confiteri, solum illum esse vniuersorum Deum ac Dominum, & perinde vt essent, quasi lux Lunæ illuminatæ. Cæterum Christo illucescente, facta est lux Lunæ, velut lux Solis. Tunc enim natus Ioannes factus est lucis lampada lucens & ardens, *quo nemo maior inter ante natos mulierum.* Tunc Zodiaci Ecclesiastici duodena astra, audierunt à Ecclesi. 1. Christo, *vos estis lux mundi*, Tunc *signum* Apoc. 12. *magnũ apparuit in cælo, mulier amicta Sole & Luna sub pedibus eius.* Tunc etiam ante noctuantes oculi, tam acutum cernunt ab illuminatione vultus Dei super se, vt & Aquilis de acumine visus faciant

Synagoga.

contro-

Expend. loc. Psal. 138.

controuersiam. Tunc deinde impletum est illud, quod à Dauide cantabatur, *& nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius.*

Quod pertendebant visi Soles Dio. li. 47.

Mirari me subit, cur ante aduentum Saluatoris nostri in carnem, tanta olim prodigia in astris conspicua? tot Soles in cælo visi? Dio refert, plures, *inquit*, Soles conspecti in Bosphoro produntur, qui à matutino tempore durarunt in occasum. Trinos Soles antiqui sæpius videre, sicut Sp. Posthumio; Q. Mutio; & Q. Martio; M. Portio: & M. Antonio; P. Dolabella: & M. Lepido: L. Planco Coss. Quid portenti? Inter meteoricas impressiones alij quęrant alias causas, ego hanc à lumine de lumine mutuatam adfero & assero: quia auctor lucis præmittebat nonnulla ex passionibus aëris indicia, futuræ auctionis luminum. Vt si nubes possunt à lumine solari, in Solem demutari, & quæ à se priuæ lumine, lumine tamen Solis fulgere possunt: possunt multo magis, capaces animæ Diuini luminis, si illud benigniore radio affulserit, ex stellari in Lunare, & ex isto in Solare lumē, auctione abire. Prout auctæ abierunt, quando trino Sole, prænunciatus Sol Septemplicis luminis, nube carnis nostræ tectus, ex benignitate sua deriuauit in tenebriones veræ lucis fulgorem.

Et noctes meridiantes lib. 2. cap. 33.

Petr. Hispalen. in Syiua p. 2. c. 39.

Scio Plinium referentem, C. Cælio Cn. Papyrio Coss. lumē de cælo visum noctu fuisse, ita vt diei species noctu luceret, & licet tacuerit Christum Iesum, cuius hæc nox meridiana clarissimus index: tamen Lucas Thui describens quod in Christi natiuitate media nocte nubes tantæ luciditatis Hispaniam collustrauerit, vt meridies esse putaretur; satis ostendit illam à Plinio relatam lucem, indicem fuisse lucis à Christo Sole diffusæ vt & nox sicut dies illuminaretur, & parili affusione tēporanea colluderent, lumen & tenebrę, vt nescias quid ex ratione temporis cognomines, An lucem meridianam? nox est. Si tenebras nocturnas? meridianum lumen fulget, *& sicut tenebræ eius ita & lumen eius.* Si oculos noctuantes? Aquilas præuolant. Si Lunæ lucem? Solus lumine ardet. Vnde? à luce Solis cuius illuminatio septies maior.

Dixi *illuminatio*, ne putes illuminatorem. Namque confiteor Iesum illuminatorem *esse lucem veram*, quæ augeri & minui nescit: nescit deinde eclypsari. Illuminatio ipsius scit augeri, scit minui, scit etiam (vt sic dicam) nobis, propter nostram, Lunam, eclypsare. Namque nouit pro mensura syderis dispensare, & ô infelices quando subtrahit, subtrahere lumen. Illuminator ipse, in se lumē verum, neque auctum, neque diminutum, neque obumbratum.

Sed qualitatem illuminatoris admirari præstat magis quam dicere. Scimus namque ex æquo illum esse vt vitam, sic & lucem hominum. *In ipso enim vita erat, & vita erat lux* hominum. Proinde, si ipse qui vita est omnium, vitam viuit æternam, nullo vnquam momento variatam: sic & ipse qui lux est omnium lucem lucet sempiternam, nullis vnquam tenebris inumbratam. Cæterum quia ipse vt & pater quem vult viuificat, & quomodo, & quantum vult viuificat; sic etiam ille idē omnem quem vult, quomodo vult, & quantum vult illuminat, & tenebræ illum non compræhenderunt, id est, neque meruerunt, neque obumbrarunt. Placet inserere quæ D. Cyrillus Alexand. de isto illuminatore non minus fideliter quam constanter asseruit.

Sed gratis illustrat gratuito. Lib. in Ioan. c. 7.

Non iniuria, *inquit*, D. Euangelista, quoniam non putauit illud ad confirmationem rectæ sententiæ omnibus sufficere, quod vita erat lux hominum, adiecit, *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non cōpræhenderunt* multoq; latius eandē rem exponit. Nam ne quis lucem quidem esse verbum Dei putaret, sed non omnibus, sed quibus velit, quosque dignos iudicaret lucem largiri: cætera vero vniuersa, vel à seipsis sapere, raciocinarique posse, vel quasi minus id possit filius facere, à Deo patre tantummodo intelligendi vim rationalia consequi. Ne igitur hæc aliaque huiusmodi falso quispiam putaret, ac vt omnes clare videant, non horū aut illorum, sed omniū simpliciter rationaliū lucem

lucem, qua sapiunt atque intelligunt, filium Dei esse, qui modo ineffabili participationis, vt sapientia & intellectus, quā lucem in rationalibus vocamus: ideo seipsum (vt ita dicam) immiscet, vt mentem habere possint, quæ mentis susceptibilia sunt: non enim id aliter possent consequi. Propter hæc, inquam, omnia necessario intulit, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non compræhenderunt. Ita quasi magna voce clamat, vitam non ideo lucem hominum esse dictam, quia viuendi quispiam disciplina lucem à filio Dei mereatur: sed vt omnes discant, quēadmodum in omni re creata, verbum vita est omnia viuificans, quæ vitæ susceptibilia sunt; sic in omnibus, quæ rationis susceptibilia sunt, ipse lux est, quæ rationis participantia, id ipsum quod sunt, id est, rationalia facit; omnia enim in omnibus Pater per filium in spiritu est. Tenebras autem, naturam quę illuminatione indiget appellauit, quæ vniuersaliter à nihilo ad esse producta est. Nam quoniam verbum Dei lucem, appellauit, vt indigentem eo naturam aliam esse ostendat in contrarium verso sermone, tenebras eam appellauit. Tenebræ namque veræ sunt, quæ lucem non habent. Vnde mea quidem sententia, creaturam, naturam nihil in se penitus per seipsam habere docuit. Sed tam totum (vt ita dicam) esse, quam totum bene esse à creatore suscipiens, merito potest audire, *quid enim habes, quod non accepisti?* Quum ergo lucem à Deo consequatur, patet quia ex seipsa non habet, quod aliunde accipit. Quod autem ex seipso lucem non habet, id certè lucis contrarium est, & tenebrarum nomine, non iniuria vocitatur: nec verisimile solum, verum etiam necessarium est, vt creatura tenebræ, filius vero Dei qui in tenebris lucet, lux & sit, & videatur.

Nostras tenebras spirituales.

Ergo cōfiteamur nomini Domini, quia oriens Sol iustitiæ Iesus, multiplicata irradiatione gratiæ in septuplum, siderum lumen in Lunare, & istud in Solare, & tenebras nocturnas in illuminationem meridianam adaugere processit. Vere enim nunc cernimus, *argentum* (quod Lunæ est symbolum, vt aurum Solis) *igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum*, eloquij & luminis mystici, à septemplici lumine, ad aureum fulgorem accessisse.

Iactet Hebræus suum aureum candelabrum ductile, Septeno lychno, contra mensam ad Aquilonem in sanctuario positam, resplendens: nos gloriamur in Iesu Sole immenso, quod exaudierit orationem illam patrum. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, & septies aucta luce illuminauerit his qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes eorum & nostros in viam pacis. Miretur Iob illam optatam lucem, quam orat, *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos secundum dies, quibus Deus custodiebat me? quando splendebat lucerna eius super caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris?* Non inuidemus nocturnas luces Iobo Sanctissimo; sed nobis gratulamur, quod lucernas in stellas, & stellas in Lunam, & Lunam in Solem, accessione luminis figurauit. Aspiciat ad futuram Zacharias, suum quoque lychnum septemplicem, duobus oliuis cinctum, & septem infusorijs adauctum. Non prohibemus, sed nobis congaudemus quia sanauit contritionem nostram, obligauit plagas nostras, & effecit repando lumine, vt apud nos, nox diescat meridiano lumine, Lunæ lumen sicut Solis lumen colluceat, ipse vero Sol oriens, septuplo plus cæcum horizontem nostrū illuminet.

Magis quā candelabrū.

Iob 29.

Et quam lucerna Iob.

Et quā lychnus Zachariæ.

Et plusquā Sol.

Plinius descripsit excellentiam & beneficia Solis istius visibilis, quę excellentiæ atque beneficijs à Iesu illuminatore in nostras tenebras effusis comparata, arena sunt exigua ad immensos thesauros.

Li. 2. c. 6. Antithes. Solis & Christi.

1\. *Errantium*, inquit, *siderum medius Sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate, nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cælique rector.* Excelsa hæc est ista excellentia & potestas visibilis astri. Sed nō nisi à Iesu illuminatore, qui in principio originationis orbis *fecit lumi-*

luminare maius vt praeesset diei, deditque illud in signa tempora, illuminationem, & directionem, superæ & inferæ lucis, ipse magnitudine, potestate, imperio, lumine, maiestate, Cæli & Cæli cœlorum præcelsus rector.

2. *Mundi totius animum, mentem, principale naturæ regimen ac numẽ, credere docet*, Plinius, *opera eius æstimantes* ? Si quid tale habet, vt plurima habet, habet à Iesu conditore qui sibi longe ampliore pręseruãs, quod *sapientia sua attingit à fine vsque ad finem fortiter* & disponit omnia suauiter, longe excellentius esse creditur Numen, *cui datum nomen supra omne nomen.*

3. *Sol visibilis lucem rebus ministrat* corporalem tantum, *aufertque tenebras*, corporales & temporales tantum ? Iesus Sol meus diffundit lucem Spiritualem, & tenebras depellit, & extemporaneas peccati, & perpetes gehennæ.

4. *Sol visibilis, vices temporum, annumque semper renascentem ex vsu naturæ temperat.* Iesus Sol meus, frigora hyemis antiquæ mitigat, annumq; semper benigniorem, ex munere gratiæ reducit, vocans. *Surge, propera, iam imber abijt, & recessit. flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est.*

5. *Sol visibilis cæli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat?* Magis serenat Iesus Sol meus nubilam mentem, verior Noë qui consolatur nos in operibus nostris, verior Isaac, risus & lætitia, nõ tantum hominum, sed etiã Angelorũ.

6. Ille *suum lumen, cæteris quoque sideribus fœnerat?* Meus Sol Iesus, nemini etiam suã lucem aut negat, aut inuidet. *A summo cœlo egressio eius & occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius*, dum & Cælestia astra, & Cælestes mentes, & sublunares animas, lumine suo affluenter implet.

7.8. *Præclarus ille, eximius, omnia intuens, omnia exaudiens, vt principi literarum Homero placuisse in vno eo video* ? Meus autẽ

9. Sol Iesus, *ipsa emanatio* CLARITATIS *omnipotentis Dei sincera.* Mei Iesu *oculi, multo plus lucidiores Sole, circumspicientes in omnes vias hominũ*, inq; abdita cordis. Mei Iesu aures, dies noctesq; intentæ, ad orationes pauperum. Clamauit vt cæcus videret? *& Iesus dixit illi. Fides tua te saluum fecit*. Sic & nos si etiam oramus, *Illumina vultum tuum super nos* ? *Illustra faciẽ tuam super seruum tuum?* exaudiet, & illuminabit abscondita cordis, *& erit lux Lunæ. sicut lux Solis*, qui lucet & illuminat in virtute sua in æternum. Alexander Magnus ad visendum sedentem in Sole Diogenem quondam accedens, hortabatur vt si quæ sibi præstari vellet indicaret. Is vt erat in crepidine collocatus, robustæ vir præstantiæ. *O Rex*, inquit, *de cæteris, interim velim vt à Sole mihi non obstes*. Simus & nos eodem animo. Si quis nobis nostrum, illum Solem vel auro, vel carne, vel purpura, obnubere velit, dicamus, *A Sole meo Iesu non obstes.* Si repellimus, ille aderit & illustrabit in sæcula. Amen.

Diogenes quid dixerit Alexandro Solem obumbranti. Valer. Max. lib. 4. c. 3.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMAE.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Matth. 4.

CONCIO I.

Ieiunij antiquitas & vtilitas.

DIVINÆ naturæ eam consuetudinem esse tradidit Sapiens, vt si quandoque pro immensa bonitate sua, hominis expetit consortium, non animorum tantũ, sed & corporum requirat puritatem. *Spiritus*, inquit, *Sanctus disciplinæ effugiet fictũ, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Quamobrem cum ad corporum castimoniam, plurimum faciat ieiunium, antequam Eliam Prophetam, ingentibus ornatũ virtutibus, ad se assumpsisset, prius ieiunio quadragenario præparare voluit. Sic etiã priusquam Christum ad prædicationẽ destinaret, Spiritus sanctus, ieiuniũ illi indixit, nobis in exemplum : vt sciamus quia ieiunium vitia comprimit, mẽtem eleuat, virtutes largitur & præmia. quod demonstro.

Nimis ex vero dictum. *Raro, hæreticus diligit castitatem.* Sed & illud necessario dicendum. *Raro, hæreticus diligit ieiuniū.* Quod olim de quibusdam sui temporis Tertullianus, hoc potius de omnibus hæreticis pronunciari potest. *Mirarer si sola luxuria tenerentur,* inquit, *si non etiam ingluuie ducerentur. Monstrum scilicet habetur libido sine gula, cum duo hæc tā vnita atq; concreta sunt, vt si disiungi omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda nō adhærerent. Specta corpus & vna regio est, denique pro dispositione membrorum, ordo vitiorum, prior vēter, & statim cætera sagina substructa lasciuia est. Per edacitatem, salacitas transit.*

Hæreticis inuisum ieiunium.

Quamobrem hæreticis nostri temporis, quibus tam est necesse libidinari, quā comedere, sicut exosa est castimonia, sic & castimoniæ Parens ieiunium, quod tamē tam est necessarium & vtile, vt ad virtutum quæsturam, & paradisi mercatum, post Dei & proximi dilectionem, nihil magis.

1. Ieiunium quia carnē frenat, vitia comprimit.
Rom. 7.

Nacti inprimis sumus, connatum hostem carnem nostram, nos & ad flagitiū trahentem & à virtute retrahentem, magis quam quiduis aliud, vel alius quiuis. Quod enim Paulus, de se perhibebat, *Video,* inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hoc nos in momenta experimur: qui licet quidem non lege, sed quasi lege à carne nostra dictata, ah, in quod præceps non trahimur, in quæ vincula non cadimus? à qua virtutis honestate, non auellimur? Infelicem se pronuntiabat Paulus, sub hac non necessaria necessitate; quid non magis nos debemus geminare Paulinum. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Liberat quidem gratia Diuina à grauamine carnis, à qua impellimur frequenter ad scelus; cæterum quia gratia ista sollicitis, nō otiosis opitulari solet, Paulus mōstrauit quid facto opus esset, ad carnem spiritui subigendam. Nempe castigationem atque mortificationem. Ipse enim quantum potuit, non cessauit reluctari aduersario suo, & flagellationum & ieiuniorum iugo præmere illum, atque imperare volētem, ad obedientiam compellere. *Castigo,* inquit, *corpus meum, & in seruitutem redigo.* Igitur pugnax caro, castigatione reprimenda est, reprimentem gratia Dei, adiuuabit. Carnis autē castigatio est ieiunium; ieiunium itaque summopere necessarium est, tū ad vitiorum eradicationem, tum ad virtutum radicationem.

1. Cor. 9.

Quod de seruo dixit sapiens. *Qui nutrit seruum suum delicate, sentiet eū contumacem,* hoc magis de corpore nostro vsurpari potest, quod qui ieiunio nō comprimit, ad omnia honesta prorsus repugnabit. Eam nauem quæ copia pressa est, modica vndæ insolentia demergit; quæ vero moderatè mercibus onusta est, facile fluctus superat, nulla re impediente ipsam altiorē fieri. Sic & humana corpora satietate degrauata, facilius in scelera demerguntur, frugali autem ieiunio extenuata velut exurgentem tempestatē peccatum effugiūt, & quod iam adest molestum, velut petræ cuiusdam marinæ occursum propulsant. Anseres domestici quod præpingui & terreo sunt corpore, non nimis in altum euolant, & quem tenuerūt cursum delinquere coguntur, trahente deorsum sagina: sic & homines vētri dediti, si quando vel rationis acrimonia, vel Diuino afflatu mouentur, ad ea quæ sunt superna, vel non se attollunt, vel aliquantum à terra elati decidūt propter *corpus, quod corrumpit animam, & deprimit sensum multa cogitantem.*

Similia.

Pythagoras videns quendā è discipulis attentiorem curando corpori, idq; agere vt esset nitida cute, *Hic,* inquit, *non desinit sibi carcerem molestiorem struere.* Sensit hominem esse animam, corpori ceu carceri inclusum quod quo reddas habitius, hoc magis animi vis grauatur.

Gula pessum dedit.

Acceperat Adam à Deo legem nō gustandi de arbore agnitionis boni & mali, moriturus si gustasset. Verum ille post ecstasin spiritualem, in qua magnum illud Sacramentum in Christū & Ecclesiā prophetauerat, nec iam capiens quæ erāt

Adamum.

spiritus, quia facilius ventri quam Deo cessit, & pabulo potius quam præcepto annuit. Salutem gula vendidit. Manducauit denique & perijt, saluus alioquin si vni arbusculæ ieiunare maluisset. Vt iam hinc animalis fides semen suum recognoscat, exinde deducens carnalium appetitionem, & spiritualiū recusationem. Teneo igitur à primordio homicidam gulā, tormentis atque supplicijs inediæ puniēdam, etiamsi Deus nulla ieiunia præcepisset. Ostendens tamen vnde sit occisus Adam, mihi reliquerat intelligenda remedia offensæ, qui offensam demonstrarēt: vltro cibum quibus modis, quibusq; temporibus potuissem pro veneno deputarem, & antidotum famem sumerem, per quam purgarem mortis à primordio causam, in me quoque cum ipso genere transductam, certus hoc Deum velle, cuius contrarium noluit, satisque confidens placituram illi continentiæ, curam, à quo damnatam comperissem, incontinentiæ culpam. Summopere itaque cauendum est, ne incidat homo in vitium gulositatis, quo subuersi Adam & Eua mandatum Dei contempserunt, & de paradiso eiecti sunt. Noë pudenda nudauit, Loth incestum commisit. Esau primogenituræ ius vēdidit, populus Israëliticus in deserto perijt, Heli Sacerdotis filij hostili gladio cæsi sunt, Ammon pudicitiam sororis violauit, Absalon cædem fratris patrauit, Sodoma quoq; & Gomorrha tantis sceleribus sese contaminauit. Nam & superbia & *saturitas panis*, inter alia quoq; eius abominanda scelera memorantur. Mentior, si non Dominus ipse obliuionem sui exprobrans Israëli, causam plenitudini reputat. *Incrassatus est*, inquit, *dilectus, & pinguefactus & dilatatus, dereliquit Deum qui fecit eum, & abscessit à Domino salutificatore suo.* Denique in eodem Deuteronomio eandē causam præcaueri iubens. *Ne*, inquit, *cum manducaueris & biberis, & domos optimas ædificaueris, ouibus & bobus tuis multiplicatis, & argento, & auro, extollatur cor tuū, & obliuiscaris Domini Dei tui.* Præposuit corruptelæ diuitiarum edacitatis enormitatem, cui ipsæ diuitiæ procurant. Per illas scilicet incrassatum erat cor populi ne oculis videret, & auribus audiret, & corde cōijceret adipibus abstructo, quas nominatim esui abstulit, dedocens hominem saginæ studere.

Noë. Loth. Esau. Heli F F. Amon. Absalon. Sodomaos. Israëlitas.

Deut. 32.

Tantorum itaque flagitiorum, cum præcipua sit causa gastrimargia, præcipua quoque erit eradicatio vitiorum & radicatio virtutum, potus cibique parcitas. Legitur Saul rex, ieiunio Philistæos prostrauisse. Edictum enim ipsius obseruans populus Israël, quo die nihil comedit, ingentes Philistinorum copias, quas paulo ante metu perculsus fugerat, fugientes strauit, persecutus est à machinis, vsque in Hailon, multisque interfectis præda potitus est. Et cum vix decem milliū numerum implerent, aduersariorum autem exercitus esset 30. curuum, 60. equitum millia, reliquum vulgus sicut arena, fauēte Domino multitudo cessit paucitati, armatura nuditati, saturitas ieiunio. Iosaphat quoque Iudæ regem scimus ieiunium quibus præerat cūctis indixisse, cum Moab & Ammon & Idumæi, innumera pene multitudo contra illū venientes, mutuis inter se vulneribus cōcidēre. Prophetes autem ille de Hierusalem veniens in Bethel, cum ieiunium seruabat, manum Hieroboam regis ipsum ferire volentis arescere fecerat, & arefactam, cum illum pænituisset, rursum sanitati restituerat. Porro cū alterius fraude mendacioq; deceptus fregisset ieiuniū, à leone (quod animalis genus ieiunāti Danieli pepercerat) suffocatus est: & quem irati regis potentia ieiunantē lædere non potuit, hunc soluentem ieiunium, vnius bestiæ vis interemit. Esto acciderint ista visibiliter, ostendunt tamen symbolicè, & trucem inferni leonem, & regem super omnes filios superbiæ, & spirituales quasuis ex carne emergentes nequitias ieiunio facilime interimi posse. Dauid in ieiunio humiliās animam suam, superbiam occidebat. Iudith in ieiunio & cilicio astringens corpus suum, libidinem prosternebat. Iacob Patriarcha, lenticulam decoctam diuendens, gastrimargiam enecabat. Paulus *in ieiunijs*

Ieiunium quia hostes visibiles prostrauit, typus est quod spirituales quoque prostern.

ieiunijs multis castigans semetipsum, ferocientem in se leonem edentabat. Scitè dictum est à quodam anachoreta. Is interrogatus, cum per hebdomadas ieiunium protraheret, cur tantopere conficeret corpus? respondit. *Occido, ne me occidat*. Qui itaque inedia mactat corpus suum, tot quot hostes à carne exiliunt in animam, prosternit, conculcat, & cædit, Ieiunium itaque *vitia comprimit*.

2. Ieiuniũ mentem eleuat.

Ieiunium *mentem eleuat*. Conscientiam communem consulamus, ipsa natura enunciabit quales nos ante pabulum & potum, in virgine adhuc saliua exhibere consueuerit, rebus duntaxat sensus agendis quo Diuina tractantur, si multo pollentioris mẽtis? si multo viuacioris cordis? quam cum totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum decoquendis iam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarũ, in quo plane nihil tam in proximo superfit, quam ad lasciuiam, sapere. *Manducauit populus & bibit, & surrexit ludere*, intellige S. Scripturæ verecundiã lusum, nisi impudicum, non denotasset. Quotusquisque enim meminerit religionis, occupatis memoriæ locis? impeditis sapientiæ membris? Nemo ita vt decet, ita vt par est, ita vt vtile est recordabitur Dei in eo tẽpore, quo ipsum sibi hominem excidere solenne est. *Anima sicca sapit*, Moyses qui quadraginta diebus totidemque noctibus supra humanæ naturæ facultatem perẽnauit, spiritali fide virtutẽ subministrante, & vidit oculis Dei gloriam, & audiuit auribus Dei vocem, & corde conîecit Dei legem, iam tunc docentis, non in solo pane viuere hominem, sed in omni verbo Dei, cuius nemo capax, nisi ieiunans Deo pastus. Merito igitur etiam in carne, se Dominus ei ostẽdit, collegæ ieiuniorum suorum, non minus & Eliæ. Nam & Helias, ab ieiunio satis alte sublimatus. Post vnicum enim pabulum & potum quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Horeb, vbi cum in spelunca deuertisset quam familiari Dei congressu acceptus est? *Quid tu Helia hic?* Multo amicior ista vox, quam *Adam vbi es?* Illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blãdiebatur. Tãta est circũscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem reuera pari. Si enim Deus æternus non esurit, vt testatur per Esaiam, hoc erit tempus quo homo Deo adæquetur, cùm sine pabulo viuit. Danieli quoque ieiunanti Diuina reuelantur mysteria, & dies à Sole iustitiæ illuminandus, præfinito hebdomadarum numero, panditur. In lacum leonum missus per dies sex nihil comedit, & inter ferocissimas bestias mansit illæsus. Cumque esuriret, Abacuch propheta per angelum Domini de Iudæa translatus in Babylonẽ, apposuit recens illuminato pulmentum. Circa somnium Nabuchi regis omnes turbantur sophistæ, negant vltro de præstantia humana posse cognosci. Solus Daniel Deo fidens, & sciens quid ad demerendam Dei gratiam faceret, spatium tribui postulat, cum sua fraternitate ieiunat, atque ita orationibus commendatis, & ordinem & significationem somnij per omnia instruitur, tyranni sophistis parcitur, Deus glorificatur, Daniel honoratur, non minorem Dei gratia & postea quoque relaturus anno primo regis Darij, cum ex recogitatu prædicatorum temporum ab Hieremia, dedit faciem suam Deo, in ieiunio & sacco, & cinere. Nam & Angelus missus ad eum, hanc statim professus est causam Diuinæ dignationis. *Veni*, inquit, demonstrare tibi, quatenus miserabilis es, ieiunando scilicet. Ieiunus igitur Daniel sacramenta discit, leonum ferociam domat, prandium Diuinitus missum accipit, denique de fouea in quam proiectus fuerat liberatus, Magnus Sapientiæ Sacerdos honoratur. Ite nunc vos, quibus mentes in patinis, & rerum Diuinarum scientiam à Deo ventre mutuate, quam nonnemo prophetarum, ab inedia parauit.

Moysis. Helia. Daniel.

3. Ieiunium virtutes largitur.

Sed tertium est quod de ieiunio tradit Ecclesia, quia *Virtutem largitur & præmia*. Non mirũ; vitia si præsecat, si Deo adiun-

adiungit, si mentem honestatis capacem facit, vt facit, vt adiungit, vt præsecat. Eradicato enim à corpore noxio semine, facile est vel suscitare indita, vel depangere infusa virtutum semina, in animam frugi. Erecto deinde animo ad Deum, facile est ab hac luce omnem candorem puritatis deriuare, & athomos totius venustatis decerpere. Miramur adulti Nicolai sanctitatē? Non erit mirū quod talis ac tanti hominis, etiā infantia mirabilis ab ieiunio fuerit. Ferunt enim infantulum adhuc in cunabulis vagientē, & fasciarū inuolucris colligatum, cū nutricis vberib. admoueretur, quarta & sexta quaq; feria, non nisi semel lac sugere voluisse. Mira profecto res, nondum ad duas pappasq; peruenerat, hoc est potus cibique vsum, & iam ieiunia obseruabat.

Idem de Sisinnio Thaunensi Episcopo fertur, scilicet ipsum quoque, cum nuper editus lacte genitricis suæ aleretur, quarta & sexta feria tantummodo semel tenelluli oris labella vberibus admouere consueuisse. Eosdem quartæ & sextæ feriæ dies Maiorus Sargiēsis Episcopus, ita ieiunio suo consecrauit, vt illis nihil prorsus degustaret. Vis nosse quantum illis sic ieiunasse profuerit?

S Nicolaus ... [handwritten margin note]

Virginitatem perpetuo seruauerunt, nec ista tantum laude, verum & omnigena virtutū Sanctimonia floruerunt. Eant nunc qui à gastrymargia, volunt esse continentes, modesti, humiles, casti, pudici, & alijs ornamentis decorati, si ista omnia nō nisi à ieiunio consequuntur, à quo etiam virtutum præmia consequuntur, ieiunantem Eliam Deus ad cælum euexit; ieiunantem Moysen sua gloria recreauit: ieiunantis Christi adhucdum mortale corpus luce admirabili corruscauit, & quos voracitas à paradiso expulit, ieiunium ad regna siderea reducit. Spernant si volunt illud hæretici, quibus tam est necesse comesse quā libidinasse: vos qui ad cælum, non ad cænum nati, illud ieiunate. Nemo prætexat excusationem. Nā & Christus ieiunauit, & ieiunans malignum sathanam prostrauit, Angelos de cælo in ministerium euocauit, Spirituiq;

4. Ieiunij præmia.

Sancto familiariter coniunctus, multis virtutib. illustris inclaruit in sęcula. Amē.

CONCIO II.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus &c. Matth. 4.

Delectus ciborum.

AB instituto militiæ est, præclara doctrina Tertulliani quam meo Sermoni prætexo. Nemo miles ad bellum cum delicijs venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de *papilionibus expeditis, & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit. De vmbra ad Solem, de Sole ad Cœlum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.* Placuit Epistati nostro Iesu, in hoc scamma prodire, ad instituendam exemplo suo hanc poliocerticam, non à delitijs sed ab ieiunijs, neque de cubiculo, sed de deserto, de vmbra ad Solem, de Sole ad Cælum quo nobis ostenderet, Si coronam æternitatis ambimus, hoc quodcunque est durum, ad exercitationem virtutum deputare. *Nempe enim & athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori adificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur, & quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant.* Quod si tam abstemij sunt milites, *vt corruptibilem coronam accipiant,* quāto magis par est abstinere nos, qui incorruptam speramus? Abstinuit Christus? vt & nos quoque iunemus. Sed an à certis cibis? Illud quoq; requiremus.

Milites ad pugnam à temperantia.

Multo magis decet Christianos.

Tam displicet hæreticis ieiunium quā ipsius ieiunij modus. Modum ieiunij cum dico, intelligo dilectum ciborum, qui ieiunantibus olim, & semper cōsuetus, hęreticis autem vna cum ieiunio inuisus. Antiquis hęresiarchis semper illud in ore, *Vetera transierunt, noua sint omnia.* Vetustatis autē vsus est abstinere ab estis quę Deus creauit, antiquetur igitur mox iste, & omnia munda mundis, & non quod intrat in os coinquinat hominem? Eadē vox est Lutheri, & Caluini ex macello Aqui-

Licet irrideant hæretici.

Aquilonati. Sed merito ridenda, exsibilanda, & explodenda. Risit illam olim Tertullianus dicens. Rursus palos terminales, *inquit*, figitis Deo, sicut de gratia, ita de disciplina, sicut de charismatibus ita de solemnibus. Superest vt totum auferatis, quantum in vobis tam otiosum. Iam enim & in ista specie ditati saturatiq; regnatis, non delicta inanfantes quæ ieiunijs elimentur, nec reuelationum scientia indigentes quæ ieiunijs extorqueantur, nec bella propria metuentes, quæ stationibus discutiantur. Voluit dicere, tam nobis necessariam esse Spiritus sancti gratiam, quæ & peccata nostra elimINET, & noua reuelatione imbuat mentē, & cōtra Sathanam certantes fortitudine roboret, quam olim fuit necessaria antiquis. Cæterum si antiqui patres propter ieiunium quod à delectu ciborum cōmendantur, & peccata elimabant, & oracula cœlestia audiebant, & fortes erant in bello. Itaque eadem obseruantia nobis quam maxime necessaria, vel si non? *figite itaque*, inquit, *palos terminales Deo, ne amplius in nos veniat, itaq; non amplius incusate delicta, non cœlestē scientiā quærite, nō amplius pugnate cum antiquo serpente.* Nam plane vestrum est, (*ita exprobrat constitutis hæreticis in carcere*) in carceribus popinas exhibere martyribus incertis, ne noua abstinentiæ disciplina scandalizentur, quam nec ille Pristinus vester non Christianus martyr attigerat, quē & facultate custodiæ liberæ aliquamdiu farsum omnibus balneis quasi baptismate melioribus, & omnibus luxuriæ secessibus quasi Ecclesiæ secretioribus, & omnibus vitæ istius illecebris, quasi æternæ dignioribus, hoc puto obligatum ne mori vellet, postremo ipso tribunalis die luce summa, cōdito mero tāquam antidoto præmedicatum, ita eneruastis, vt paucis vngulis titillatus, hoc enim ebrietas sentiebat, quem Dominum confiteretur interroganti præsidi respondere non potuerit amplius, atq; ita de hoc iam exortus, cum singultus, & rursus solos haberet, in ipsa negatione decessit.

Ipsi deridendi.

Vt scelerati præsumentes.

Ecclesia potest indicere ieiunia.

Sed ad delectum ciborum accedo & dico; quia poterat Ecclesia vna cum ieiunio, inducere simul & delectum ciborum. *Bene*, inquit idem Tertullianus, *& Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia adsolent, solicitudinis Ecclesiasticæ causa Spiritus enim Sanctus quum in quibus vellet terris & per quos vellet prædicaret, ex prouidentia, imminentium, siue Ecclesiasticarum tentationum, siue mundalium plagarum, quam paracletus, id est Aduocatus, ad exorandum iudicem huiusmodi officiorum remedia mandabat, Puta nunc ad exercendam Sobrietatis & abstinentiæ disciplinam. Hunc qui recipimus, necessario etiam quæ tunc constituit obseruamus.*

Quod si bene faciunt Episcopi in singulis Ecclesijs, si ieiunia indicunt vniuersæ plebi quæ non recusat ieiunare, eo tēpore & modo quo iniungunt Episcopi. Multo magis, *ex vniuersis Ecclesijs Concilia, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur*, & multo magis quæ præest vniuersis Cōcilijs vniuersa Ecclesia in Summo Hierarcha, tanquam in capite repræsentata, potest & potuit, & ieiunia, & tempora, & modos, & cibos ieiuniorum præscribere, non vt cibos reprobaret, qui mundi mundis, sed vt propter disciplinam Ecclesiasticam faciendam, ad tempus adimeret.

Quibus adscitus delectus ciborum.

Nam & isto sensu D. Paulus, doctrinam suam de delectu ciborum statuebat, hæreticos *compungens retractatores* huius officij, quibus dicit. *Ne propter*, inquit, *escā solueritis opus Dei.* Quod opus? *Bonum est carnem non edere, & vinum non potare.* Nā qui in istis seruit; placabilis, & propitiabilis Deo nostro est. Quidam credit omnia manducanda esse, quidam autem infirmus olere vescitur, qui manducat, ne vilificet manducantem.

Neque enim id inhibet sed probat Paulus.

Cum igitur humano arbitrio vitet controuersiam fieri, quanto magis Diuino? Ita sciebat quosdam castigatores, & interdictores victus incusare, qui ex fastidio, non ex officio abstinerent; probare vero, qui in honorē, non qui in cōuitium creatoris. Et si claues macelli tibi tradidit permittens esui omnia ad constituendam idolo-

idolothytorum exceptionem, non tamen in macello regnum Dei inclusit. *Nec enim*, inquit, *esus aut potus est Dei regnum, nec esca nos Deo commendat.* Non vt de arida dictum putes, sed potius de vncta, & accurata.

Si quidem subijciens; *nec si manducauerimus, abundabimus, nec si non manducauerimus deficiemus*: ibi magis insonat, qui abundare te existimas si edas, & deficere si non edas, & ideo ista detrectas.

Et ipse Christus. Dominum quoque quam indigne ad tuam libidinem interpretaris, passim mãducantem, & bibentem. Sed non dicis, quod etiam ieiunauit, qui beatos non saturatos, sed esurientes, & sitientes pronũtiauit; qui etiam in ordinaria oratione panem mandauit postulandum, non & Attalicas. Sic & Esaias non negauit Deũ *Et ipse Deus.* elegisse ieiunium, sed quale non elegerit enumerauit. *In diebus enim*, inquit, *ieiuniorum vestrorum inueniuntur voluptates vestra, & omnes subiectos vobis succutitis, aut ad conuitia, & cades ieiunatis, & caditis pugnis. Non tale ego ieiunium elegi*, sed quale subiecit, & subijciendo non abstulit sed confirmauit.

Nam etsi mauult opera iustitiæ, non tamen sine sacrificio quod & anima conflictata ieiunijs, ille certe Deus cui nec populus incontinens gulæ placuit, nec sacerdos, nec Prophetes.

Nam manent adhuc monumenta concupiscentiæ, vbi sepultus est populus carnis auidissimus, vsque ad choleram ortygometra cruditando. Eliditur pro templi foribus senior Heli, filij eius in acie ruunt, nurus expirat in partu: hanc enim à Deo meruerat plagam domus impudens sacrificiorum carnalium defraudatrix. Sameas Propheta post manum regis arefactam, & statim restitutam, post altare diffusum temere pastus, non est in paternis sepultus, leonis enim in via occursu prostratus, & apud exteros conditus, pœnam deserti ieiunij luit.

Hæc sunt exempla, & populo, & Episcopis, etiam spiritualibus, si quam incontinentiam gulæ admiserint. Sed nec apud inferos admonitio cessauit, vbi in diuite quidem conuiuia cruciantur, in paupere vero ieiunia recreantur, habentia præceptores Moysen, & Prophetas. Nã & Ioël exclamauit. *Sanctificate ieiunium & orationem*, prospiciẽs iam, & tunc & alios Apostolos, & Prophetas sancituros ieiuniũ, & prædicaturos officia curantia Deum. *Ioël. 2.*

Quamobrem & ethnici omnem istam corporum humiliationem agnoscunt, cũ stupet Cælum, & aret annus, nudipedalia denunciantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro auertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. Apud quasdã vero colonias præterea annuo ritu saccis velati, & cinere conspersi, idolis suis inuidiam supplicem obijciunt, balnea & tabernacula in nonam vsq; cluduntur, vnus in publico ignis apud Aras, aquæ nec in lancibus Niniuiticum credo institutum. *Tale ieiunium etiã apud ethnicos.*

Nam eiusmodi ieiunium apud Niniuitas institutum, sed nec solum apud illos sed & apud omnes, qui cum ex instituto vel Diuino, vel Pontificio ieiunarent, à carnibus, & vino sibi temperabant, solo pane, olere & aqua contenti. Israëlitæ in deserto multo tempore solo pane cælesti, & aqua de petra inediam tolerabant. Samueli iniunctum, ne vinum & quodcunque inebriare potest vnquã biberet. Daniel & fratres eius leguminum pabulum, & aquæ potum ferculis & ænophorijs regijs præponentes, formosiores facti erãt. Helias quem corui pane & carne saturare consueſſent, nonnisi pane subcinericio & aquæ concha ieiunium sacrauit. Dauid tali victu exomologesin suam expressit, cinerem quidem edens velut panem, id est panem velut cinerem aridum & sordidum, potum vero fletu miscens, vtique pro vino. Habet enim & abstinentia vini sui titulos, quæ & Samuelem Deo vouerat, & Aaronem consecrarat. Nam & Dominus ad Aaron, *Vinum*, inquit, *& siceram non bibetis tu & filius tuus post te, si quando ingrediminí tabernaculum, vel ascendetis ad altare, & non moriemini* Adeo morientur, qui non sobrij in Ecclesia ministrauerint. Sic & Israeli proximo exprobrat, *& potum dabatis sanctificatis meis vinum.* Et hæc autem strictura potius *Niniuitas.* *Israëlitas.* *Samuelem* *Danielem* *Heliam.* *Dauidem.* *Aaronem* *Luc. 1.*

Xero-

Xerophagiæ portio est, quamquam vbi abstinẽtia vini, aut à Deo exigitur, aut ab homine vouetur, illic intelligatur etiam pabuli pressura, formam præstruens potui. Qualis enim esus, talis & potus. Verisimile non est, vt quis dimidiam gulam *Paulum.* Deo immolet, a quis sobrius & cibis ebrius. An autem & Apostolus Xerophagias norit, qui maiora celebrauerat, sitim & famem, & multa ieiunia, qui ebrietates & comessationes recusauerat, vel de discipulo Timoth. argumenti satis sit, quẽ modico vino quo ex deuotione abstinebat vti monens, hoc ipso abstinentiã vini dignã Deo suasit, quam ex necessitate dissuasit.

Porro in Ecclesia, semper ista consuetudo fuit, iam statim à temporibus Apostolorum introducta, vt in tempore ieiu- *Ecclesiam.* niorum à carnibus & lacticinijs abstinerent, quam superantes illi qui acrius bellum carni suæ indixerant, etiam à cocto legumine se continebant, solo pane & aqua contenti. Paucos ex multis in exemplum proferam.

Eadmundum. Eadmundus Canthuariensis Archiepiscopus, virginitatis coronam adeptus est, lasciuiam carnis domans ieiunijs, feria sexta sicco pane tantum & aqua frigida semper vsus. Nũquam illi cuiq; fuit vt pasceret corpus, sed vt sustentaret. Propterea quidem cibauit illum Dominus pane vitæ & intellectus & aqua sapientiæ salutaris potauit eum. Fuit enim doctor egregius, disciplinis Diuinis apprime eruditus, præterea multis miraculis clarus. *Bonifac.* Bonifacio Martyri, Germanorum Apostolo (vide an Lutherus imitauerit?) quotidiana ieiunia pro delicijs erant, quæ ita temperabat, vt quotidie dimidio panis & aquæ poculo vires reficeret. Tali vitę tenore cucurrit ad Martyrium, duas ex martyrio laureas decerpens, & ieiunij, & sanguinis profusi.

Iuonem. Iuonem præsbyterum sollicitum imprimis abstinentiæ cultorem, omnia indicta ab Ecclesia ieiunia sola panis & aquæ refectione obseruare solitum legimus, vt plus aliquid faceret, quam quod præceptum esset, & alimenti tenuitate obedientiæ cumulo aliquid adijceret.

Stephanum. De Stephano præsbytero Constantinopolitano traditum est, quod nondum editus ieiunia colere cœperit. Nam (vt aiunt) mater eo grauida, non vinum, non carnẽ, non lacticinia gustare poterat, & si gustasset, præ nausea euomebat. Post hæc ipse iam natus, cum vberibus applicaretur, sugere matrem, nisi ieiunantem nolebat. Tali ostento significatum est, quantæ ille abstinentiæ obseruator mox futurus esset. Vbi enim cum ætate creuit virtus, in templo B. Petri Apostoli clausurã subiẽs, herbas cum sale coctas absque alio condimento semper vesperi comedebat. Deinde præsbyter factus, pristino victui salem ademit, & ne hoc quidem tam fatuo cibo quotidie vti voluit, sed aut bis tantum in hebdomada sumere, aut ad Dominicum vsque diem inediam proferre. Postremo cum in solitudinem secessisset, herbis crudis pascebatur, à cocto abstinebat, & monachum professus, cum à seniore iuberetur modico vino vti propter stomachum, vnicam vini guttulam in vrceũ aquæ plenum instillare cœpit, vt & obediret, & aquam tamen nihilo pene quam ante sapidiorem biberet. Hic igitur iã ab initio in parentis visceribus à Deo electus quam magna res esset ieiunium ostendit, cum ipsam matrem ad id compellendo, tũ semet eo vsque in finem incredibiliter macerando, tandem pascuis cęlestibus satiatus est, tanto quidem vberius, quanto hic vixerat abstinentius.

Iustinianum. Iustinianus Imperator licet ægrotus, propter vehementem fluxum humorum in genua delapsum, omnibus tamen his diebus qui Paschalem solennitatem præcedunt ieiunio addictus, per duos dies cibis abstinebat. Verum cibi appetens, vinum & panem abesse voluit, solum agrestes herbas sale & aceto emaceratas edebat, potus aqua erat sola. Hinc medicorum ope non valens conualescere, Sanctarum reliquiarum contactu, Diuinitus sanatus est.

Laurentiũ. S. Laurentius Iustinianus Prothopatriarcha, cum medicus eum laborantem iam ferme septuagenarium ad edendas carnes inuitaret Quadragesimę tempore:

petiuit *an abstinere posset sine vita periculo?* Qum ille non negasset, subiunxit: *me vt verum fatear valde delectant veterum exempla Sanctorum.* Et adduci non potuit vt vesceretur carnibus, & septuagenarius, & ægrotus. Tanta religione quondam à pijs viris quadragesimale ieiuniū obseruabatur, impie vero ab Arrianis hæreticis iam olim temerabatur, vt notauit Epiphanius. *Apud ipsos*, inquit, *studium est, vt potius in die Dominica ieiunent, quarta vero & pro Sabbato edant.* An in hodierni temporis lurcones Lutheranos & Caluinianos, diuinauit? Vos ipsi iudicate, & sanct. Quadragesimæ ieiunium à Christo Seruatore institutum, ab Apostolis & vniuersa Ecclesia eousque obseruatum, sacra religione suscipite, ieiunate, vt sic tēperantiæ rigore seruato, & Ecclesiæ præcipienti obtemperantes, & Christum Agonothetem imitantes, Deo placentes victimas offeratis. Amen.

CONCIO III.

Mitte deorsum. Matth. 4. c.

Consilium dæmonis quale?

VEtvs dictum. *Gaudium est miseris socios habere pœnarum.* Cum enim tales inuidia felicitatis alienæ quam maxima laborent; si eis potestas præcisa est, euadēdi à misera ad feliciorem stationem, id vel summopere cupiunt, quam plurimos *socios habere pœnarum.* Scitus admodum apologus vulpis excaudatæ indicat, quæ alijs in concilium coactis suadere proposuerat, *vt caudas quoq; sibi abscindi paterētur, pulchrum id decorumque esse,* iactabat: non absimile consilium Sathan instituit cū Christo, qui cum olim deiectus iaceat deorsum coopertus vermibus, & ex casu vulneribus concisus, dilexit omnia verba præcipitationis. Ideo Christo quoque suadere ausus est, *Mitte te deorsum,* nimirum, vt socium haberet pœnarum. Istud consilium, an omnibus hominibus proponat? hodie inuestigare placet.

Expl. loc. Gen. 49. Iacob Patriarcha moriturus, cum Filio Dan imprecatur; sub eius imagine Serpentem antiquum nobis expressit, consilia illius detexit. *Fiat Dan, inquit, coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi vt cadat ascensor eius retro.* Qui solitudines Arabiæ penetrarunt, ferunt in eis innumeram multitudinem, varij generis serpentum, quorum alij in semita inuoluti, alij de repente à dumetis exiliētes, alij vero de arboribus aduolantes perniciem homini adferunt. De Cerastis corpore & astu, hæc prodidit Plinius, scilicet huic *eminere cornicula sæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato solicitet ad se aues. Geminum caput amphisbena, hoc est ad caput & ad caudam: tanquam parum esset vno ore fundi venenum. Alijs squammas esse, alijs picturas, omnibus exitiale virus. Iaculum ex arborum ramis vibrari, nec pedibus tantum cauendas serpentes, sed & missili volare tormento. Aristonem dum per syluam ambularet, & folia percussisset, serpens deciduus momordens exanimauit.* Sed hæc satis de serpentibus, quæ ad nostrum hodiernum institutum: videlicet Iacobum Patriarcham sub typo colubri, & cerastis, serpētem antiquum vectem tortuosum, occultasse. Quid enim in illum, ab hoc vmbratili penicillo non conuenit? Omnia ferè, nisi quod cerasti quadrigemina cornua. Draconi autem veteratori decem. Cerastes occulit corpus sub cornibus? hic exsinuat non tantum corpus, sed & septenam frōtem, ille motatione cornea sollicitat aues? hic animas. Illi bina capita? huic septem, ille siue in arbore occultatus, siue in puluere volutatus, missili volat tormento, & multiplici ore iacula eiaculatur in hominem, venenaque affundit? sufficit illi si in corpora; iste etiam in animas sæuit. Picturato capite illudit ille quam plurimis, & squammato corpore, tanquam vmbone tectus, ab omnibus se vindicat? Magis iste variegatis fraudibus, & squammatis argumentis petit, & ferit, & inuoluit, quos semel præhenderit. Volucres cœli, animantia terræ, homines, equites, & pedites, à ceraste & colubro bicipiti sibi metuunt? ab hoc autem & homines, & Stellę, & Angeli, imo nec ipse Deus aliquando fuit

Lib. 8. c. 23. Cerastis & amphisbenæ natura.

Sathanam adumbrat.

fuit immunis. *Ductus est enim Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Michael quoque in cœlo præliabatur cum Dracone; Mulier etiam amicta Sole petita est ab eadem volaci Dracone, parentes etiam nostros missili ab arbore tormento exanimatos scimus. Nemo autem nostrum est ex semine mulieris istius Diuæ, cuius non obseruet calcaneum. Sed quo consilio? quo intento? quo fine?

Qui non nemini dicit, Mitte te deorsum.

Satis expressit Iacob, dicens, *mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Nimirum vt habeat ipse iacēs deorsum, socios pœnarum. Quamobrem si quem picturatus Draco, capitosæ Amphisbænæ, vel cerastis squāmatæ specie obumbratus aggreditur, nihil aliud proponit, quam solenne suum Consilium. *Mitte te deorsum.* Ita statim à principio creationis suæ, suasit comitibus concreatis, vt se mitterent deorsum, & persuasit infelicibus. Vidit illum & illos Dei filius, *tanquam fulgur de cælo cadentes.* Vidit etiam Ioannes, *quando factum est prælium magnum in cælo. Michael & Angeli eius præliabantur cum dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus eorum inuentus est amplius in cælo, & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur Diabolus, & Sathanas, & seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram, & Angeli eius cum illo missi sunt.* Primum itaque consilium, & prima suada fuit Sathanæ adhuc in cælo, *Mitte te deorsum*, quod dixit ad socios creationis; atque cum eis persuasisset, vt se darent præcipites, secum traxit deorsum. Iesus enim *Angelos qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reseruauit.*

Dixit Angelis.

Gen. Iuda.

Semel conceptum consilium, repetijt Dæmon, cum in Paradiso specie serpētis assumpta, in via regia, directa, plana, illustri, currentem ad Deum prothoplastum sessorem, obseruans, de arbore assilijt. Dicens enim, *Eritis sicut Dij*, quid aliud inculcauit, quam *Mitte te deorsum*? Sciebat nonnisi vnum Deum esse cōditorem visibilium & inuisibilium, ad cuius imaginem plasmatus Adam, similitudinem quoque ambire iussus fuerat. Certum erat Adamo & Euæ vnum esse Deum cui conformari deberent, si vellent ad illum assumi. Namque Eua aperte confitetur vnum, cum inquit. *Præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Dum itaque plures Deos Sathan proponeret, *Eritis sicut Dij*, annon manifeste proponebat, Mitte te deorsum? A Deo, ad Deos? Ab vno, ad diuisos illos omnes? A cælo, ad terram? A Paradiso, in inferiores partes? itaque deorsum pertraxit incautos. Namque statim, *emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est, eiecitque Adam & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.*

Prothoparentibus.

Gen. 3.

Sed & illud non obscurum est, quod scripsit Ioannes quando *vidit aliud signum in cælo, & ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram.* Quid enim his stellis deciduis suadebat, nisi *Mitte te deorsum*? Per stellas populum illum superelectum intelligo Israëlis, quem Abrahamo multiplicaturum se pollicebatur, *sicut stellas cæli*, scilicet tanto numero, & tanto fulgore, quanto censentur & resplendēt stellæ cælestes. Quoties has stellas draco teterrimus, Sathā ad idololatriā nō titillauit? Quoties nō suasit ab vno ad plures? à vero ad falsos? ab arca ad vitulū? à tēplis ad excelsa? à luce ad lucos, à Deo ad Molochos, Beelzebubos? *Quoties exacerbauerūt eū in consilio suo, in irā concitauerunt eū in inaquoso?* Quid vero illud est, quando in eos proloquitur Deus? *Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & sacrificauerunt sculptilibus Chanaā, & auerterunt se & non seruauerūt pactū, quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum recuruum*, nisi stellæ à suadela dæmonis deciduæ? nisi eius sermonis *Mitte te deorsum*, cadauera?

Israëlitis.

Apoc. 12.

Discipuli Christ. Iam si *nouum cælum & noua mundi lumina*, post innouatum à Saluatore sæculum contemplor, & audio à Saluatore dictum Simoni, quia, *expetiuit illum Sathan vt sicut triticum cribraret*: quid aliud côijcio, nisi nō semel ei dictum, *Mitte te deorsum?* *Tom. 6.* Cum vero lego *quia multi ex discipulis eius abierunt retro, & iam non cum illo ambulabant*, quid aliud video quam impleri ex vaticinio Iacobi conatum Cerastæ, mordentis vngulas equorum, vt cadant retro ascensores eorum? Porro cum cerno Iudam ex arbore pendulū, Simonem Magum ex aëre cadentem, Ananiā & Sapphiram de terra in inferna labētes quid aliud audio, quam illis omnibus à Sathana solenne consilium *Mitte te deorsum?* Namq; vt in cor Iscariotis intrauerat Sathanas, & propter auaritiam ad hæresim & parricidiū illum stimulans, perniciem eidem struebat, reipsa suadens. *Mitte te deorsum*, & laqueū tibi innecte, & de arbore te præcipita; sic & in cor istorum in culpa & in supplicio sequacium, nihil aliud quam solens insusurrabat, *Mitte te deorsum*.

Hæreticis. Sed lubet Vincentium Lyrinensem audire, monentē. Magnopere nobis, *inquit*, doctrina loci istius attendenda atque retinenda est, vt tanto authoritatis Euāgelicæ exemplo, quando aliquos Apostolica seu Prophetica verba proferre contra Catholicam fidem viderimus, Diabolum per eos loqui minime dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ita nunc quoque membra membris loquuntur; membra scilicet diaboli membris Christi: perfidi fidelibus: Sacrilegi religiosis: hęretici postremo Catholicis. Sed quid tandē dicit? Si inquit, *filius Dei es, mitte te deorsum.* Hoc est. Filius vis esse Dei, & hæreditatē regni cælestis accipere? *Mitte te deorsum*, id est, ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum Dei putatur, *estq; columna, & firmamentum excelsum veritatis*, te mitte deorsum. Ac si quis interroget quēpiam hæreticorum sibi talia persuadentē, Vnde probas? vnde doces quod Ecclesię Catholicæ vniuersalē, & antiquam fidem dimittere debeam? Statim ille, Suadeo. *Mitte te deorsum*, ex isto cœlo, ex isto firmitatis inconcussæ firmamento, ex ista eleuata ignominia columna, ex isto supra sidera exaltato templo. Cur? *Scriptum est enim*, infert. Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat, de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus nouo & malo more interpretatis, ex arce Catholica, in hæreseos barathrū infelix anima præcipitetur.

Et bene Iacob de ceraste vaticinatus est, cuius intentio est *deijcere currentem*, non aggredi stertentem. Namq; *hæreticis*, quod Tertullianus animaduertit, *negotiū est, nō ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi. Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus eleuationem operentur, quoniam & ipsum opus eorum, non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent.* Bene etiam de cadentibus infert vt cadat ascensor eius retro, supinus non pronus. Nimirum vt ostenderet, quo decidant hæretici. Nimirum nō in anteriorem partem, vt D. Paulus, qui semper, *ad priora*, inquit, *me extendēs, curro si quomodo comprehendam.* Sed in deteriorem retroneam, scilicet *ad vanam gentilium cōuersationem*, de qua assumpti sumus. Nāque omnes hæreses quotæ quotæ vnquā fuerunt, sunt, erunt, ad gentilismum, imo & ad Atheismum recidunt. *Quid est ascensor, & quid est retro cadere.* *Hæretici in ethnicismum recidunt.*

Quid enim, vt de hodiernis dicam, illi, qui sola fide nitūtur, qui omne opus bonum tanti quanti pannum menstruatæ faciunt, qui non nemini sceleri sese addicentes, in Dei misericordia præsumunt, quid? isti an Deum timent? Quod de suis olim Tertullianus, hoc etiam de nostris. *Negant Deum timendum: Itaq; libera sunt illis omnia & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est. Vbi veritas nulla est, merito & talis disciplina est. At vbi Deus, ibi metus in Deū, qui est initium Sapientia. Vbi metus in Deū, ibi grauitas honesta, & diligētia adtonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio moderata,* *Quia nulla apud eos disciplina.*

derata, & Ecclesia vnita & Dei omnia. Proinde hæc apud nos testimonia disciplinæ, ad probationem veritatis accedunt: à qua diuertere nemini expedit, qui meminerit futuri iudicij, quo omnes nos necesse est apud Christi tribunal astare, reddentes rationem, in primis ipsius fidei.

Quibus sola fides.

Quamobrem cum Lutheranis, Caluinianis, Mennonistis, quod libet licet: Si non vult vxor accedit ancilla: & si non illa, vocatur nonnulla. Si apud eosdē nullus timor propter opus malum. Si omnes virtutes, præter solam fidem, nihil. Si illis omnia libera & soluta, proculdubio neque Deus apud illos. Vbi enim nulla disciplina est, neque Deus est. Cadunt itaque retrorsum in Atheismum, qui Sathanæ obaudiunt, dicenti, *Mitte te deorsum*, ab isto Cœlo Ecclesiæ adstricto, vnito. Præclare Hosius de illis.

Quam, inquit, cantilenam ipse per se Christo Sathanas occinebat in deserto, eandem nunc quoque per membra sua Christianis occinit; nec aliud maiore vrget studio, quam vt *mittant se deorsum*, vt vniuersalem & antiquam Ecclesiæ Catholicæ fidem, per dilectionem operantem dimittāt. Persuadet imperitis, si quis fidem suorum specialem sit amplexus, quod is, non modo si sit bonis operibus destitutus omnibus, verum etiam nullo sit flagitiorum genere nō coopertus, certus tamen esse debeat, se esse in gratia, ac futurum olim, vt tollant eum Angeli in manibus suis, & in cœlum recta perducant, vt illorum protectione seruatus, ne leuissime quidem ad lapidem vllum offendat, sed esse apud Deum in gratia, si ad finem vsque vitæ suæ, etiam in sceleribus perseueret. Hoc vero an non est retrorsum, imo peius quam retrorsum cadere? Namque & gentes *quæ naturaliter norant Deum, naturaliter ea quæ legis sunt sequebantur.* Neque fuit aliqua tam effera gēs, quæ Deum timere non percelleretur atque à scelere non deterreretur, ad quod ipsi primo lapsu feruntur, quibus omnia libera & soluta, propter viduam fidem.

Catholicis dicit. Mitte te deorsum. quando.

Sed dum hæreticos persequor, aduerto etiam nobis adrepentem colubrum, & audio insusurrantem cuilibet peccati: *Mitte te deorsum.* Quid enim aliud suadet, dum suadet peccatum? Honoris ambitū proponit? Statim dicit. *Mitte te deorsum.* Quem enim ex hoc sublimi non deiecit? Quid aquila testudinibus, quod cornices nucibus, hoc Sathan superbis. Aquilæ à se elatis testudines, cornices duras nuces, allidunt ad saxa; sic isti à Sathana:

Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.

Proponit alicui libidinis titillum? statim dicit. *Mitte te deorsum*, à tāto honore ad infamiæ lustra, à vita florente, ad medicorum chyrurgorum manus, à rerum opulentia ad egestātem extremam, quin & aliquando ad securim, ad gladium, ad cædes.

Iracundos an non in præceps agit? Adulteris, an non gladium parat? Furi an nō laqueum nectit? quod parricidæ culeum, perduelli patriæ, rotā, proditori palum, sacrilego ignem, alijs vero alia genera suppliciorū propter flagitia varia ministrat; nihil aliud suadebat, cum scelera suadebat, quam *Mitte te deorsum*: & *vt cadat ascensor expeditus retro.* Et huic vos dabitis aurem? huic vos dabitis manum? Quin imitamini Philoxenum. Is cum à Dionysio tyranno per literas vocaretur: quod sciret se ad periculum accersiri, accepto libello primam tantum Græcorum literā, in eo præscripsit. A qua particula Greci abnegando vtuntur. Ita & vos cū à Sathana rogamini, illud Gramma Philoxeni reponite. Non faciam: non audiā: non veniam. Sed video vos nimis dicto eius obedientes. Refert Cælius Timagoram Atheniensem tanto amore correptum fuisse cuiusdam, vt nihil esset quod in eius gratiam se facturum non offerret. Iubet tandem amata, vt se *præcipitem daret ex alto.* Paruit infelix, eiusdemque iussu se dedit in præceps, & mortem sibi cōsciuit. An vos tales dæmoni petatis? Sed abstineo disquirere.

Philoxeni gramma.

Timagora amor vesanus.

Moneo cum Ambrosio. Cum bene in via currimus, caueamus, ne vbi serpens lateat in semita, & subruat vestigiū equi hoc est corporis nostri, & deijciat subito equi-

Monitum.

equitem dormientem. Non ergo nos opprimat somnus negligentiæ, somnus sæculi, non opprimat diuitiarum somnus, ne de nobis dicatur. *Obdormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum.* Sed sunt & equites dormiẽtes, de quibus scriptũ est. *Dormierunt qui ascenderũt equos.* Si auaritia pectus tuũ vulneret, si libido inflammet, dormis eques, & ideo corpus tuum, hoc est, equum tuum non potes refrenare. Vigila ergo vt etiam si deiectus fueris, hoc est, mortuus fueris, non obdormias. Qui enim obdormiunt somnum suum, nihil inueniunt. Dormiebat Iudas somnum diuitiarum, qui mercedem de proditione quærebat. Vidit eũ Diabolus dormiẽtem, & oppressam somno graui auaritiæ, & mittens se in cor eius, vulnerauit eum, deiecit equitem quẽ separauit à Christo, & in deorsum præcipitauit. Caueamus nos illi præbere aures, quicquid garriat, omnia putemus hoc fine dicta, vt nos deorsum mittat, & vt cõsocios supplicij faciat. Gaudium namque est illi socios habere pęnarũ: sicut Christo gaudium est habere consortes deliciarum; ad quarum locum, *Iesu trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Amen.

DOMINICA SECVNDA Quadragesimæ.

Assumpsit Iesus Petrum, & Ioannem, & Iacobum, & transfiguratus est, &c. Matth. 17.

CONCIO I.

De gloria corporis Iesu.

Psal. 21. POTERAT Dauid gloriari, Deum se habere Adstitẽ adhuc ex vtero: magis tamen Christus noster iuxta humanitatem assumptam. Confitebatur ille Domino dicens. *In te proiectus sum ex vtero, de ventre matris meæ Deus meus tu,* magis tamen Iesus Saluator, cuius forma serui suscepta, Deo plena fuit, iam ab ipso momento incarnationis. Leo vt primum enixus est statim videt: Christus autẽ statim vt hominẽ sibi adiunxit in vtero, oculos humanitatis aperuit, & lumine inenarrabili impleuit: vt illi merito ab eodẽ Dauide accineretur. *Confessionem & decorem induisti; amictus lumine sicut vestimẽto.* Hanc immensam gloriam hodie Apostolis reuelare dignatus est, quando transfiguratus ante illos, in faciem suam tanquam Solare lumen irradiauit. De hac gloria corporis Iesu, mihi hodiernus sermo.

Christus ab huc in vtero plenus Dei & luminis. *Psal. 103.*

Quemadmodum voluntarie; *cum esset æqualis Deo* Patri, *exinaniuit semetipsum pro nobis formam serui suscipiens* Iesus, ita etiam voluntarie instituit *formam Dei* in qua ab æterno similis Patri erat, vel velare, siue etiam reuelare. Ita de illo Iob pronunciabat. *In manibus,* inquit, *abscondit lucem, & præcipit ei vt rursum adueniat, annũciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.* Voluit dicere.

Quod volũt velabat & reuelabat. *Expl. loc. Iob. 36.*

Redemptor mundi, quem & ego & omnes olim videbunt in carne Deum, est Dominus naturalis lucis creatæ, & possessor hæreditarius lucis increatæ. Quod creatam lucem attinet; ipse producit Luciferum in tempore suo, coniungit micãtes pleiadas, vesperum reducit super filios terræ, ordinemque cæli disponens, posuit rationem eius in terra, vt Luna crepero lumine, Sol autem meridiano illustret omne quod est sub cælo. Quod increatam lucem spectat; ipse non ab alio mutuato radio fulget, sed suo proprio, sibi ab æterno cõnato. Est enim lux, hęreditaria illius possessio, magis quam Solaris Soli, & astrea stellis. Nam & stellarum, & Lunæ, & Solis lumen potest ab eo, vel auferri, vel tenebrari; illius autem splendidissimus fulgor neque occidere, neque eclypsari, neque caligine aliqua obscurari potest.

Quamobrem cum vtriusque lucis sit Dominus & possessor, sicut potest quãdo vult Solem nube tegere, ne etiam meridianum splendorem exerat; sic etiam potest quando vult Lucem suã vel alis Cherubinorum aut Seraphinorum, vel tenebris aut caligine, vel etiã aliquo alio vmbraculo

braculo obnubere, & subinde postmodũ retegere, præsertim alicui amico. *In manibus* itaque voluntariæ velationis *abscõdit lucem*: & eisdem manibus reuelationis *præcipit ei vt rursum adueniat*, annunciatque de ea amico suo: insinuans quod ipse sit hæres lucis, Deus de Deo, lumen de lumine; & quod ad eam possidendam possit homo ascendere. Hanc primam causam conijcio, quamobrem ante tempus resurrectionis voluit gloriam corporis abscõditam reuelare.

Incredibile videbatur hominibus, inquit Augustinus, quod promittebat Deus ex hac mortalitate, corruptione, abiectione, infirmitate, puluere & cinere futuros homines æquales Angelis Dei; ideo non solum scripturam cũ hominibus fecit vt crederent, sed etiã fidei suę posuit mediatorẽ, non quemlibet Principẽ, aut quemlibet Angelum aut Archangelum, sed vnicum filium suũ, vt qua via nos perducturus esset ad illum finẽ quem promisit, per eum ipsum filium suum & ostenderet, & pręberet. Parum enim erat Deo, vt filium suum faceret demonstratorem vię, cum ipsum viã fecit, vt per illum ires regentem te ambulãtem per se. Promisit ergo quia venturi essemus ad eum; id est ad illã ineffabilem immortalitatem, & cum Angelis eius æqualitatem, cæterum longe eramus, ille sursum, nos deorsum; ille in summo, nos in imo desperati iacebamus, & sine expectatione salutis ęgrotabamus. Oportebat nos primum medicari. Missus est itaq; medicus, sed quem ex necessitate non cognouit ægrotus. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.* Sed hoc quoque voluit ad ægroti medicamentum, quod medicum occidit incognitum ægrotus. Venit vt visitaret; occisus est vt sanaret. Insinuauit se tamen credentibus Deum & hominem. Deum per quem facti sumus; hominem per quem recreati sumus. Aliud in illo apparebat, aliud latebat; & quod latebat, multo erat præstãtius, quam id quod apparebat: sed quod erat præstantius videri nõ poterat. Curabatur æger per id, quod videri poterat: vt postea capax fieret visionis eius, *qua latendo differebatur, non negando auferebatur.* Expediebat enim salutis nostræ dispensationi, vt noster nouus Iacob hædinis mortalitatis nostræ, quicquid eminebat occuleretur, vt Iosephus tunica polymita ad talos vsq; amiciretur, vt arca testamenti rubricatis pellibus absconderetur, vt statua posita ab apparitoribus Regijs inueniretur, vt noster Dauid coram Achis vultu demutaretur, & vt Sol Oriens, subter quem est originatio lucis perpetuæ, aliqua nubecula obnuberetur. Cæterum quia expediebat quoque confirmandis promissionibus gloriæ immortalis animorum & corporum, quandoq; exsinuare sese, & annunciare de ista luce voluntarie abscondita, amico suo, ideo liceat alias tũ per Angelos, tum per stellas, tum per cælos in baptisma apertos, tum per miracula quæ patrabat insinuauerit se Deum & hominẽ, Deum ab æterno lumen, hominem vero ex tempore amictum lumine sicut vestimento, maxime tamen in monte Thabor voluit reuelari ex manibus, diuitias & gloriam luminis, quod in membra sua deriuare promisit.

Velabat propter opus nostra salutis.

Reuelabat propter insinuationẽ luminis.

Proh quam insolens hæc corporis eius gloria? Possũ de illa vsurpare illud quod idem Iobus dixit. *Non adæquabitur ei Topazium de Æthiopia.* Inter gemmas pretiosas, referunt Æthiopium Topazium pretiosissimum esse: & rite designare non tam cœlestes Spiritus, quam terrigenas filios hominum, ad beatitudinem, propter proprietates Topazij Ætiopici expressas in animo, euectos. Cæterum nullus est visus mortalium, neque vnquam videbitur aliquis Topazius ex nigrore Æthiopico erutus, tam venuste resplendens, vt Iesus in gloriosa corporis sui illuminatione. Esto, Moyses propheta apparens cum Christo, forte resplenduit illo lumine quo à Dei conspectu illustratus fuerat. Esto, Elias propheta indidem cum Christo visus, forte emicuit ab illo igne, in quo trãslatus fuerat in paradisum, tamen ad comparationem gloriæ corporis Christi in hac transfiguratione tanquam minora astra ad Solem, sic illi ad ami-

Cui nullũ lumen adæquari potest. Expon. loc. Iob. 28.

Sicut nox Soli. Lib. 2. c. 32.

ad amictum lumine sicut vestimento.

Plinius refert, *quando* inquit, *plures Soles cernuntur, nec supra ipsum, nec infra, sed ex obliquo, nunquam iuxta, nec contra terram nec noctu, sed aut oriente aut occidente cernuntur*, qui tamen, vt Seneca tradit, nō Soles sunt, sed nubes solari lumine effulgentes. Bene. Apparente quoque nostro Sole in gloria corporis ab anima deriuata, licet & Moyses & Elias, visi fuerint in maiestate, & fors in Solari fulgore, nullus tamen supra ipsum, nullus iuxta prope, sed ex obliquo, tanquam non fontes, sed capaces à fonte, non Soles, sed petaces à Sole, non luminat sed illuminati ab eo quem viderūt plenum gratiæ & veritatis, itaque vt nullum sydus, nulla impressio syderis adæquabitur vnquam Soli meridiano, ita fulgurantissimo nostro lapidi Iesu excelso de monte sine manibus, non adæquabitur Topazius de Æthiopia.

Nam ipse Dominus luminis. Explicabat D. Gregorius. Per Æthiopiam, inquit, præsentem mundum accipimus, quæ coloris nigredine, designat peccatorem populum, fœditatemque meritorum. Aliquando vero Æthiopiæ nomine specialiter gentilitas designari solet infidelitatis nigra peccatis. Topazius vero pretiosus lapis est; & quia Greca lingua pan, omne dicitur, pro eo quod omni colore resplendet, topazius quasi omnicolorius dicitur. Addo ego. Paz, aurum perfectissimum obrizum Hebræis dici. Topazius itaq; vocatur, qui totus aureo fulgore resplendet. Quia igitur in Deum conuersus mundus & præcipue gentilitas credidit, ex ea multi ita sunt dono spiritus locupletati, vt quasi multis coloribus & aureo præcipue, sic multis virtutibus, & præcipue aureo gratiæ lumine luceant. Nullus tamen Sanctorū quibuslibet virtutibus plenis, ex ista nigredine mundi collectus, æquari ei potest de quo scriptū est, *quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.* Nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen sancti nascimur, quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, vt cum Propheta dicamus. *Isai. 50.* *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui vt ipsam conditionem corruptibilis naturæ vinceret, ex commixtione carnalis copulæ non est, Non æquabitur itaq; ei topazius de Æthiopia. Nam non potest æquari gloriæ vnigeniti habitæ à patre per naturam, alijs accepta per gratiā. Alij enim nati homines, gratiā adoptionis acceperunt; Christus autem Deus per Diuinitatis potentiam singulariter ex ipso cōceptu prodijt, in quo habitauit plenitudo Deitatis corporaliter. *Deus & homo.* Non enim purus homo conceptus atque editus post per meritum vt Deus esset accepit, sed nunciante Angelo & adueniente spiritu, mox Verbum in vtero, mox vtero in Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum patre & Spiritu sancto coæterna, assumpsit intra Virginea viscera, vnde & impassibilis pati, & immortalis mori, & æternus ante sæcula, tēporalis posset esse in fine sæculorum. Vt per ineffabile Sacramentum, conceptu Sancto & partu inuiolabili, secundum veritatem vtriusque naturæ, eadem Virgo & *ancilla Domini esset, & Mater.* Sic quippe ei ab Elizabeth dicitur. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Dei ad me?* Et ipsa Virgo concipiens dixit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Et quamuis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine; non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine; Sed ipse est æternus ex Patre, ipse temporalis ex Matre, ipse qui fecit, ipse qui factus est, ipse speciosus forma præ filijs hominum per Diuinitatē, & ipse de quo dictum est. *Luc. 1.* *Vidimus eum, & non erat aspectus, & non est species ei neque decor*, per humanitatem. Ipse ante sæcula de Patre sine Matre: ipse in fine sæculorū de Matre sine Patre. Ipse Conditoris templum: ipse Conditor Templi, ipse auctor Operis, ipse opus auctoris. *Manens vnus ex vtraque & in vtraque natura, nec naturarum copulatione confusus, nec naturarum distinctione geminatus. Non adæquabitur ergo illi Topazius de Æthiopia*, scilicet, hi qui ex peccati nigredine ad conuersionem venientes æquari Deo homini omnino non possunt, quamuis multis coloribus

Alij participes. bus virtutum resplendere videantur.

Quod si in gloria animi non potest ei aliquis Sanctorum adæquari, quia illum vnxerit Deus oleo lætitiæ præ consortibus omnibus, quid porro æquabitur illi aliquis in gloria corporis quam deriuauit ab oleo lætitiæ pre omnibus participibus gloriæ? Non adæquabitur ei quoque aliquis ab Æthiopia in gloria corporis, cuius lumini ne ipsum quidem lumen Solis adæquari potest, vtpote qui lumen suum septuplo plus Sole refudit, & refundit in corpus.

Deus & homo.

Stella à stella differt in claritate, sic erit & resurrectio mortuorum. Quamobrem sicut inter Astra Sol primatum tenet, propter deriuationem luminis in sydera, quibus lumen fænerat: sic Christus Sol Oriens primitię dormientium, propter mutuationem luminis quod diffundet in alios Sanctos, principatum tenet in gloria corporis assumpti, quod amicijt lumine tanquam vestimento.

Ipse etiam super participes.

Quatuor equi Solis quid. Quatuor, equos fingitur à Poëtis Sol habere, primum vocant Erithreū, id est, rubentem, alterum æthereum, id est, splēdentem, tertium lampada, id est, ardentem, quartum philogeum, id est, amantem terram. Si proprietates Solaris luminis exprimere volebant, non abnuo. Hæ tamen magis in Iesu nostri transfigurato corpore, quam in alieno elucebant.

Rubuit in illo caro assumpta, à Rosinoma verecundia, peculiari radio illustrata, splenduit in illo ætherea castitas, nouo candore inter candidatos resurrectionis candidata: arsit in eo flagrantissima charitas, nouo feruore inter feruentes immortalitatis redignita, ita vt vel iris multicolor, vel ipse Sol tripliciter & septupliciter affulgens videretur ambiuisse Christum reuelatorem lucis immensæ. Emicuit & in illo Philogeus, scilicet amor terræ nostræ, quam ad conformem transfigurationem alliciebat, imo & attrahebat ostendens *quod ad eam possimus ascendere.*

Ascendit Moyses & Elias, & Mulier Virgo amicta Sole, & alij quam plurimi, quorum corpora configurabit corpori claritatis suæ, quid ni & nos? Possumus si volumus ab hoc Sole illustrari, & in Solem demutari. Si tamen æmulati fuerimus nubes quę in Soles abeunt. Sed quomodo? Repeto breuiter quę ex Plinio adduxi. *Possumus & nos radiare, si nubes quæ in Solem abeunt imitati.*

Plures Soles cernuntur, nec supra Solem. scilicet nubes illæ transfigurantur in Solem, quæ non super Solem. Sic & nos si transfigurari auemus, non debemus nos attollere supra ipsum. Oportet dicere eū qui cupit. Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. 1.

Nec infra. Nubes non abeunt in Solem, quæ infra ipsum. Sic & animæ non demutātur amplius, quæ in inferiori parte terrę, *defixæ in fæcibus suis.* Oportet orare eum qui cupit. *Trahe me post te.* 2.

Nunquam iuxta Solem abeunt nubes in ipsum. Sic & animæ non illustrantur, quæ paria Deo tentant. Oportet enarrare orando: *Illustra faciem tuam supra seruum tuum.* 3. *Psal. 30.*

Nec contra terram, nubes eleuatæ mutantur in Solem. Sic & homines, qui statuerunt oculos suos declinare in terram, non illustrantur ab hoc lumine. Necesse est dicere, *Nostra autem conuersatio in cælis est.* 4. *Phil. 3.*

Neque noctu, nubes apparentes illuminantur à Sole. Sic neque homines post duodecimam horam diei postquam illos cæca nox mortis tenebris operuerit, irradiantur ab hoc astro. Monebat itaque Saluator. *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant, vt filij lucis sitis.* 5.

Sed ex obliquo oppositæ nubes Solarem speciem referunt. Sic & animæ Diuinæ huic irradiationi ex obliquo obiectæ cōfigurantur, & postmodum transfigurantur à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Apprehendite hanc Meteorologicam, accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur, sed splendebunt sicut Sol in æternitatem. Amen. 6.

CONCIO II.

Et transfiguratus est ante eos, &c.

De Methamorphosi Christianorum.

A Conuersatione Moysis cum Deo, quantus illi splendor accesserit, nemini vestrum ignotum est, cum descendisset enim de monte, facta erat facies eius prælustris, vt non possent filij Israël intendere oculos, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur: sed ponebat ille velamen super faciem suam, ne nimio fulgore perstringeret aspicientes. Non mirum si etiam Saluatoris nostri die hodierna in monte Thabor, facies resplenduerit tanquam Sol, vestimenta autem facta sint alba velut nix. Nā perpes erat, in & cum Deo. Qui enim perennant cum eo, atque dicunt. *Illustra faciem tuā super seruum tuum*, & ipsi quoque lumine vultus eius signati, transferuntur à claritate in claritatem à Domini Spiritu. De hac mira metamorphosi Christianorum, mea hodierna dissertatio.

Psal. 30.

Pulchritudo vera in circulo.

Philosophorum de pulchritudine sententia fuerat, quod illa sit *in circulo, bonitas vero in centro.* Circulum examino, & in eo veram esse pulchritudinem denuncio. Per circulum, antiqui, animam intelligebant. Volubilis circulus? & anima nihil est volubilius, quæ in momento, & præsentia, & preterita, & futura, & ea quę in cœlis, & ea quę in & sub terris, cogitatione præteruolat. Circulus tunc pulcher, quando extremum punctum, æquali interstitio circumductum, ad suum regreditur principium; & anima tūc venusta, quando vel ad suam dignitatem, vel ad Dei authoris imaginem reflexa. Omnis enim pulchritudo deriuatur ab hoc reflexu, ad Deum fontem pulchritudinis. Vt à Solis lumine, quicquid est in terra luminis, & vt ab igne, quicquid est flammarum in orbe; sic quicquid est speciosum & omnibus partibus pulcherrime compositum in anima, à reflexo ad pulcherrimum Deum recursu prouenit.

A reflexione ad Deū Similitud.

Vt speculum nitidum, si ad Solem obijciatur splendentem, splendore Solari illustrabitur intantum, vt & opposita corpora illustret, sic animus si ad splendorē Diuinæ lucis sese conuertens adiunxerit, splendorem sibi insolitum conciliabit, vt possit irradiare alios similitudine Diuinæ pulchritudinis in se elucente. Quod sponsa Diuina in elogio habeat, *pulchra vt Luna, electa vt Sol*, habet exinde quod dixit: *ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Quod gygas ille *exultans ad currendam viam*, processerit *tanquam sponsus* roseo vultu venustus *de thalamo suo*, habet fulgorem ex eo, quia *in Sole posuit tabernaculum suum*, & quia *à summo cœlo egressio eius atque occursus eius, vsque ad summum eius.* Quod Moyses tanto lumine corruscat, vt filij Israël conniuerent ad aspectū, est ab hac reflexione circulari ad Deum, qui solet *illuminare vultum suum super nos.* Vnde & Saluator noster hodierna die formosus super astra apparuit, nonnisi propter hāc reflexionem ad Deitatem, ex qua lucem insolentem in corpus diffudit. Quemadmodum enim Sol nubem radijs atque fulgori suo obiectam, instar Solis splendentem reddit: ita Deus cum sibi aliquem adiunxerit, ipsum quoque mirabili specie fulgentem efficiet.

Cant. 6. Hinc sponsa Gygas Moyses splendebat.

Similia pulcher.

Sicut aurum mundum ad Solis expositum radios, emittit & ipsum radios, licet non ex natura solum, verum etiam ex Solis fulgore: similiter & aliquis repurgatus & auro factus lucidior, si accipit radiū à gloriæ spiritu, & hunc vicissim ex se eiaculatur. Pulchritudinem itaque esse in circulo nihil aliud est, quam hanc prouenire à recursu ad Deum. Pratum aliquod herbidum Sole orto ingressi, videtis rorem matutinum per flosculos in aëra ad Solem attrahi, & vel ipsis smaragdis, adamantibus, & pyropis ab irradiatione Solari prælucere? tanta est pulchritudo indicibilis, vt nulla ei comparari possit. Tāta est etiam pulchritudo incredibilis illorum, qui in contemplatione Diuinæ bonitatis eliquati, tanquam roscidæ guttæ attracti ad Deum, mira miranda lucis varietate pellucent.

Quam-

Iesus etiã ab hinc pulcher. *Psal. 44.*

Quamobrem Saluator noster, vt nos sua transfiguratione, ad hanc ex Methamorphosi pulchritudinem inuitaret, ante discipulorum oculos voluit, *speciosus forma præ filijs hominum* apparere.

De hac Iesu pulchritudine dicebat D. Augustinus. Nobis, inquit, iam credentibus, vbiq; sponsus pulcher occurrat. *Pulcher Deus, verbum apud Deum.* Quæris vnde? ex recursu ad Deum, quẽ tanquam imago repræsentabat. *Pulcher in vtero virginis, vbi non amisit Diuinitatẽ, & assumpsit humanitatẽ?* Quæris vnde? Ex recursu ad Deum, cui in forma serui adhæsit. Pulcher natus infans Verbum; quia & cũ esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerũt, magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibus animalium mãsuetorum. Pulcher ergo in cælo, pulcher in manibus parẽtum, pulcher in templo, pulcher in monte, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher nõ curans mortẽ, pulcher deponens animam, pulcher recipiẽs, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in inferno, pulcher ad dexteram Patris, pulcher in intellectu mentis. Quæris vnde? *Ab occursu eius vsque ad summum Dei.* Qui itaque venustatem animæ & corporis, tum deinde gloriam immortalem exambiunt, docuit sua transfiguratione Christus vnde illam quærere debent, scilicet ex *circulo*, seu ex recursu ad Deum. Sed quomodo? Per virtutem.

Pulchritudo vera ex virtute.

Euidens cuique est corporis constitutionem & pulchritudinem, ex animæ cõstitutione & pulchritudine profluere, ad eum modum, vt quibus anima delineata fuerit coloribus affectuum, ijsdem & corpus decolorabit. Si tetro aliquo facinore illa obscurata? tetram faciem ostendet. Si modestia vel virtute aliqua, cerussata vel purpurissata? talem & vultum expandet. Iracundus toruo vultu? Ab anima. Superbus tumet? ab anima. Lurida est lasciuia? Ab anima. Liuet inuidia? ab eadem, in summa, qui *Monstrum in anima, monstrum in corpore.* Nam vt ait Propheta, de quibusdam, ego vero ad omnes deriuo. *Denigrata est facies eorum super carbones, & non sunt cogniti in plateis, quia Domino peccauerunt.* Alter vero pronunciabat. *Facti sunt, inquit, abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* E contra vero, si videtis aliquem serenum? Serenat ab innocẽtia. Si russata gena? Rubet à verecundia. Si fronte exporrecta? Surrectus ille à fiducia sui. Si oculo demisso? Si alacri vultu? Si specie honesta? Tota illa faciei gratia, à gratia interna animæ orta.

Thren. 4.

Quæ intus. *Expen. loc. Psal. 44.*

Dauid gloriam filiæ regis dum considerasset, pronunciauit, *Omnis gloria filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus*, q. diceret. Si quam in sponsa Dei video pulchritudinem externam, tanquam in fimbrias aureas redundantem, si video pudicam in oculo, verecundam in genis, subridentem modestia, in inculto ornatu non tantum Deum, sed & homines recreare? tota hæc venustas externa, ab interna est; quæ interna tantæ est potestatis in demutando corpore, vt sæpe ante diem non tantum resurrectionis sed & mortis communis, qualitates illas beatas in resurrectione donandas, in mortale corpus refundat. Miror agilitatem in Petro, quod siccis vestigijs super mare ambulauit; Miror subtilitatem in Philippo, quod ex oculis Eunuchi in momento euanuit; Miror eandem in Dominico & Aquinate, quod ille clausis ianuis in Monasterium S. Sabinæ ad discipulos adhuc viuẽs intrauit, iste vero & Neapoli & Romę in oratione positus, non semel in aëra se sustulit, atque nullo nixus fulchro, pẽdulus orauit: Miror in Diua Deiparẽte faciei radium visibilem quo Dionysiũ Areopagitam ita percelluit; vt diceret: Si Deum verum Cæli & terræ conditorem non crederem hanc pro Deo & haberem & adorarem: Vnde huic tantus splendor? Vnde illis illę dotes? Anima virtutibus leuigata, eleuata, illustrata, cui nõ difficile faciem plus Sole fulgentem, speciemque externam, quacunque visibili forma formosiorem efficere.

A qua dotes præcipiuntur corporis.

Præcipue lumen.

Quo Sancti præfulserunt.

Mira sunt, sed ea quidem verissima, quæ de multis Sanctis eorũ annales prodide-

diderunt, quod ex admiranda virtutum pulchritudine qua anima eorum splendebat, splendor quoque mirificus in eorum corporibus radiaret. *Dauid.* Dauid quidam Mesopotamius, cum extra vrbem Thessalonicensem ad tria stadia Anachoriticam duceret vitã; noctu longo tempore, magno fulgore domuncula eius corruscabat, adeo vt ab vniuersa vrbe ipsa conspiceretur, curiositate etiam totam vrbem commouente, eius fulgoris nocturni inspiciẽdi causa, vt refert Sophronius.

Nonnus in prato. c. 69. & 104. Nonnus etiam Abbas, cum ante Ecclesiam oraret, nocte intempesta extensis in cœlum manibus, eius manus corruscabant lampadum ignitarum modo, adeo vt abbas Theodosius Episcopus Capitualiadis huiusmodi viso fuerit perterritus, atque aufugerit.

40. Mart. Lycinij tyranni tempore, apud Sebastem cum quadraginta Martyres in lacũ prefrigidum missi essent, magnoq; frigore algerent, oratione præmissa, omnes simul Sole circumfulgentes emicuerunt.

Martinus. De Martino Episcopo scitum est, quod dum mentem suam in oratione ad Deum conuerteret, globus igneus apparebat super caput eius. *Abrahã.* Abraham eremita admiranda charitate illustris, & odorem ex corpore & lætum semper radium ex vultu, viuens adhuc emittebat. *Cathar.* Catharina Martyr, dum horrendo carcere inclusa esset, luce ex sapientiæ & castitatis lumine irradiante, totum carcerem tenebrosum illustrauit. *Agnes.* Agnes Martyr, in prostibulum violenter abducta, luce immensa à suo corpore diffusa, iuuenẽ petulantem excæcauit. *Cathar. Senen.* Catharina Senensis, cum aliquando cubiculum cuiusdam decumbentis, cui ministrabat intrasset, lucem inęstimabilis amænitatis & suauitatis circa lectum eius dispersit. Nesciens ægrota eius lucis causam, vidit vultum sanctæ Virginis, quandam Angelicam maiestatem præseferentem, ipsamque eo lumine tanquam tegmine quodam vndiq; circumdatam. Tanta est vis pulchritudinis animæ, tantus splendor gratiæ mentem ornantis, vt corporis pallorem aurea luce perlustret.

Maius audebo efferre. Tanta est Diuini luminis animam irradiantis potestas, vt & externam corporis formam, vi sua immutet, & in Saluatoris speciem effigurest. *Etiã in Christũ demutata. Surius t. 2.* Non auderem id prodere, nisi à fide dignis scriptum esset, de eadem Diua Senẽ. Accidit, vt Virgo Christi, multis pressa morbis Raymundum confessorem ad se iuberet acciri, communicatura illi quędam Diuinitus reuelata. Venit Pater Raymundus, & adstans illi decumbenti atque febricitanti, audiuit illam more solito loquentem de Deo, & quæ illo die ipsi Dominus reuelasset, exponentem. Ibi rursus referente illa grandia quædam, & alijs inusitata, de quibusdam cogitabat apud se. *Putasne vera esse omnia quæ dixit?* Simulque intendit in faciem loquentis, & subito vidit faciem eius in viri barbati transformatam, qui fixis oculis in eum respiciens, valde illum terrefecit. Erat autem facies eius oblonga ætatis mediæ, barba non prolixa, colore triticeo, maiestatem quandam præseferens, vnde manifeste se Dominum ostenderet. Territus igitur Raymundus exclamauit, *O quis est, qui me respicit?* Respondit Virgo. *Ille,* QVI EST. Ijs dictis, mox facies illa disparuit, & facies Virginis redijt. Multorum aliorum Sanctorum exempla volens prætereo, qui ex animæ pulchritudine, gloriam futuræ resurrectionis, adhuc in mortali corpore perceperũt, atque plurimis exercuerunt. Vera enim pulchritudo, etiam corporis, nonnisi à pulchritudine animi deriuatur.

Socratis orat. in Phædro. Socrates moriens hanc orationem orasse fertur, referente Platone, O *Pan, cæteraque numina, date vt intus pulcher fiam & quæ extrinsecus sunt, intrinsecus sint amica.* An iste etiam Ethnicus intelligebat pulchritudinis mysterium? Vtiq; intelligebat. Cum sciebat pulchritudinem internam, à virtutibus, & externam ab interna symetria originari. Nam quanto quis lympidior efficitur per virtutes, tanto magis templum eius pro Deo suscipiendo disponitur. Quanto autem magis plenus Deo animus, tanto magis pulcher & venustus, & quo magis venustus

Vana mulieres quæ ornamentum quærunt.

nustus intus, tanto venustior extrinsecus.

Ite nunc vos fæmellæ, & alicubi ornamenta venustatis quam à Deo quærite. Scio officinam promam, quam vos frequentatis. Quam? A quo? Cui bono reseratam? Vt ex occasione aliquid dicã, aio, *Non ab Eua institutam, sed à Dæmone reuelatam.* Ita enim Tertullianus ad vos, quæ philocosmæ. Si tanta, inquit, in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cælis, nulla omnino vestrum, Sorores dilectissimæ ex quo Deum viuũ cognouisset, & de sua, id est, de fæminæ conditione didicisset, lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetisset, vt non magis in sordibus ageret, & squallorem potius affectaret; ipsam se circumferens Euam lugentem & pęnitentem, quo plenius id quod de Eua trahit (ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ) omni satisfactionis habitu expiaret. *In doloribus & anxietatibus paris mulier, & ad virum tuum cõuersio tua, & ille dominatur tui; & Euã te esse nescis?* Viuit sententia Dei super sexum istum in hoc sæculo, viuat & reatus necesse est. Tu es diaboli ianua, tu es arboris illius resignatrix, tu es legis Diuinæ prima desertrix, tu es quę eum inuasisti, quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facile elisisti. Propter tuum meritum, id est, mortem, etiã filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mẽte est, super pelliceas tuas tunicas? Age nunc si ab initio rerum & Milesij oues tonderent, & Seres arbores nerẽt, & Tyrij tingerent, & Phryges insuerent, & Babilonij intexerent, & margaritæ canderẽt, & Ceraunia corruscarent, si ipsum quoq; aurum iam de terra cum cupiditate prodisset, si iam & speculo tantum mentiri liceret; hæc Eua concupisceret, de paradiso expulsa, iam mortua opinor. Ergo nec nunc appetere debet, aut nosse si cupit reuiuiscere, quæ habuerat, nec non erat, quando viuebat. Ideo omnia ista damnatæ & mortuæ mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta. Nam & illi qui ea constituerunt, damnati in pænam mortis deputantur, illi scilicet Angeli, *qui ad filias hominum de cælo ruerunt,* vt hæc quoque ignominia fęminæ accedat. Nam cum & materias quasdam bene occultas, & artes plerasq; non bene reuelatas, sæculo multo magis imperito prodidissent, (si quidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationũ vires prouulgauerant, & omnem curiositatem vsque ad stellarum interpretationẽ designauerant) proprie & quasi peculiariter fæminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum quibus monilia variantur: & circulos ex auro quibus brachia arctantur: & medicamenta ex fuco, quibus lanæ & facies colorantur: & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur. Hæc qualia sint, interim iam ex Doctorum suorum qualitate & cõditione pronunciari potest, quod nihil ad integritatem peccatores, nihil ad castitatem adamatores, nihil ad timorem Dei desertores spiritus, aut monstrare potuerunt, aut præstare. Illa ciuitas valida, quæ super septem montes & plurimas aquas præsidet, quũ prostitutæ à Domino appelluisset, sedebat in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioso, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta & prostituta describi. Thamar illa quia se expinxerat & ornauerat, idcirco Iudę suspicioni visa est quæstui sedere, adeo quia sub velamento latebat, habitus qualitate quæstuariam mentiente, & fecit vt quæstuariã, & voluit, & cõpellauit, & pactus est. Diducerem omnia ista sed --- Sed reuertor & repando. Vnde vera venustas? A virtute, à Deo, quam vos omnes qui quęritis, abinde requirite. Ita monebat ille quẽ citaui Tertullianus. Prodite vos iam medicamentis & ornamentis extructæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborẽ, depictæ oculos verecũdia, & spiritus taciturnitate: inserentes in aures sermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Christi. Caput maritis subijcite, & satis ornatæ eritis. Manus lanis occupatæ, pedes domi

Lib. de habitu muliebri Eua viua non congruentem.

Non ab Eua.

Sed à Diabolo inuentũ.

Prostitutam signantem & tegentẽ.

Quærant potius à virtute.

figite, & plus quã in auro placebunt. Vestite vos ferico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatę, Deum habebitis amatorem. Amen.

CONCIO III.

Bonum est nos hic esse. Matth. 17. c.

Num aliquis mortalium possit esse Beatus?

Symbol. Pythagoræ.

Non nimis absurdum ego censeo, illud dogma Pytagoræ, quo præcipiebat. *Ex itinere, præter propositum ne ingrediaris templum, neque ores prope vestibulum transiens.* Si enim mysticam eius interpretationem spectes, non tantum nõ absurdum, quinimo necessarium est obseruatione hoc edictum, si per templum, Beatitudinis supremæ sedem intellexit. Ad hoc enim quia in itinere viatorio diuertere voluit Petrus, orans prope vestibulum transiens, *Domine bonum est nos hic esse.* Non modo non est exauditus, sed etiam extra vestibulum relictus. Quicunque enim viator, quamdiu viator est, atque habet propositum viandi, & cum hoc proposito, præter viæ propositum cupit ingredi in *dilecta Dei tabernacula in quibus melior est dies vna super millia* temere Templum hoc sacratum temerare audet; temereque orat in isto vestibulo, quod alter orabat fors aliqua ex parte nõ temere. *Bonum est nos hic esse.* Sed ista magis clara, quando declaro, *Num aliquis mortalium, possit esse Beatus?*

Ex itinere templum non ingredi quid.

Templũ locus felicitatis æterna.

Templi Dei nomine, vt plurimum intelligebatur, sedes felicitatis æternæ. Nam vbi Deus, ibi Dei gloria, & vbi hęc, ibi felicitas. In Templo Deus, In Templo felicitas.

Templum itaque sedes felicitatis ęternæ. Isaias namque Propheta pro eodem habet cum vidisset Deum super solium excelsum, & eleuatum, aspexit etiã quod *ea quæ sub ipso erant replebant templum, & plena erat gloria à maiestate ipsius.* Similiter & Ioannes, pro eodẽ habet Templum supernum & beatitudinem æternam. Videns enim Ciuitatem illam Sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo: inquit *& templum nõ vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens, templũ illius est & Agnus, & ciuitas non eget Sole, neq; Luna vt luceant in ea. Nam claritas Dei illuminauit eã, & lucerna eius, est agnus, & ambulabũt gentes in lumine eius & reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam.* Itaque Templum in sacris literis pro felicitate suprema habemus.

Ad istud Templum eleuatum, nemini ex viatoribus quãdiu viantes, concessum est ingredi pręter Iesum Benedictum, qui & viator, & comprehensor fuerat. Tanta est enim sublimitas loci illius, tanta magnitudo dulcedinis absconditæ, tanta necessitas conditionis humanæ, vt nullus mortalium, quamdiu mortalis, felicitatem sempiternam, in mortali corpore assequi potest.

Quod viatori vt viatori clusum.

Sed in primis conditionem hominis expendo, & pronuncio, viatorem nõ posse esse in mortali corpore beatum, à suauitate dulcedinis, quam Deus abscondit timentibus se. Cum enim sensus corpori affixi, non nisi quod corpori concretum est percipiãt, oculus colores, auris sonos, lingua sapores, Deus autem & manna illud, quia abscondita sunt à sensibus corporis. Itaque nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.

1. propter cõditionem carnis.

Veteres Platonici dum quærerent, per quam viam felicius & facilius homines ascendere possint in Deum? tandem decreuerunt: *Per Mercurium, Venerẽ, & Solem.* Insinuarunt per Mercurium, scientiam Diuinorum; per Venerem autem, Castum Dei amorẽ, per quæ duo media, imus ad Deum, ex quo felicitas Beata, cæterum non sine Sole, id est, non sine lumine à Deo infuso, quod & illustrat intellectum, & accendit affectum, velutque duas pennas inargentatas nectit animæ, vt tanto facilius, & felicius ascendat, quo Dauid orabat dicens, *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Symb. Plotin. de triplici reditu animæ ad Deum.

Quæ incapax Solis, & ideo & Mercurij & Veneris quid.

Cæterum quia luminis istius solaris non est capax mortalis, nisi postquam definit

finit esse mortalis, ideo quamdiu est mortalis, non potest hunc Mercurium, Venerem, & Solē permeare, ad videndum calculū sortis felicis absconditum, quē nemo scit, nisi qui exutus mortalitate accipit.

Quærebat S. August. hanc felicitatem. Quamobrem fatetur ipse August. dicens. Ego, inquit, erraui sicut ouis quæ perierat, quærens te exterius. Circuiui vicos & plateas, quærens te & non inueni. Oculi dicunt, si coloratus non fuit, per nos non intrauit. Aures dicunt, si sonitum non fecit, per nos non intrauit. Nasus dicit, si non oluit, per me non venit. Gustus dicit, si non sapuit, per me non introiuit. Tactus etiam addidit, si corpulentus non est, nihil me de hac re interroges. Nō igitur ista sunt in te Deus meus. Non enim speciem corporis, non decus tēporis, non candorem lucis, non colorem, non dulcium melodiarum cantus, & quæcunque dulce sonantia, non florum, & vnguentorum vel aromatum odores, non mella vel manna gustui delectabilia, non cætera ad tangendum oblectantia quęro cum Deum meum quæro. *Sed non inuenit.*

Efferant licet nonnulli felicem sortem, quasi eis munere Diuino concessum sit, contueri splendidissimam Dei faciem. Iactet Iob illud quod dixit, *Nunc oculus meus videt te.* Prædicet Iacob quod euulgauit, *vidi Dominum facie ad faciem*, Denuncient Prophetæ, se vidisse Dominum vel super solium excelsum, vel super murum adamantinum, vel iuxta fluuium Chobar. Fateor viderunt, sed non nisi in alieno vultu expressam Dei faciē, non in seipsa. Namq; vni eorum parenti, dictum audio: *Faciem meam videre non poteris.* *Iob. 42.*

Viderunt Sancti sed in specie aliena. Aspexerunt autem facie ad faciem, scilicet ad faciem illam quam vel ipse in eorum mēte, vel Angeli in eorum oculis effingebant. Abraham in specie trium virum: Iacob in forma colluctantis, alius in rubo non ambusto, alij in ignito fulgure, alij in habitu senioris vel alio quopiam, in tenebrosa imaginatione, lumine Prophetico adumbratam, & expressam.

Expon. loc. Iob. 28. Mirum videtur in primis D. Gregorio, illud à Iobo subiunctum. *Absconditа est sapientia ab oculis omnium viuentium*, Sapientia quippe, inquit, quæ Deus est, si omnium viuentium oculis occulta esset, hanc proculdubio Sanctorum nemo vidisset. Sed ecce audio Ioannem huic concordantem, qui ait, *Deum nemo vidit vnquam.* Rursumq; cum veteris testamenti Patres intueor, multos horum, teste ipsa sacræ lectionis historia, Deum vidisse cognosco. Vidit quippe Iacob Dominū qui ait, *vidi Dominum facie ad faciem. & salua facta est anima mea.* Vidit Moyses Deum, de quo scriptum est; *Loquebatur Moyses ad Dominum facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum.* Vidit itē Iob Dominum; qui dicit: *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te.* Vidit Isaias Dominum qui ait; *Anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedētem super solium excelsum, & eleuatum.* Vidit Micheas Dominum qui ait. *Vidi Dominū sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei à dextris, & à sinistris.* Quid est ergo, quod tot testamenti veteris patres Deū se vidisse, testati sunt & tamen de hac sapientia quæ Deus est dicitur: *Abscondita est ab oculis omnium viuentium*? & Ioannes ait, *Deum nemo vidit vnquam*? nisi hoc quod patenter datur intelligi; quia quamdiu hic mortaliter viuitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest: vt anima gratia spiritus afflata, per figuras quasdā videat, sed ad ipsam vim eius essentiæ non pertingat. Hinc est enim, quod Iacob; qui Deum se vidisse testatur, hunc nonnisi in Angelo vidit. Hinc est quod Moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquebatur, sicut loqui solet homo cum amico suo, ei inter verba suæ locutionis dicit. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, vt videam te.* Certe si Deus non erat, cum quo loquebatur, *ostende mihi Deum*, diceret; & non *ostende temetipsum.* Si autem Deus erat, cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat videre Deum quem videbat? Sed ex hac eius petitione colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptæ naturę suæ claritatem cernere, quem iam cæperat per quasdā imagines

Gen. 32. *Iob. 42.* *Isai. 6.*

gines videre. Vt ſic ſuperna eſſentia, oculis eius adeſſet mentis; quatenus ei ad æternitatis viſionem nulla imago creata temporaliter intereſſet, & viderunt ergo Patres teſtamenti veteris Dominum; & tamen iuxta Ioannis vocem, *Deum nemo vidit vnquam*: & iuxta Beati Iob ſententiam, *ſapientia* quę Deus eſt, *abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium*: quia in hac mortali carne cõſiſtentibus, & videri potuit per quaſdam circumſcriptas imagines, & videri non potuit per incircumſcriptum lumen Diuinitatis. Pergit idem ſanctus docere quomodo Deus videatur & non videatur, in hoc mortali corpore.

Idque non amplius viuentes.

Sin vero à quibuſdam poteſt, in hac adhuc corruptibili carne viuentibus, ſed tamen inæſtimabili virtute creſcentibus, quodam contemplationis acumine æterna Dei claritas videri, hoc quoque à Beati Iob ſententia non abhorret, qui ait. *Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentiũ*: quoniam quiſquis ſapientiam, quæ Deus eſt videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eã vidit, qui adhuc carnaliter viuit: quia nemo poteſt Deum ſimul amplecti & ſeculum. Qui enim Deum videt, eo ipſo moritur: quo vel intentione cordis, vel effectu operis, ab huius vitæ delectationibus tota mente ſeparatur. Vnde ad hunc eundem Moyſen, adhuc dicitur. *Non enim videbit me homo & viuet*. Ac ſi aperte diceretur. Nullus vnquam Deum ſpiritaliter videt, & mundo carnaliter viuit. Vnde Paulus quoque Apoſtolus, qui adhuc Dei inuiſibilia, ſicut ipſe teſtatur ex parte cognouerat, iam huic mundo totũ ſe mortuum eſſe perhibebat: dicens. *Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo*, vt inſinuaret, non ſolum ſe mundo mortuum, ſed etiam mundum ſibi mortuum eſſe, quatenus nec ipſe mundum, nec mundus ipſe appeteret.

Iob. 28.

Sed mortui mundo.

Gal. 6.

Nullus itaque mortalium, quamdiu mortalis, & non aliqua ratione mortuus, poteſt eſſe beatus, à viſione Dei per eſſentiam in qua eſt omnis fęlicitas. Refert Auguſtinus quãdam viſionem ſibi, in ea hora, qua Hieronymus Doctor ſanctiſſimus mortis iura perſoluit, reuelatam fuiſſe. Ea inquit, die & hora qua exutus putredinis & immundæ carnis toga Hieronymus ſanctiſſimus veſtimentum perpetuæ immortalitatis & inæſtimabilis lætitiæ & gloriæ induit, dũ Hippone in cellula mea quieſcens, de gloria Beatorum cogitarẽ, cupiens tractatum breuem componere, charta, calamo, pugillaribuſque ſuſceptis breuem cœpi epiſtolam ſcribere, Hieronymo ſcilicet deſtinandam, vt quid ex hoc ſentiret, reſponderet. Cumque iam ſcribens ſalutationis exordium, *Hieronymo* prænotarem, ineffabile ſubito lumen, cum inaudita odorum fragrantia cellulam in qua ſtabam intrauit hora completorij, Sed meis perſtrepentibus cogitationibus, quid hoc eſſet dulce; hæc dicens verba, vox emicuit. *Auguſtine, Auguſtine, quid quæris? Putaſne breui immittere vaſculo mare totum? Breui includere pugillo terrarum orbem? Cælum firmare, ne vſitatos exerceat motus? Quæ oculus nullius hominum videre potuit, tuus videbit? Quæ auris nulla per ſonum hauſit, audiet tua? Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiã cogitauit, exiſtimas te poſſe intelligere? Infinita rei quis erit finis? Immenſa, qua menſura metieris? Potius totum mare in arctiſſimo clauderetur vaſculo, potius terrarum orbem paruus teneret pugillus, potius cælũ à motu continuo deſiſteret; quam gaudiorum & gloria, quibus animæ ſine fine potiuntur minorem caperes particulã. Diſcurre adhuc breue temporis ſpatium, & ſatage talia exercere opera, vt poſtmodum ibi quæ hic quæris, in æternum habeas.* Ad hæc ego voce tremebũda dixi. *Qui tam felix es? tam glorioſus? tam honorifice ad illa properans gaudia, qui tam dulcia gutturi meo eloquia fatis?* At ille: *Nomen meum quæris? Hieronymi illius præſbiteri* (cui tranſmittendam epiſtolam ſcribere cœpiſti) *ſum anima, quæ hac hora in Bethleẽ Iuda carnis onere depoſito, Chriſto omnique cæleſti comitata cohorte, omni decorata pulchritudine: omni illuſtrata ſplẽdore, induta immortalitatis veſtimento deaurato, circumamicta omnium bonorum & gaudiorum varietate, terrenorum omnium triumphatrix, omni diademate coronata,*

Viſio S. Auguſt. Ep. 205.

Solis immortalibus reſeruatum illud templum.

tam

Solis immortalibus reserntum illud templum.

tam gloriose, tam ineffabiliter pergo ad Regna cœlorum sine fine mansura. Non enim hic in terra morientium, sed illic cōtinua dies est sine nocte, vita sine morte, gaudium sine dolore, tranquillitas sine perturbatione, amor sine timore, pax sine discordia, diuitiæ sine paupertate. Ibi Sanctorum animæ facie ad faciem propriam Deum intuentur, & Diuinis edulijs absque vllo fastidio exsatiantur. Ibi *non esuriunt* amplius sicut hi qui manna absconditum comedunt. *Non sitiunt*, sicut hi qui ex aqua fontis Ecclesię bibunt, & inebriantur ab vbertate domus Dei, & torrente pleno mentibus eorum influente potantur, & mira voluptate perfunduntur.

2. Propter conditionē statum, nemo mortaliū beatus.

Est & aliud impedimentum ex parte conditionis mortalium propter quod nullus quamdiu mortalis, potest esse beatus. Quod nam eiusmodi? Ipsa peregrinatio & militia, quam imus & militamus in terra. Non decet peregrinum, in terra aliena quærere felicitatem, neque militem ante pugnam coronam.

Alleg. beatitudinis permanētis & trāseuntis. *1. Reg. 14.*

Repręsentat se mihi statim, factū Saulis: qui cum contra Philistæos bello acerrimo decertaret, adiurauit vniuersum populum, ne ante Solis occubitum quisquam manducaret, dicens. *Maledictus vir qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem, omneque terra vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum, timebat enim populus iuramentum. Porro Ionathas extendit summitatem virgæ quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Typum hic habeo beatitudinis vtriusque, scilicet, permanentis & transeuntis, illam designat panis qui esca solida, permanens, & in substantiam aliti versa; hanc mel defluens, quod est fluxa transiens, & titillans sensum dulcedo.

Quod itaq; Saul adiurauit populum, ne militum quispiam gustaret panem vsque ad vesperam: hoc etiam sempiterno edicto cauit Deus, ne quis ex his quorum militia est vita super terram, manducaret panem ante sui Solis occasum. Petierunt multi paruuli, hunc panem, Moyses, Iacob, & alij, & non erat qui frangeret eis. Lazarus vel micis deciduis cupiebat satiari de mensa diuitis, & non fuit qui porrigeret. Neque enim par est quenquam certantem, ante pugnam pugnatam deliciari. Sufficit, quod victoribus instruxerit mensam in regno suo, omni genere suauitatis refertā. Cæterum in hoc saltu certaminis, non fuit tam præparcus, quin à profluuio mellitæ dulcedinis, non aliquos fluentes fauos vel dimitteret, vel relinqueret. Depulit Petro, Iacobo, & Ioanni in monte Thabor, ex melliginis vena, nonnihil melleæ suauitatis: communicauit Paulo, quem in tertium cęlum rapuit, destillauit & super alios Diuæ parēti suæ Virgini Mariæ; quin & hodie quoque *Orbita eius stillant promulsidem* suauitatis perennis: & à templo eius per rimam nōnihil emicat gloriæ, quam per transennam fas est respicere, non perennantem hic quęrere. O vtinam vel ad illas delicias aspiraremus, nō hic quæreremus felicitatem inconcessam. Namque video vos fastidire beatitatem à multis pręceptam, & in futuro nobis promissam.

Orbita Dei quid.

Militū quorundam prōptitudo imitanda.

Lego promptitudinem quorundā militum mirandam, cuius ô si nos vel minimam partem. Leonidas Dux cum contra Athenienses pugnaret, suos allocutus est, Sic, inquit, *Commilitones prandete, tanquā apud inferos cænaturi.* Illi quid? Non creuit in ore cibus, non hæsit in faucibus, nō elapsus est manibus, alacres promiserunt, *& ad prandium & ad cænam.* Cæditius quoque Romanus, qui ad occupandum locum milites duxit, quasi in mortē, imo in mortem missos, cum per ingentem hostium exercitum ituri essent, sic allocutus est: *Ire commilitones illo necesse est, vnde redire non est necesse.* Illi autem statim dicto obtemperarunt, inque certam mortem iuerunt. Nos autem non ad mortem sed ad vitam, non ad infernum sed ad cælum, non ad subterraneas sed ad superbeatas dulce-

dulcedines illico hodierno trahit Iesus: vti nam vel illam non istam expeteremus beatitudinem, quam nobis in templo tuo Sancto præstare digneris Iesu dulcis. Amen.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE.

Erat Iesus eijciens Dæmonium, &c. Luc. II. c.

CONCIO I.

Peccatoris & Dęmoniaci comparatio.

Panthera homini infesta.

PANTHERA homini adeo est infesta, vt etiam imaginem eius aspicere non possit, quin vt in hominem non sæuiat. Ita Basilius refert. Ipsę pardales naturalem quandam habēt aduersus hominem irā, & solent maxime oculis hominum insilire. Qui itaque insaniæ ipsius bestiæ illudunt, è charta imaginem, velut hominem ostentāt; illa vero prę nimio impetu, nulla reputatione facta, charta velut hominē dilaniat, atque illic odium erga hominē declarat. Incitatiore odio feruet contra Deum Sathan, quam Panthera erga hominem potest aspicere, quin illum indigne assiliat, lancinet, conficiat, non minus in corpore quam in anima, cuius præcipue rapax. Vidistis hodie Dæmoniacum quam misere à malo hospite habitum? Euangelista refert, quia exsurdauerat illū, alius vero & elinguatum, & exoculatum fuisse tradit. Parum erat vno afficere incommodo, nisi & alia super alia addidisset, affligando homini infesso. Quid censetis, facit animę? Illud hodie aspiciemus, & ex Dæmoniaco, peccatoris miserias ostendemus.

1. Sathanas Protheus.

Sathanam, qui Protheum esse finxit, nō finxit sed delineauit. Nouit Protheus iste, sumere & ponere vultus: & nunc quidem in serpentem abit, si quā Euam possit decipere, nunc vero *transfigurat se in Angelum lucis*, si quem Sanctorum valeat ludificare: alias vero humanam assumit figuram, si quem assimili vel eloquio, vel aspectu, vel sternutatione illa apud Iobū famosa queat, exoculare, elinguare, exsurdare. Pardalis non tam variat colores, vt Sathanas quas mutat formas, neque illa tantum desæuit in hominem, quantum iste voce mellita, blando aspectu, sternutatione prælustri ferocit. Vt de hac tantum dixerim, pronunciabo quid de illa, Iobus prodiderit. *Sternutatio*, inquit, *eius splendor ignis*. Splendorem & ignem sternutationis ipsius cum vides, putas esse illuminationes? inflammationes? viuificationes? Falleris si putas: tam abest vt splēdore illuminet, vt ardore succendat, vt fragore excitet ad vitam, quin potius si audis quod dico, splendore figurato exoculat, ardore mērito elinguat, fragore autem exsurdat. Tria hæc incommoda accepit Dæmoniacus, à tricolori sternutamento Sathanæ; ex quibus non difficile erit ostendere, tria pariter incommoda animæ; ab eadem sternutatione. Expl. loc. Iob 40. Fugit lum[...]

Inprimis exoculat animam Sathanas, splendore quem figurat. Exoculationis apud quosdam non nouum sed iam olim inuentum instrumentum, lamina vel peluis cuprea vel ferrea ignita quam aspicere, quem excæcare volebant, cogebant. Quo exoculat. Diductæ instar laminæ, vel ad modum peluis sonoræ, sed ab ignibus scintillantis, offert se Sathan homini quem nititur excæcare, vt scilicet à scintillatione seu sternutatione prælustri; quam in suadela verborum, & in ostentatione mirandorū præsefert, quandam opinionem Diuinitatis homo de illo concipiat, pactumque faciat cum morte, à qua oculis primo captus, ruat in præceps. Facit enim quod Aquila, venatrix cerui, illa enim vt prędam ex eo faciat facilius, primum curat, vt incautum impellat in cautes: quod isto naturali stratagemate conficit. Volutat se in pulueribus, cumque ijs pennas impleuerit, mox inuolat in cornua cerui, & succussione alarum pulueres quibus oppleta in oculos spargit fugacis, vt exoculatum agat quo impetus pellit; sic & Sathan, cū sibi confinxerit splendores, atque se ficta irradiatione tanquam aliquo puluere nitrario vel sulphurario inuoluerit, oculos animæ

animæ petit, & sternutatione ignea excę-care quærit, vt ad Diuinę lucis radiū conniueat, huic autem nocturnæ splendidationi, à Dæmonio incurrente meridiano, totos aperiat aspectus. Qui falsa scintillatione fulgurationem cœlestem imitantur vel thura candida, vel succina albentia vna cum nitro in pollinem terunt, atq; per fistulam seu tubam oblongam in ignitos carbones spargunt, à quibus perusti pulueres in flammam abeunt, & oculos humanos perstringunt, vel si oculis inijciantur, lumine orbant: ad eum modū & Meridianum simulans hostis, sui admirationem in mentibus hominum faciens, illas tenebrat; scilicet in minutum puluerem redacto mendacio, quod prælustri immixtum vel scripturę, vel titillo, quasi per tubam aut fistulam aliquam, ore mendaci efflat, excæcandæ menti.

Scit enim optimè, si exoculauerit hominem, facile illum posse quocunque velit impellere, & quemcunque lusum sibi de misero ludere. Philistæi cum Samsonem derasum comprehendissent, primo illum exocularunt, post in pristinum ad laborē adduxerunt, tum deinde in scænam ad ludibrium eduxerunt, ita Sathan facit: cū primum alicui septenæ gratiæ concinnos deglabrauerit, eruit oculos extēplo, mox labori improbo addicit, quo dies noctesque delassat miseros; tum ad postremum ludibrio exponit nonnemini spectatori in proscænio orbis.

Nabuchus postquam cæpisset Sedechiam Regem, primo *filios eius occidit coram eo, dein oculos eius effodit, vinxitq; eum cathenis, & adduxit in Babylonem.* 4. Reg. 25.
Sic & Rex superbiæ Sathan, cum nostros fœtus cogitationum Sanctarum iugulauerit, oculos animæ effodit, tum exinde funibus peccatorum circumplexis deuincit, & graui onere depressam, ducit in tetrum carcerem; vbi nullus ordo, sed sempiterna confusio manet, hos qui inordinate viuentes, dignis confusione facinoribus sese impiarunt.

Narrabo quid suadeat, illis quorum sternutatione prælustri oculos percelluerit, quod apud Cassianum legi.

In Thebaidis deserto erat senex Hero, annis quinquaginta summa cum laude sanctimoniæ commoratus. Huic Angeli pulcherrimi assimulata specie, apparuit Sathan, vultu lucido, oculis candicantibus, veste purpurea amictus. Incautus senior huic non modo assurrexit, verum & genu inflexit, & aurem aperuit. Quid existimatis suasit? Laudauit inprimis senem viribus exhaustū, à vigilijs, oratione, cōtēplatione, mortificatione carnis, demissione Spiritus: Cum lubenter audientem, atq; iam quasi à lebete ignita exoculatū habuisset, mox inquit, *se credere illum tāti meriti esse apud Deum, vt etiam si ex arduo loco rueret, minime læderetur.* Angelos promissos asserens, *qui afferēt, & in manibus gestarent.* Persuasit cęco. Noctu enim surrexit senex, & in puteum profundum se præcipitem dedit. Ad sonitum casus exciti fratres ipsum seminecem extraxerūt, & cum rem didicissent, à dæmonio illusum affirmarunt. Sed ille cæcitate mentis percussus, postquam duci cęcorum se ducendū permisisset, tertio die post in incredulitate perseuerās extinctus est. Et quia in tali errore decesserat, inter excommunicatos ac perfidos deputatus, iudicatus est indignus oblatione atq; memoria defunctorum. Eo enim dementiæ solet impellere miseros quos sternutato fulgore excæcauerit malignus, vt ipsi sua sponte, tanquam cęci impingant in stultitiam, & confusionem, & hinc in damnationem æternam.

Heronem eremit. Quomodo Sathan exoculauit.

Ing. præceps dedit.

Nam quod Dauid hostibus suis precabatur; *fiant viæ illorum tenebræ & lubricū, & Angelus Domini persequens seu coarctās eos,* hoc Sathan improbis per sternutationem efficit, vt illos statim tenebræ palpabiles, & lubricitates lubricæ comprehendant, atque Angelus transfiguratus, eos in transuersum agat, vt per tenebras quo ire debent, non videant, qui & si recta viderent, in eis tamen per lubricum stare non possint. *Psal. 34.*

Miseri, tanto magis deplorandi quam lumine visibili capti, quanto densioribus tenebris inuoluti, & maiori confusioni atque periculo obnoxij, quam illi.

Cæcitas corporis nõ tã deplorand. quã animi.

Antipater Cyrenaicus mulierculis quibusdam cæcitatem ipsius deplorantibus; *Quid agitis*, inquit, *an vobis nulla videtur voluptas nocturna? Nocte omnes cæci sumus, nec tamen lamentamur, habet animus, quo se delectet, etiam occlusis sensibus.* Responsum Antipatri quidẽ prima specie conueniebat fœminis, omnia voluptate metientibus, cæterum altitudinem Philosophiæ expromebat: quæ potest magis doceri, amissis luminibus. Nam Diodorus Stoicus post visum amissum, vt Cicero refert, multo etiam magis assidue quam antea in philosophia versatus est, cũ & fidibus, Pythagoreorum more vteretur, & quod fieri posse vix videbatur, Geometræ munus tueretur. Democritus quoque physicus luminibus se priuauit, vt intentius omnia contemplaretur. Dignus sane qui plus vnus viderit, quã vniuersa Græcia. Nihil enim est in toto mũdo, de quo scribere illi cura non fuerit. Didymus etiam Alexandrinus, vir doctissimus, cum puer Grammaticam disceret, suborta repente inflammatione, cæcus factus est. Studio tamen discendi oculorum cladem vicit, ita vt eruditissimus euaserit.

Illã enim ambiuerũt quidam magni.

Itaque in cæcitate corporis nihil fere mali, cum orbati oculis, etiam secreta cœlestia peruidere solent, at in cæcitate animi nihil fere boni, cum hoc priui lumine, etiam quod decens est fugere, in lumine non peruideant, atque adeo appetant.

Asclepiades nobilis Philosophus, interroganti cuidam, *Quid ei cæcitas attulisset?* Respondit *vt puero vno essem comitatior.* Itaque cæcis non deest dux, qui & caueat periculum, & inducat ad bonum. His autem quos excæcauit malitia eorum, tãto frequentiores adsunt dæmones, quanto magis scelere sese illis deuinxerunt.

Audomarus præ senio cęcus, dum precibus præsentium Episcoporum, & meritis Vedasti illuminatus esset, ægre ferens se liberatum esse à cęcitate, quam pro salute sua sibi immissam esse à Deo gaudebat, rursus ad votum suum excæcatus est. Non deerant itaque, qui cæcitatem corporalem optarẽt, vt facilius ad lucem inaccessibilem contemplandam accederẽt. Eam vero quæ in animo est, ex sternutatione dæmonis, nescio quis sciens & prudens cupiuit, nisi qui sibi locum in tenebris subterraneis, cum Principe caliginis designauit. Sed propero ad alia.

Hanc non nisi damnati.

2\. *Sathanas elinguat.*

A sternutatione Sathanæ emicat ignis, sed quo paralysi affectam linguã non excalfacit, neque resoluit, imo magis animã elinguat. Qui ignem excutiunt de silice, fomitem supponunt igniariũ, de sparto, lino vel stuppa conuoluta, igni excipiẽdo paratum: sic & Sathan sternutatione quidem sua ignita, ignit, accenditq; homines leues, vt quidquid in os venerit, siue in Deum, siue in honestatem vomant, atque adeo etiam linguam resoluit; oris loquentium iniqua: cæterum ad bonum elinguat.

Facit quod lupus. Vt enim lupus incautam ouiculam assecutus, nõ caudam neque pedem, sed guttur illius petit, eamq; vitalem arteriam qua vitalẽ trahit spiritum discerpit, ne palatu innocuo raptorẽ prodat, & opẽ ploret. Sic & ille circũiens quem deuoret, si quem viderit ab ouili Dominico promptum aberrare, quod caput est inuadit, vocis instrumenta, ne inclamet ad Deum illud quod quidã, *Erue à framea Deus animam meã, & de manu canis vnicã meam*, vel illud quod Tobias iunior ad Angelũ, *Domine inuadit me*, vel quod alius orabat; *Sana me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero.*

Magis miserandi hac in parte homines quam ipsa bruta. Et quidem asina Balaani cum graui Prophetæ corpore pressa, Angelum stricto gladio mediũ Prophetam dissecare volentem vidisset, progrediq; vlterius nollet, sed auertens se de itinere iret per agrum, atq; ideo percuteretur à sessore, sensit dolorẽ, & vincula naturę perrumpens locuta est, *Quid feci tibi? Cur percutis me, ecce iam tertio? Nonne animal tuum sum, cui semper sedere cõsueuisti, vsq; in præsentem diem? Dic quid simile vnquam fecerim tibi?* Nos maiore quam illa, peccati nimirum pondere prẽmimur; nos contra nos Angelum euaginato gladio procurentem scimus; nos in nostra anima, fama, corpore, bonisq; omnibus vix vulne-

vulneribus relinquimus locum Angelo percutienti, nos recta per viam latam, à teterrimo sessore, in profundum pellimur & tacemus: & ne mutimus?

Isai. 42. Insensibilitatem nostram, quam acerbe ferat Deus audite. *Ipse*, inquit, *populus meus direptus, & vastatus, laqueus iuvenū omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt, facti sunt in rapinam, nec est qui eruat in direptionē, nec est qui dicat: Redde, Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat, & auscultet in futura?*

Tiberij dictum in mancipia voluntaria. Tiberius Imperator cum vidisset Romanos stupidos, ne quicquam pensi habere, quia grauissimis indignissimisque modis præmerentur, exclamauit. *O homines ad seruitutem paratos!* Magis ego possum in nosmetipsos vsurpare, quos video nullum, & si sordidum & intolerandum Sathanæ iugum detrectare, & sub onere ab eo imposito ruere, & à plagis atq; vlceribus à sternutatione eius ignita respersis nunquam respirare, attamē stupere, & ne vel gannire quidem, aut ad eum, Cur me cædis? aut ad Deum, Eripe, Exonera: Sana, mussare.

Et mutum quidem in corpore corporaliter quandoq; profuit fuisse. Nam loqui quandoque pœnitet, tacere nunquam. cæterum mentem elinguem esse, semper obfuit. Hęc enim infantia tanto perniciosior est, quāto mala quibus anima premitur, lōge magis funesta, quā quib. corpus.

3. *Sathanas exsurdat.* Tertium est, quod à fragore sternutationis igneæ lucratur peccator, est surdities animæ. Tormentorum bellicorum crepitus, vel tonitrui fragores non tantū exsurdant aurem, quam iste sibilo mentē. Sternutauit Euæ prothomatri? & iam nec Deum exaudit. Sternutatione exsurdauerat Hebręos? & scitis, quam contumaces? Loquitur ad eos, *hodie si audieritis, nolite obdurare*, & illi strinxerūt aures ne obaudirent. Frustra surditiem furentis aspidis componis huic. Audit illa vocē venefici incantantis sapienter. Is quem Sathan exsurdauit, nec Dei quidem. Frustra vel tonitrui, vel tormentis bellicis, vel influxu catharri, obsurdatos affers. Parent illi vel medico vel archiatro Deo. Dicit iste *Ephata quod est adaperire, & statim sonos audiunt*, iste neque si tonitru sermonum Dei detonet, neq; si digitus Dei scalpsit, neque si manus Dei percusserit, neque si *vox tonitrui Dei in rota* concrepet, exaudire volunt, vbi semel à sternutamento confragoso obsurduerunt.

Lego apud Senecam de Socrate, quem Archelaus Rex rogauerat, vt ad se veniret, quod responderit; *Nolle se ad eum venire, à quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset.* Non miror quia recusarit philosophus venire, forte enim cognouerat rigidum exactorem regē, qui par pari expectaret reddendum cui soluendo Socrates non esset. *Lib. 5. de benefic. c. 6.* Cæterum nos miror, quia tā contumaces sumus à Deo vocanti. Non ille à nobis ditescere cupit, quinimo cupit nos suis beneficijs ornare, diuitare, beare. Pro quanto? *Pro nihilo*, vt aiebat Dauid, & tamen obnitimur. Non miror, quibus tam volupe fuit sternutationem Sathanæ audire. Concludo.

Per vestram vos salutem oro, si vobis ipsa anima est aliqua ratione chara, istud multiplicis incommodi sternutamentum ne auditote, ne videtote, ne suscipitote. Ab hoste, quis vnquam pharmaca petijt? Si non petitis, si non recipitis, si non admittitis, Salutem integram animæ habebitis in sæcula. Amen.

CONCIO II.

Erat Iesus eijciens Dæmonium &c. Luc. 8. c.

De virtute eijciendi Dæmones.



ETsi quamplurima ostenta Magi Ægyptiorum, fecerint coram Pharaone, tamen sciniphes à Moyse permissas nulla ratione potuerunt eijcere. *Exod. 8.* Ita lego in Sacra historia Exodi, *Extēdit Aaron manum, Virgam tenens, percussitque puluerem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus & in iumentis, omnis puluis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent sciniphes & non potuerūt, erantq; sciniphes tam in hominibus quā in*

iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem. Digitus Dei est hic. Fatentur itaque vel inuiti suam impotentiam, quod neq; producere, neque ex terra Ægypti poterant educere, sed opus esse *digito Dei* ad eijciendos sciniphes mordaces. Hoc autē dum fatentur, manifeste indicant, nō esse tanti aut naturam, aut artem quamcunq; quæ potissit siue ex corporibus, siue ex animabus humanis eijcere malignum, quē sciniphes significat. Christus ipse testatur, *Digitum Dei* esse, in quo & Apostoli & ipse primo expellebat Dæmones. Sed quis digitus sit? In præsenti aperiemus, dum qua ratione pellendus fuerit ex anima Sathanas ostendemus.

Epist. 32. de ratione cerei Paschalis. *Serpens calamo percussus.*

Extinguendis serpentibus, miram artem tradidit Diuus Hieronymus, *Serpens*, inquit, *si semel calamo vel arundine percutiatur, morietur.* Non peruestigo rationē, propter quam leui arundine percussus serpens intereat, sed ad modum extinguendi atque depellendi ex animo Veteratoris adsurgo, & assero quoque. *Si articulata viua arundine, vel semel percutiatur Dæmon statim eijcitur.* Quid est articulata viua arundo? Digitos vestros aspicite; tot quasi arundines viuas, flexiles, inclines habetis. Namque vt arundo intime forata, intime rotunda, candida, articulis distincta surrigitur; ad eum modū & digiti nostri à plaste naturę formati, teretes, candidi, geniculati. Vnum ex istis *indicē* si Christo incorporauerimus, *digitumque Dei* illum esse voluerimus, non hydra, nō draco, poterit subsistere ad tactum huius viuæ articulationis, quin statim se ex anima recipiat, atque euestigio dissiliat. Pœnitentiam placet indigetare, digitum indicatorium: qui tantæ virtutis est, vt illa & animæ parietem suffodiamus, & scabiem descalpamus; & ibi sublatentes Dæmones iudicemus, & iudicando propellamus: tum deinde cicatricem parieti deduco, & vulneri impresso obducamus. Non erat tanti Virga aurea à Poëtis descripta sopiendū inferni cerberū; quanti est digitus pœnitentiæ, ad excerebrandum Draconem. Non tanti Virga Moysi ad deuorandos serpentes Magorum, quanti index pœnitentiæ ad enecanda Lernæa in anima monstra. Neque tanti ille idem calamus ad educēdos sciniphes, quanti digitus Dei iste ad propulsandum Sathanam, si tamen ille tribus articulis, constiterit, scilicet *dolore*, *confessione*, *satisfactione*. Sic enim erit Digitus Dei, eijciendo ex anima peccato aptus.

Sathan digito Dei ictus concidit

1. articulus digiti dolor pro peccatis

Primum articulum huic digito assignaui, dolorem pro peccatis. Opus est vt expulsorius iste index primo deterat cor, in amaritudine sua, & ex illo educat mare amarum lachrymarum, obruendo Ægyptios. Sic faciebat Ezechias, Recogitans omnes annos, in amaritudine suæ animę. Sic & Dauid Pater, qui aiebat, *Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei, exitus aquarū deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* Granditer, vt explicat Ambrosius, affectum pœnitentiam gerentis expressit dicens, quod aquarum decursus oculis suis descenderit, siue quia per eos tanquam per meatus vndantium fluctorum, ita exuberantium lachrymarum sequidam ductus effuderit, & fletus irrigui, per continuum quoddam & iuge profluuium, siue quod ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lachrymis oculi quodammodo ipsi videantur descendere, eo quod tanta vis lachrymarum sit, vt putentur oculi in fletus resolui, & in lachrymis effundi. In hos etiam ductus aquarum descendit oculis suis, quæ lachrymis irrigauit in Euangelio Domini pedes, & ideo fidei suæ pretio emit animæ & corporis sanitatem, septem dæmonijs abactis: docta flere à Dauide, qui potum suum cum lachrymis miscebat, laborabat gemitu, per singulas noctes lauabat lachrymis stratū suum. Fleuit inprimis quando ei Nathan de Vriæ morte indignationem Domini nunciauit, & peccatum suum de præuaricatione legis agnouit. Fleuit quando filium ęgrotantem vidit, nō tam filij mortem, quam peccati pœnam quam stratus in terra, ieiuna ora lachrymis irrigās, diluere cogitabat. Fleuit quādo numerato

Psal. 37.

populo

populo repente corde percussus est, denique peccaui, inquit, grauiter, peccaui stulte. Fleuit igitur primo, quia elatus regia potestate, quærendo numerum plebis, mensuram egressus est conditionis humanæ. Deinde quia sui erroris pretio vindicabatur in plebem: quamobrem deduxit ex oculis scaturiginem lacrymarum, vt pro populo qui mactabatur innocuus ipse nocens in se experiretur & agnosceret delictum.

...rticulus ...sti dolor ...peccati.

Ad instar pœnitentiæ Dauidis, & omnes quotquot veniam à Deo postulabant pœnitebant. Video Achabum in cinere & cilicio humiliatum; Niniuitas sacco opertos & puluere, Dei misericordiam implorantes, Manassen in ergastulo dies noctesque eiulantem: Petrum post trinam negationem flentem amare; Publicanum percutientem pectus suum, & non neminem post, in primitiua Ecclesia laborantem in gemitu suo.

...l.37.

Namque hunc dolorem ipse Deus requirit, cum, vt Tertullianus collegit, de habitu quoque atq; victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mæroribus deijcere; illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare, ieiunijs preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies & noctes ad Dominũ Deum tuum, præsbyteris aduolui, & aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes suæ deprecationis iniungere.

Ritus pœnitentiæ.

Vultis audire qualis olim habitus pœnitentium? Ex historia Ecclesiastica profero. Stabant rei, & velut in lamentationibus constituti. Dum enim Sacra celebratio fuisset adimpleta, illi communionem non percipientes, cum gemitu & lamentatione semetipsos in terram prosternebant. Ad quos concurrens Episcopus, & ipse cum lachrymis & gemitu spirituali prosternebatur, & omnis Ecclesiæ plebs fletibus inundabatur. Post hoc autem prior surgebat Episcopus, & eleuabat iacentes è terra. Tunc competenter pro pœnitentibus facta oratione dimittebat omnes. At illi afflictionibus sponte vacantes aut ieiunijs, aut abstinentia lauacri, aut suspensione ciborum, aut rebus alijs quæ iubebantur, expectabant communionis tempus, quod decreuit Episcopus. Ad eum modum & Fabiolam Romanam egisse pœnitẽtiam Hieronymus miratur dicens. Quis, inquit, hoc crederet vt post mortem secundi viri, in semet reuersa (quo tempore solent viduæ negligentes, iugo seruitutis excusso agere liberius) saccum indueret, vt errorem publice fateretur, vt tota vrbe spectante Romana ante diem Paschæ in Basilica Lateranen. staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris & omni populo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus, sordida colla submitteret? Ad eum modum & Cyprianus martyr iubet pænitentiam agere. Orare, inquit, oportet impensius & rogare, diem luctu trãsigere, vigilijs ac fletibus noctes ducere, tempus omne lachrymosis lamẽtationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus, post indumentum Christi perditum, nullum iam velle vestitum: post Diaboli cibum, malle ieiunium: iustisque operibus incumbere, quibus peccata purgantur.

Tripart. hist.

Volui hæc ab antiquitate producere, vt & rideatis hæreticos, quibus nescio, quæ pœnitentia, si pœnitentia in popinis: & vosmetipsos ad illuuiem lachrymarum exciteris, hoc sacro articulo digiti Diuini educendam. Loquimini ad petram cordis vestri; percutite illud arundine ista sacra, & dabit vobis fontem lachrymarum, quibus & sordes animæ eluere, & malignum inundare possitis.

Pelicani cum suos à serpente filios occisos; mortuos inueniunt, lugent, & se, & sua latera percutiunt, & sanguine excusso ad corpora mortuorum, sic reuiuiscunt, atque serpentem depellunt: necesse quoque nobis ab antiquo percussis percutere pectus hoc articulo, & si non sanguinem; saltem lachrymas educere, ad redanimandam animam, & ad enecandum Draconem.

Sed ad secundum articulum digiti indicis accedo, scilicet Confessionem peccati, quæ summopere necessaria est ad eijciendum Dæmonem. 1. Eijcienda est

2 Articulus digiti Confessio peccati.

est hoc indice ex domo mentis, Agar & Ismael, scilicet, confitenda est concupiscentia & proles illius peccatum. Hoc indice in transuersum Crucis posito, depellendi sunt spirituales Amalechitæ. Hoc eodem eruendi ex spelunca interiori quinque reges clausi, & in ligno crucis configendi. 2. Præcipiebat olim Deus Ezechieli Prophetæ. *Fili hominis, fodi parietem*, itidem nobis hodie quoque iniungit, vt templi huius interioris, scilicet animæ nostræ parietem isto indice aparaimus, & si quas *vlulas vel sirenes in delubris voluptatis, vel onocrotalos*, vel *onocentauros* aut *struthiones* vel *pilosos saltantes*, vel *lamias nudantes mammam*, aut *Dæmonia occurrentia*, inuenerimus, vt quantocius eodem articulo confessionis eijciamus.

Allegoria confessionis.

Isai. 13. & 34.

Iob. 39.

3. Laudabat equum Iobus, quia *terram vngula fodit*. Nos hæc doctrina tangit, quibus incumbit vngue digiti spiritualis terram animæ effodere, & in ea, ne forte aliquot sublateat, virosum reptile perquirere; quod si scorpius, vel serpens, vel aliquod aliud venenatum occurrerit, eodem digito occidere.

Male fouetur anguis in sinu: oportet illum eijcere. Male equum Duratæum illi admiserunt, ex quo illis certa pernicies. Male in fomite abscondit ignem hic, cui ab eo certum incendium. Male, quod est apud Poëtas, *Erichtonium fouit Pallas in canistro*, à quo in prouerbium abijt. Male circumfert in vulnere, sagittam infixam ceruus, à qua illi mors præpropera. Sic quisquis ex animo hanc sagittam, hunc Erichtonium omnis boni voracissimum, hunc ignem omnia honesta depascentem, hunc equum iniquitatis omnibus internecionem occulentem, hunc serpentem omnes veneno mortifero conficientem, non eijcit, non exurit, non extinguit, non depellit, non eiectat.

Nota orphica confessionis.

Bene fecit quod est apud eosdem Orphicos, Semeles, quæ cum ex Ioue fulminante Bacchum concepisset, fætumque igneum ferre non posset, eiecit. Sic & tu vbi ab igniente Sathana vel flammante concupiscentia conceperis peccatum, recte faxis si in confessione eieceris.

David cum protulit, *Dixi confitebor iniustitiam meam Domino* statim se consolatur subinferens, *& tu remisisti impietatem peccati mei.* Namque cum post increpationem Propheticam, pronunciasset coram Nathano, *Peccaui*, audiuit ab eodem Propheta; *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Et tu si cōfessus fueris coram aliquo eius Vicario, dicens; peccaui, ille quoque & tibi omne debitum dimittet, vincula soluet, teq; in veram libertatem cōstituet; si modo hoc articulo vocali aduersum te iniustitiam admissam accusaueris. Illum mitissimum Patrem, cum Tertulliano, non tacebo, qui prodigum filium reuocat, & post inopiam pænitentem libens suscipit, immolat vitulum præopimum, conuiuio gaudium suum exornat. Quidni? filium enim inuenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. Quis nobis ille intelligendus pater? Deus scilicet: tam pater nemo, tam pius nemo. Is ergo te filium suum, & si acceptum ab eo prodegeris, & si nudus redieris recipiet, quia redisti: sed si pæniteat ex animo, si famem tuam cum saturitate mercenariorum paternorum compares, si porcos, immundum relinquas pecus, si patrem repetas vel offensum dicens, peccaui Pater, nec dignus ego iam vocari tuus. Tantum releuat confessio delictum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ.

Plerosque tamen hoc opus vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diē differre præsumo, miseri: pudoris magis memores quam salutis, veluti illi qui in partibus verecundioribus corporis cōtracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescētia sua pereunt, intolerandum sc. pudori, Domino offenso satisfacere, saluti prodactæ reformari. Inter cōseruos, vbi cōmunis species quid tuos aliud quam te opinaris? Plausorem casuum fugis? Non potest ille de te lætitiam agere. Nam cum te ad Fratrum (sacerdotum intelligo) genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Æque illi cum super te lachrymas agunt

Quamplurique suo malo vel differunt vel cōtemnunt.

Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat. An melius est damnatum latere, quam palam absolui? Si de exomologesi retractas? gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguit & pœnæ prius magnitudinem imaginare; vt de remedij adoptione non suffundaris. Quid illum thesaurum ignis æterni æstimamus, cum fumariola quædam eius tales flammarum ictus suscitent, vt proximæ vrbes, aut iam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent? Dissiliunt superbissimi montes ignis intrinsecus fæta. Et quod nobis iudicij perpetuitatem probat cum dissiliant, cum deuorentur, nunquam tamen finiuntur. Quis hęc supplicia interim montium, non iudicijs minantis exemplaria deputabit? Quis scintillas tales non magni alicuius & inæstimabilis foci missilia quædã, & exercitoria iacula consentiet? Igitur cum scias aduersus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ monimenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia, cur salutem tuam desertis? Cur cessas aggredi, quod scias mederi tibi? Mutæ quidem animæ & irrationales, medicinas sibi Diuinitus attributas in tempore agnoscunt. Ceruus sagitta transfixus, vt ferrum & irreuocabiles eius moras de vulnere expellat, scit sibi dictamno medendum. Hirundo si excæcauerit pullos, nouit illos oculare rursus, de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi, institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam quæ Babyloniorum regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, vnguium leoninum in modum efferatione, & capilli incuria horrorem aquilinũ præferente. Proh malæ tractationi? Quem homines exhorrebant, Deus recipiebat. Contra autem Ægyptius Imperator, qui populum Dei aliquando afflictũ diu Domino suo denegatum persecutus, in prælium irruit, post tot documenta plagarum, dissidio maris, quod soli populo peruium licebat, reuolutis fluctibus perijt. Quid ergo vltra de ista humanæ salutis quasi Pharo dubitas, ad quam ipse quoque & stirpis humanæ, & offensæ in Dominum Princeps Adam confugiens, restitutus est in paradisum suum?

Æthna. Vesuuius Hecla.

Tertius digiti huius articulus est satisfactio, quam oportet & spe mutuari à sanguine Iesu, & opere præstare ab officio iniuncto. Indigna est leuis lachrymula tanta remissione? intinge spe concepta digitum tuum in sanguine Agni immaculati, & guttam illius tibi asperge. Sed & non neglige manum quoque admouere, ad ea facienda, quæ tibi Dei vicarius Absoluens commisit. Rapuisti? Redde aliena, quinimo & tua in vsus pauperum eroga. Libidinasti? abstine quinimo & inposterum te castũ immaculatumq; custodi. Offendisti? placare perge, quinimo & humanitate & mansuetudine, & humilitate deinceps certa. Quod si satis huic edicto fecisti, Dæmonem allisisti, animam Christo obtulisti, quam ille amat, & exornatam, sublimabit in Cælis. Amen.

3. artic. digiti Satisfactio.

CONCIO III.

Erat Iesus eijciens Dæmonium.
Luc. 8. cap.

De virtute eijciendi Dæmonium.

INTER amulæta contra Genios, Plinius recensebat Iaspidem, smaragdo colore similem, & transuersa linea alba media præcinctum, si Lunæ aut Solis imagine figuratus, suspendatur è collo. Non curiose inquiro, si aliqua antipatharia propter vernum colorem, & propter simulachra luminis, sit inter gemmam illam, & olim gemmatum, nunc vero atro nigrore atratum, tenebrisque sempiternis damnatum Principem tenebrarum Dæmonem, vt naturaliter illam abhorreat. Scio tamen certum esse remedium contra Dęmones à Iesu Saluatore, qui vt Ioannes aspexit, *Similis erat aspectui lapidis iaspidis.* Namq; vt illuxit in orbe, Solemq; suum exeruit, non potuit Princeps tenebricosus subsistere, quin diffugeret, & à Corde, & ab Orbe, ad vsuram lucis æternæ destinatorum. Quinimo, & reliquit nobis insigne amulætum, suo

Iaspidis virtus.

Li. 37. c. 8.

suo charactere signatum, ad eijciendum ex animo dæmonium. Sed quod? Si attenditis, hodierna die ostendo.

Apoc. 27. Isai. 54. Nota hier. virtutes varias significat.

Pollicebatur olim Deus & Ecclesiæ & animæ, loquens per Isaiam Prophetam. *Fundabo te*, ait, *in Sapphiris, & ponam Iaspidem propugnacula tua.* Quid per Iaspidē intelligere debeamus? insinuat D. Hieronymus, exponens hunc locum. Iaspidum multa sunt, inquit, genera. Alius enim est smaragdi habens similitudinem, qui reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis, quo omnia phantasmata fugari autumant. Alius viridior mari, & tinctus quasi floribus. Hunc in Phrigiæ monte Ida, & in profundissimis eius nasci speculus referunt. Alium vero iuxta Iberos Hircanosque, & mare Caspium reperiri, & præcipue iuxta lacum Neusin. Est & alius Iaspis niui, & spumæ marinorum fluctuum similis, & clementer quasi mixto cruore subrutulans. Hoc diximus, vt vniversas gratias spirituales insinuemus, quas qui habuerit vanos timores fugat, & potest omnem altitudinem eleuantem se contra scientiam Dei destruere atq; conuincere, & mendacium veritati, tenebras lumini, impietatem sanctimoniæ subijcere.

Ab hac insinuatione Hieronymiana colligo, non aliud propugnaculum fortissimū, ad depellendum dæmonium ex animo esse, quam Iaspidem virtutum variarum. Quibus qui se cinxerit, armatus potest & omnia tela maligni extinguere, & ipsum quoque malignum exterminare. Hoc Iaspide multicolori, quisquis digitos operosos adornauerit, tanquam virtute inuicta præditus, poterit, in hoc Dei digito eijcere dæmonium. Nam & Saluator aperte testatus est, *hoc genus dæmonij*, quod propter peccatum inhabitat in mente, *non eijcitur*, inquit, *nisi in ieiunio & oratione.*

Ieiuniū & orationē.

Dicamus ergo per Iaspidem pretiosum, significari, ieiunium, & orationem; quæ virtutes præcipuæ, ad delendum peccatum & ad eliminandum Sathanam suggestorem peccati. *Viret iaspis Smaragdo, tinctus quasi floribus.* Hoc significato docemur, vt effloreat in primis mens nostra, & verno vireat Smaragdo, renouatæ vitæ: si volumus eijcere Dæmonem ex illa.

Psal. 131.

Sic enim innuit Deus per Psalmographum, dicens. *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea, & inimicos eius induam confusione*, q.d. Vernet à sanctificatione anima? & iam inimicos animæ induisti confusione. Refloreat caro à ieiunio? & iā dæmonium peccati ab anima confusum, eiecisti ex mente. Ipse Dauid non est prius ausus confiteri Domino, antequam renouasset *vt aquila iuuentutem* suam, & acuto timoris Domini ararto proscissa, & à facie Domini concepto semine innouationis seminata, refloruisset. Sic enim inquit. *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi.* Prius caro refloruit; postea confitebor illi. Prius caro ieiunio renouanda, & postmodum anima à peccato emundanda, & quasi ab incursu & dæmonio meridiano eliberanda.

Psal. 27.

Bene Tertullianus animaduertit. *Omnem disciplinam, victus, aut occidit, aut vulnerat.* Nam quod est in Prouerbijs, *Anima saturata calcabit fauum*, spiritualis mellinij. Hunc autem fauum disciplinæ detersorium, si semel conculcauerit, facile per gulam se omni vitio dabit, sicque viuendi ratione, omnem disciplinam aut vulnerabit, aut trucidabit.

Psal. 27.

Gula vitiorum materia.

Tria in primis vitia gulosos solent habere, loquacitas, leuitas, luxuria. Nisi enim gulæ deditos, *inquit Gregorius*, immoderata loquacitas raperet, diues ille qui epulatur quotidie splendide dicitur, in lingua grauius non arderet dicens, Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Quibus profecto verbis ostenditur, quia epulando quotidie, crebrius in lingua peccauerat, qui totus ardēs refrigerari se in lingua præcipue requirebat.

Leuitas quoque operis protinus gulæ deditos sequitur. Nam scriptura de quibusdam hoc referens in omnes edicit. *Sedit populus manducare, bibere, & surrexerūt ludere.* Quos plerumq; edacitas vsque ad luxuriam pertrahit, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur.

Quam-

Quamobrem & hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, Diuina voce dicitur. *Pectora, & ventre repes*, ac si ei aperte diceretur, *cogitatione & ingluuie super humana corda dominaberis.*

Tropolog. gula. Quod vero gulæ deditos iustitia sequatur. Propheta testatur, qui dum aperta narrat, occulta denunciat, dicens, *Princeps coquorum destruxit muros Ierusalem.* Princeps namque coquorum venter est, cui magna cura obsequium à coquis impenditur, vt ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Ierusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium pacis eleuatæ. Coquorum igitur Princeps muros Ierusalem deijcit, quia dum venter ingluuie distenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur. Quod ergo escatum delectationi incumbunt, luxuriæ se mucrone transfigunt, & dum ex edacitate loquacitati, & leuitati seruiunt vitiorum laqueis crudeliter se adstringentes, confusionem sibi adducunt. Nam *quorum Deus venter est, illorum, & gloria in confusione ipsorum.* Prothoparentes nostri propter ingluuiem, Sathanæ se dediderunt. Noachi temporibus, ex ingluuie corruptelam vniuersæ carnis induxerunt. Nisi Esau lenticulam prægustasset, & ferinas quæsijsset, dæmonibus nũquam inclinasset. Nisi Babylon magna edacitate, & *Expl. loc. Isai. 13.* ebrietate corrupta fuisset, nunquam illud à Domino audiuisset. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis.*

Quæris quæ Sirenes? quæ vlulæ? Abbas Serenus apud Cassianum explicauit dicens. Incentores, inquit, vitiorum Dæmo- *Collat. 7. 32.* nes, qui per Prophetam onocentauri; qui pilosi, qui Sirenæ, qui lamiæ, qui vlulæ, qui struthiones, qui ericij designantur, qui aspis, qui basiliscus in psalmo, qui leo, qui Draco, qui Scorpius in Euangelio nuncupatur, qui Princeps mundi huius, qui rectores tenebrarum harum, quiue spiritualia nequitiæ ab Apostolo nominantur, quæ vocabula non casu, nec fortuito indita illis debemus accipere, sed significatione istarum ferarum quæ apud nos vel minus noxiæ, vel magis perniciosæ sunt illorum ferocitates, rabiesq; distingui, & ex similitudine nequitiæ virulentæ seu principatus, quem istis inter cęteras feras siue serpentes quædam excellentia malitię suę confert, illos quoq; eorum vocabulis nuncupari: vt scilicet alius quidem ob vehementiam furoris & rabiem ferocitatis suæ, leonis appellationem, alius basilisci ob illud mortiferum virus quod priusquam sentiatur interimit, alius vero ob teporem malitiæ suæ onocentauri, aut ericij nomen, struthionisue sortitus sit.

Istos itaque hospites anima admittit, quotiescunque gulæ se dediderit. Quamobrem his depellendis, murum ex iaspide virenti, florido & vernante per ieiunium extruere & obijcere debet. Ethnici quoque non ignari fuerunt, huius consilij, de extirpandis vitijs, per abstinentiam.

Pulchre enim Seneca. Subtilitas animi ciborum copia impeditur: hac vero semel impedita, non vni vitio, homo patebit.

Quamobrem & illi qui casto Isidi, & Cybeles Deæ, apud Gentiles sacrificabant, nonnisi abstinentiæ cibi & potus se præparabant; vt insinuarent castimoniam, temperantiam & alias subsequas virtutes ieiunio parati. Vnde in psychicos ludens Tertullianus, nostri temporis hæreticos ridet. Ille, id est, gentilis, Deo idolo gulam suam mactat, tu Deo non vis? Deus enim tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & sacerdos cocus, & sanctus Spiritus nidor, & condimenta charismata, & ructus prophetia. Vetus es, vera si velimus dicere, tu qui tantum gulæ indulges, & merito te priorem iactitas, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita de campo laxissimæ disciplinæ tuæ venis, ita Spiritu deficis, si tibi lenticulam de fruto inrufatam obtulero, statim totos primatus tuos vendes. Apud te agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet. Sed maior his est agape, quia per hanc adolescentes tui cum sororibus dormiunt, appendices scilicet gulæ lasciuia, atque luxuria est. Quam societatem & Apostolus sciens, cum præmisisset,

Deus hæreticorũ venter.

non in ebrietatibus, nec in comessationibus, adiunxit: *nec in cubilibus, & libidinibus.* Ad elogium gulæ tuæ pertinet, quod duplex apud te præsidentibus honor binis partibus deputatur, cum Apostolus duplicem honorem dederit, vt & fratribus & præpositis.

Quis sanctior inter vos, nisi conuiuandi frequentior? nisi obsonandi pollucibilior? nisi calicibus instructior? Cur ergo non constanter prædicatis, *manducemus, & bibamus, cras enim moriemur?* Sicuti nos non dubitamus exerte mandare, ieiunemus fratres & sorores; ne forte moriamur. Hæc Tertullianus in Psychicos manifeste ostendens, gulam atque intemperantiam, officinam esse flagitiorum, & propterea inductricem Dei obliuionis, & carnificem totius disciplinæ: & exinde Manuductricem Sathanæ.

Quibus itaque cura est Principem tenebrarum ex animo eliminare; ornent digitum Dei annulo iaspideo. Qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt. Qui vero Spiritu facta carnis mortificant, vitam sibi apud vitæ auctorem conciliant, & auctorem mortis facile à se depellunt.

Camelus hierogl. abstinentia. Ferunt qui scripserunt, inter animalia nullum pernicius effugere ab assiliente leone vel lupo, quam camelum, quod scilicet ille licet sit tam insigni magnitudine tamen exigua cibi paucitate nutriatur, famemque & sitim vsque in duodecimum diem toleret, atque ideo pernicitate admiranda pedum præditus, sese velociter expediat.

Ponamus ex eo hieroglyficam imaginem abstemijs, quod illià continuatis ieiunijs, non tam facile pateant prædatori leoni. Saginentur, inquit idem Tertullianus, pugiles & pyctæ Olympici: illis ambitio corporis competit, quibus & vires necessariæ, & tamen illi, quoque Xerophagijs inualescunt. Sed nostra alia robora aliæq; vires, sicut & alia certamina, quibus *non est luctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus mundi potestates, aduersus spiritualia malitiæ*, aduersus hæc non carne & sanguine, sed fide & spiritu robusto oportet adsistere. Nobis macies non displicet, neq; enim ad pondus Deus carnem tribuit, sicut nec spiritum ad mensuram, facilius si forte per angustam salutis ianuam introibit caro exilior, citius resuscitabitur caro leuior, diutius in sepultura durabit caro aridior.

Habidis pernicitas. Habidi Curetum regi, incredibilem quandam velocitatem pedum prodidit Iustinus, quod is, in pueritia ceruæ vberibus lactaretur. Inde, inquit, conuersatione nutricis, eximia puero pernicitas fuit, interque ceruorum greges diu montes saltusque haud inferior velocitate, peragrauit. Maior pernicitas animæ, ab abstinentia cibi & potus: qua si macerata fuerit, facili negotio se ex cassibus Sathanæ recipiet, inque tuto collocabit.

Iaspis gemma, si in modum speculi poliatur, facile retundit spicula: sic & anima, si ieiunio extenuata fuerit, nullo negotio repellet Sathanam. Itaque siue ad repellendum, siue ad reijciendum Sathanam, firmissimum propugnaculum ex ieiunij iaspide extruitur. Hoc *enim genus dæmonij non eijcitur, nisi in ieiunio.*

Sed & in oratione. Propugnaculum hoc ex iaspide, debet esse cinctum via lactea, seu transuersa alba linea, quæ nos Deo iungit, & quam, si quam aliam aterrimus Dæmon exhorret.

Pyrrhi annulus insignis. Solin. c. 11. Inter Pyrrhi Epyrotharum regis thesauros, Annulus præstabat Achate insignis, in quo nouem Musæ cum insignibus suis singulæ, & Apollo tenens cytharam videbantur, non impressis figuris, sed ingenitis. Sunt qui tradant, genijs malis fugandis fuisse peridoneum. Fuerit vel non fuerit peridoneus, non disquiro; illud tamen assero, iaspidem ieiunij florentis, præcinctum linea albente orationis, de corde puro & de conscientia non ficta effusæ, esse præsentaneum amulætum contra dæmones. *Sara abbatissæ historia.* Hoc amulæto vsa Sara abbatissa, bini aspectus Sathanam proculcauit. Sed narrabo. *Oratio fugat dæmones.* Sara in partibus Thebaidis abbatissa, cũ cogitationes eius ad libidinem diabolus incitare soleret, nunquam vt recederet tentatio orauit, sed vt & illa assidue oppugnaretur, & semper vinceret. In

hoc

hoc carnalis lasciuiæ bello per annos 13. fortiter contendit: sed tandem aliquando acrius impugnata quam vt sustinere posset, clamauit ad Dominum Iesum Christum, & superauit inimicum: ita vt oranti apparens dæmon diceret, *Vicisti me Sara vicisti.* At illa nihil sibi ex hoc laudis assumens. *Non ego*, inquit, *vici te, sed Dominus meus Iesus.* Apparet exinde orationem esse præcipuum amulætum contra dæmones. Potuit Dauid, psalterium & cytharam docto indice pulsans, fugare cacodæmonem à Saule rege insesso, non tamen potuit effugare quin rediret, hoc tamen digito Dei iaspide orationis ornato, si quis pectoris sui fibras percusserit, in momento exibit, nec vnquam quamdiu hic iaspis florescens, redibit, ille qui circuit quærens quem deuoret. Musæ cum Apolline in Pyrrhi annulo fabulæ sunt, ad exigenda phantasmata, præ isto iaspide, floridæ orationis, Obiecit hunc iaspidem ille, qui in templo à longe inclinis percutiebat pectus suum dicens, Deus propitius mihi esto peccatori: & Sathanã torquebat, & eijciebat & conculcabat.

Scuto isto iaspideo protectus alter, dicebat D. o, *Susceptor meus es tu, & refugium meum, & liberator meus:* & nihil timebat, neque à timore nocturno, neque à sagitta volante in die, neque ab occursu & dæmonio meridiano: quinimo super aspidem & basiliscum ambulabat, & conculcabat leonem & draconem.

Potest Tobias iactare mysticum cremium; eijciendo Dæmoni ex intestino piscis paratum. Nobis maiorem præsentioremque paraturam contra exterminatorem Archiater Iesus condidit, sacrificiũ Deo spiritum contribulatum, atque cor contritum, quod Deus non despicit, quod Sathan non aspicit.

Consilium Pyrrhi ad rem Christianorum ne Sathanam admittant.

Audistis dilecti ex nomenclatura, quam sæuus ille Veterator in animam & corpus: quid facto nobis opus? Si attenditis? suadeo, *non admittere.* Ipsum vel Pyrrhum in dispari negotio suadentem exhibeo. Vouerat ille Palladi, in Atheniensi arce, rem Sacram facere. Athenienses admiserant. Excedens vrbe dixit, *Gratam sibi extitisse Atheniensium fidem: cæterum si saperent, inposterum regi nemini portas aperturos esse*, quo dicto ostendit, non esse ex re liberæ Ciuitatis, in cuiusquam Principis manu libertatem suam credere. Cuius consilium non secuti Athenienses, cum postea Cassandrum quoque in vrbem recepissent, magna atque innumerabilia mala ex eo tulerunt. In re nostra, si huic consilio obaudiremus, non tantam iacturã virtutum faceremus, ab eo quem volentes admittimus. Hem quis est, qui adhuc in limine obsistat hostibus animæ suæ? *Non confundetur talis, cum loquetur inimicis suis in porta.*

Ceterum si admisimus intraneum hostem, oro, iaspidem tunc virentem & florentem, sed imagine Solis iustitiæ signatum, obijciamus illi. Non sustinebit: diffugiet: nosque in nostra libertate Deo relinquet. Potentes nos. Namque vt Chrysostomus dixit, multo magis dæmon dolet, si peccato superiorem animam perspexerit, quam si ab homine fuerit eiectus. Maxima enim eius virtus est peccati amplificatio, quam vt extingueret Christus in patibulo dependit. Peccatum enim mortem induxit, Peccata quæ superiora fuerant, ad inferos depressa sunt. Id igitur si destruxerit homo: destruit autem ieiunio & oratione, neruos Diaboli omnes incidit, caput eius conterit, vires resoluit, atque vniuersum eius exercitum fundit atque fugat, signumq; omnibus miraculis maius facit. Faciamus nos; nam possumus: nosque in verã libertatem asseramus in sæcula. Amen.

DOMINICA QVARTA Quadragesimæ.

Est hic vnus puer, habens quinque panes hordeaceos. Ioan 6. c.

CONCIO I.

Quid Panis hordeaceus significat?

Isaaci seminatio centeno prouentu notabilis typus.

ISAAC Patriarcha; peregrinus apud Abimelech regem Palæstinorum, magnum prouentum frugum tulisse me-

moratur à Scriptura, ex ſeminatione. *Seuit autem Iſaac*, ita refert hiſtoriographus *in terra illa, & inuenit in ipſo anno centuplum, benedixitque ei Dominus.* Ingens meſsis, quæ centeno redditu Iſaacum locupletarit. Quid autem ſæuerit? Apud Origenem inuenio. *Hordeum.* Ita enim meminit homil. 12. in Geneſim, & vehementer miratur, quod non frumentum, ſed hordeum ſeminauerit, atque ex hordei non tritici prouentu, tam magnificus euaſerit. Reddit ille aliam rationem, ego eam exiſtimo: quia multiplicata hordeacea ſemente, prænunciabat affore Ieſum verum Meſſiam, qui olim annonam hordeaceam non ex agro ſed ex manibus, non in centuplum, ſed in immenſum multiplicaret his quos paſcendos ſuſcepiſſet. Typum longæuum in Iſaaci benedictione præcedaneum, hodie reipſa repræſentauit, dum quinque panibus hordeaceis in manibus ſumptis benedixit, & verbo quo omnia creauit, eiſdem multiplicatis, tot millia virorum recreauit. Quem panem multiplicatum, iſto pane hordeaceo, nobis inſinuauerit? hodierna die inquiremus: vos mentem repandite & audite.

Futurum erat tempus olim à Patriarchis præuiſum, à Prophetis prædictum, & à Diuinis viris variarum rerum præclare geſtarum ſignificatione præumbratum, quo Deus legem veterem, Sacerdotium, & ſacrificia partim antiquaret, partim immutaret, ipſi optabant leuiora & meliora, orantes, *immuta ſigna, innoua mirabilia.* Ille quoque pollicebatur; *ecce*, inquit, *noua facio omnia.* Itaque cum adueniſſet conſummatio temporis, placuit Deo venienti in orbem, illam immutationem anteuiſam, antedictam, & ante adumbratam aggredi, maxime vero ad typum Dauidis Regis, cũ mutauit vultum ſuum coram Abimelech, vt habet Pſalmi. 33. inſcriptio, vt vero eſt in hiſtoria Regum, coram Achis rege Geth, ad quem, timens Saulem confugerat.

Expl. tit. Pſal. 33.

1. Reg. 21. Nota eſt res, quod cum apud hunc regem eſſet, valdeque ſibi timeret, ne propter laudes quibus celebrabatur, periculo ſe obijceret, *immutauit os ſuum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, &c.* vt Auguſtinus expreſſe collapſum innuens, *ferebatur*; inquit, *in manibus ſuis & impingebat in oſtia portæ, difluebantque ſaliuæ eius in barbam*, quod cum rex Achis vidiſſet, deſpexit virum, & dimiſit eum, & abijt. Ab interpretatione nominum, aſſurgemus ad intellectum myſteriorum. Abimelech interpretatur, *Regnum Patris.* Achis vero, *quomodo eſt.* Dauid autem, *manu fortis.* Hic quod occidit Goliam immanem, ſignificat Chriſtum ex progenie ſua natum, qui trucidauit immenſæ molis hoſtem. Quod ergo Dauid immutauit vultum ſuum, coràm Abimelech ſiue Achis, præſignabat Verbum Deum, qui non ſemel immutauit characterem ſuum coram Regno Iudæorum.

Immutauit inprimis, quando ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauitque ſe factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vidimus eum tunc, & nõ erat ei aſpectus. Non eſt ei ſpecies, neq; decor, & reputauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. Norant illum Iudæi ſecundum humanitatem, quia eſſet filius Dauid Sed quia nõ norant ſecundum Diuinitatem, ideo non ſemel vocabulo Achis reſpondentes, interrogabant, *Quomodo eſt?* Quomodo ſcilicet, eſt filius Dei, cuius nouimus Patrem & Matrem? Quomodo ſcit literas, cum non didicerit? *Quomodo mare & venti obediunt ei?* *Chriſtus ſe immutauit in vtero.*

Immutauit deinde vultum ſuum coram regno Patris ſui in Iordane primum, quando cœli aperti ſunt ſuper eum, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum deſcendit, & vox Paterna audita eſt, hic eſt filius meus dilectus, tum deinde immutauit in monte Thabor coram Apoſtolis, quando facta eſt facies eius tanquam Sol, veſtimenta autem eius albicantia tanquã nix, ſimiliter & cœlum apertum, & vox Patris audita, & prophetæ in maieſtate conſpicui facti ſunt. *In Iordane.*

In cœna vltim. Sed maxime ſe immutauit tunc in vltima cœna, quando antiquato Aaronis Sacer-

Sacerdotio, in Sacerdotem Melchisedechianum initiatus, ferebatur ipse in manibus suis, & vt Augustini verbis efferam, quando sublato sacrificio Aaron, cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Ergo mutauit vultum suum Dominus noster Iesus Christus, Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech, qui in corpore & sanguine suo, voluit esse salutem nostram. Vnde autem commendauit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius, in principio erat verbū, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce cibus sempiternus, sed manducant Angeli, manducant supernæ virtutes, manducant cœlestes spiritus, & manducant & saginatur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quis autem homo posset ad illum cibum? Vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret, & ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac? Vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traijciatur? Nam mater hoc facit: quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mamillæ & lactis succum, de ipso pane pascit infantem. De suo pane pauit nos Dei sapientia, quando *verbum caro factum est & habitauit in nobis*, tunc enim *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducauit homo.* Pauit nos tunc, *quando portabatur in manibus suis.* Hoc vero quomodo possit fieri in homine, quis intelligit? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo: manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid, secundum literam non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait, *Hoc est corpus meum.* Ferebat enim illud corpus, in manibus suis, quando impingebat in ostia portæ; quando scilicet iam vicinus esset, vt per fossuras corporis, tanquam per ostium patens, emittere cogitaret columbam illam candidam & russatam, feracem oliuæ miserationis Diuinæ. Tunc ferebatur in manibus suis, quando accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit. Hoc quod teneo in manibus, quod frango manibus, quod distribuo manibus, verum est corpus meum, quod pro vobis in cruce tradetur, luxabitur, concidetur, offeretur. Hic calix non vini sed sanguinis mei, est quem vobis propino, quem pro vobis effundam in remissionem peccatorum.

In Psal. 33.

Quando panem & vinum transubstantiauit.

Ioan. 1.

In corpus & sanguinem suū.

Immutauit autem hunc vultum suum coram Achis, id est coram illis qui dicebant; Quomodo? Recordamini Euangelium, monet Augustinus, quando loquebatur Dominus noster Iesus Christus de corpore suo dum ait; *Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam æternam. Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Et discipuli eius qui eum sequebantur expauerunt, & exhorruerunt sermonem; & non intelligentes, putauerunt nescio quid durum dicere Dominum nostrum Iesum Christum, quod carnem eius quam videbant manducaturi erant, & sanguinem bibituri, & non potuerunt tollerare, quasi dicentes. *quomodo est?* Error enim & ignorantia, & stultitia in persona regis Achis. Vbi enim dicitur, *quomodo est?* non intelligitur, vbi non intelligitur, tenebræ ignorantiæ sunt. Erat ergo in illis regnum ignorantiæ, quasi rex Achis, id est, regnum erroris, eis dominabitur. Ille autem nihilominus dicebat. *Nisi quis manducauerit carnem meam & biberit meum sanguinem*, quia immutauerat vultum suum, quasi furor iste & insania videbatur dare carnem suam manducandam hominibus, & bibendum sanguinem. Ideo quasi insanus putatus est Christus dicens, *Manducate carnem meam, & bibite sanguinem meum, & quicunque non manducauerit carnem meam, & non biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam.* Sed regi Achis insanire videbantur, id est, stultis & ignorantibus: dimisit eos & abijt. Dixerunt enim: *quomodo est?* quod significat Achis.

Quo-

Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? Arreptitium putabant Dominum, & nescire quid loqueretur, & insanire. Ille autem qui nouerat, quid dicebat in illa mutatione vultus sui, *Sacramenta prædicabat & affectabat.*

Huius admirandæ demutationis vultus Christi visibilis in inuisibilem, & palpabilis corporis, in sola fide comprehensibilem escam, typum mihi gessit, illa mutatio hordei Isaaco multiplicati in centuplum. Qui enim prius panis erat, vbi verbum Christi omnipotens accessisset, abijt in centuplum, imo in immensum, vt & species panis retineret, & sub speciebus panis contineret, illud verum corpus, illum verum sanguinem, illam veram animam, illum verum Deum & hominem, qui in cruce patiebatur, immolabatur, sacrificabatur.

Miranda est hæc mutatio. Mira hæc sunt manui, oculo, & gustui? Sed placuit Deo facere *memoriam mirabilium suorum*, in hac *esca* quam *dedit timentibus se*, vt aliud cerneremus, aliud crederemus. Videremus albedinem; & crederemus illic sublatentem *candidum & rubicundum ex millibus.* Tangeremus rotunditatem; & crederemus illic sublatentem, *qui portat pugillo orbem.* Gustaremus panis relictaneum saporem; & palato animæ perciperemus illic fermentatam Angelorum & Cælitum reconditam suauitatem, manna scilicet illud absconditum dulcedinis, omnem dulcorem in se præbabens, itaque vt Isaac pro pugillo hordei, centuplum demessuit: sic etiam cum pani benedicens dixit *hoc est corpus meum* pro pane & vino corpus, sanguinem, animam, Deum & hominem seipsum & in manibus cæpit, & de manibus suis fidelibus ministrauit.

Possibilis tamē Dei potentiæ, cui alia miranda possibilia. Forte dicas, *inquit Ambrosius.* Aliud video. Quomodo tu mihi asseris, quod Christi corpus accipiam? Probemus, ait, non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.

1. Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, & facta est serpens: rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur Prophetica gratia, bis mutatam esse naturam, & serpentis & virgæ? 2. Currebant Ægypti flumina, puro aquarum meatu: subito de fontium venis sanguis cæpit erumpere. Non erumperet. Non erat potus in fluuijs: rursus ad Prophetæ preces, cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit. 3. Circumclusus erat vndique populus Iudæorum, hinc Ægyptijs vallatus, inde mari clausus. Virgam leuauit Moyses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atque inter vndas via pedestris apparuit. 4. Iordanis retrorsum conuersus, contra naturam in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturam, vel maritimorum fluctuum, vel fluuialis cursus esse mutatam? 5. Sitiebat populus Patrum, tetigit Moyses petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, vt aquam vomeret petra, quam non habebat natura? 6. Marath fluuius amarissimus erat, vt sitiens populus bibere non posset, misit Moyses lignum in aquam, & amaritudinem suam natura aquarum deposuit, quam infusa subito gratia temperauit.

7. Sub Hælisæo Propheta, vni ex filijs Prophetarum excussum est ferrum de securi, & statim mersum est, rogauit Hælisæum qui amiserat ferrum, misit etiam Helisæus lignum in aquam & ferrum natauit, vtique & hoc præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris virtutis esse gratiam, quam naturam, & adhuc tamen Propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione Diuina, vbi verba ipsa Domini Saluatoris operantur? Nam Sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, vt species elementorum mutet? De totius mundi operibus legisti, *quia ipse dixit & fa-*

& facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat: non potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant? Non enim minus est, nouas rebus dare, quam mutare naturas.

Sed quoad argumentis vtimur? Suis vtamur exemplis, incarnationisque astruamus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præcessit, cum Iesus Dominus ex Maria nasceretur?

Si ordinem quærimus? viro mixta fæmina generare consueuerat. Liquet igitur quod præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, quũ præter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? Vera vtique caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est. Vere ergo carnis illius Sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus. *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur: post consecrationem, corpus Christi significatur. Ipse dicit, *hic est sanguis meus*, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem, sanguis nuncupatur. Aliud videtur, aliud fide creditur. Quid si etiam per Dei benignitatem oculis cernitur? Vidit inter alios VVindichindus Saxonum rex adhuc dum gentilis, sed forte fortuna mysterijs religionis nostræ assistens. Cum enim Sacerdos Sacratam hostiam populis porrigeret, aspexit in singulis hostijs quæ distribuebantur, infantem distribui viuum, & quibusdam quidem facie adolandientem, ab alijs vero oculos auertentem, sed tamen ora eorum subintrantem. Cum autẽ à Sacerdote didicisset, id quod res est, illico gentilismo eiurato, Christo nomẽ dedit, Magno Carolo Imperatore eum ex Sacro fonte eleuante. In hac enim Sacrata hostia Panis cernitur, & corpus Christi adoratur. Hordeacus contrectatur, & Angelorum esca degustatur, tanto manna Hebraico præstantior, quanto Deus creatura altior. Manna illud e cœlo, hoc corpus supra cælum, illud cæli, hoc Domini cœlorũ. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterũ seruaretur, hoc alienum ab omni corruptione, si quis religiose gustauerit, corruptionem sentire non poterit, illud in vmbra, hoc in veritate. Quod si beatos prædicas Patres qui manna illud manducarunt, vel Isaacum & Rebeccam quod centuplo multiplicatum receperant; vel isto Christi sequaces, quia miraculo crescentem panem comederunt, quid non magis nos beati, qui multo opulentiorem, suauioremque panem mysticum degustamus? Et vtinam, vel cum gustu gustemus.

Vidit VVindichindus mutationẽ istã in Sacramento. Baron. an. 785.

Turbæ Christum etiam in desertum, etiam trans maria, etiam relictis omnib. sequuntur vt simplici pane cibarentur. Hem? Nos --- Sed ---

Turbæ quod à Christo recreatæ, illum statim volunt inaugurare Regem, & fecissent, nisi se abscondisset: & nos ---- ? Sed ----

Venite itaq; comedite, comedentes gustate quam suauis Dominus, gustantes laudate & requirite Dominum, tantam dulcedinem vobis administrantem nunc & in sæcula. Amen.

CONCIO II.

Est hic puer habens quinque panes hordeaceos. Ioan. 6. c.

Frugalitas.

NON nimis magnum visum est Elisæo Prophetæ, multiplicatis panibus hordeaceis, satiare centũ viros. Ita habet liber Regũ. *Vir quidam venit de Baalsalisa, deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit. Da populo vt comedat. Responditque ei minister eius. Quantum est hoc, vt apponam coram centũm viris? Rursum ille ait: Da populo vt comedat. Hæc enim dicit Dominus, comedent, & supererit. Posuit itaque coram eis, qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini.*

Si Prophetæ non nimis magnũ visum est, tantum audere, quid Saluatori nostro magnum erit cui nihil magnum, tot millia virorum, quinque panibus hordeaceis satu-

saturare? Sed cur hordeaceis? istud erit propositum Concionis hodiernæ.

Mors in olla Gastrimargia. Frugalitatem victus in primis docere voluit suos sequaces, vt paruo ad naturæ sufficientiam contenti, discerent, adiumenta vitæ, vitamque ipsam tum corporis, tum animæ, parsimonia conseruare, & prorogare. Nam triplicem mortem præsentaneam, hominibus Gastrimargiæ deditis sciuit imminere: *Opum*, *Corporis*, & *Animæ*, quas omnes depellit frugalitas. *Indidem.* Sed de his mortibus primo. Illi centum viri fame coacti in deserto, cibos famem explentes non cupedias gulam illectantes cogitauerunt. *4. Reg. 20.* *Et egressus est vnus in agrū, vt colligeret herbas agrestes, inuenit quasi vitem siluestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium suum, & reuersus concidit in ollam pulmenti, nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo socijs vt comederent, cumq; gustassent de coctione, clamauerunt dicentes: Mors in olla, vir Dei.* Dixerunt illi de cibo insipido, non inutili tamen & sanitati prorogandæ & inediæ recreandæ, quod *Mors esset in olla*: sed ego magis pronuncio, de cibis exquisitis, superfluis, & igne aromatico conditis, quia *Mors in olla*, in primis Opum.

I. Opum. Ridebat Tertullianus Asinium Celerem, cui piscis vnus sex millib. HS. scilicet ducentis quinquaginta millibus aureorū Philippæorum ad cænam venit. *Consol. ad Heluia c. 10.* Ridebat Seneca Æsopum histrionem, qui centum millium vnius cæna patinam confiscauit, margaritā namq; vel ipso nomine pretiosam dehausit. Ridebat & Apicium, qui in ea Vrbe, ex qua, *vt ille scribit* aliquando Philosophi velut corruptores iuuentutis abire iussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit, cuius, *inquit*, exitum nosse, operæ pretium est.

Cum sestertium millies in culinam congessisset, cum tot congiaria principum, & ingens Capitolij vectigal singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit. Superfuturum etiam sibi sestertium cēties computauit; & veluti in vltima fame victurus, si sestertio centies vixisset, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat cui sestertium centies egestas fuit?

Ridebat deinde & C. Cæsarem, & alios quam plurimos lurcones, qui & patrimonium ingens, & redditus inuidiosos prodigebant. Sed præstat ipsum Senecam audire. Dij istos Deęq; perdant, inquit, quorum luxuria tam inuidiosi imperij fines transcendit. Vltra Phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetimus, aues petere. Vndiq; conuehunt omnia nota fastidiendi gulæ. Quod dissolutus delitijs stomachus vix admittat, ab vltimo portatur Oceano.

Vomunt vt edant, edunt vt vomant. Epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. C. Cæsar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, vt ostenderet, quid summa vitia, in summa fortuna possent, centies sestertio cænauit vno die, & in hoc omniū adiutus ingenio, vix tamen inuenit quomodo Prouinciarum tributum vna cęna fieret. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur. Pretiosos autē, non eximius sapor, aut aliqua dulcedo fauciū, sed raritas & difficultas parandi fecit. Alioquin si ad sanam illis mentem placeat reuerti, quid opus est tot artibus ventri seruientibus? quid mercaturis, quid vastatione siluarum: quid profundi persecutione? Passim iacent alimenta, quæ rerū natura omnib. locis disposuit. Sed hæc velut cæci transeunt, & omnes regiones peruagantur, maria traijciunt, & cum famem exiguo cibo possint sedare, MAGNO IRRITANT, scilicet minus beate viuebat. Dictator noster, qui Samnitū legatos audit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, quia iam sæpe hostem percusserat, lauream q; in Capitolini Iouis gremio reposuerat: quam Apicius; cui fera in mundo parsimonia, qui tunc venena edebat bibebatque cum immensis epulis non delectaretur tantum, sed gloriaretur, cum vitia sua ostentaret, cum Ciuitatem in luxuriam suam conuerteret, cum iuuentutē ad imitationem sui sollicitaret, etiam sine malis exemplis per se docilem.

Hæc Seneca in helluones sui temporis: quæ

quæ dum legebam, & vobis proponere instituebam, subuertebat ne probro haberetis, vobis à me ea recitari quæ proxime vestrum Septentrionalem luxum contingunt. Cogor enim & illud à vobis requirere. Quid deducitis naues? Quid manus & aduersus feras & aduersus homines armatis? Quid tanto tumultu discurritis? & vt propius accedam, Quid cupediæ ab vltimis Indis?

Omnes magni frugales.

Quid vina ab Hispanis & Italis? Quid putredines piscium à Scythis? Quid patrimonium vno epulo voratrinæ? scilicet: misere vixit abstemius Iagello noster, qui Lithuaniam genti nostræ, & Christo adiunxit, cum frugali mensa viueret nec vnquam vina gustaret. Misere vixit Iagelloniades Cazimirus, qui in Diuorum cætum relatus, cum parabili cibo, & aquæ potu vitam tolleraret. Misere vixit Sigismundus Primus, in pace, & bello ad immortalitatem natus, cum in dapsili regia, vno aut altero ferculo, & nonnisi aquis victitabat. Misere viuebant maiores nostri, non magis opibus quam rebus gestis illustrissimi, qui Comitium vniuersum pane, & mulsa & carne porcina excipiebant: quibus non

Piastus rex.

Mageræ neque Creticæ vites vina sudabant, quod non oliueta aut ficulneæ, aut pomærica Hispanica, oliuas, ficus, cytros, poma aurantia, limonea, castaneas, amigdalas, pistacia, & alia condita, & incondita marsupij exhaustoria, non ferebant, quod à Tartaris non veniret Tunnus, aut Tunni marcidum ouum, quod à Turcis non venderentur tot irritamenta malorum, quod ab Indis non gariophili, non piper, non zinziber, non tot ignes vestrarum opus mitterentur. Cum tamen sciam non neminem vestrum, propter gastrimargiam Iro pauperiorem, & obscuriorem esse: illos vero omnes propter frugalitatem & amplas facultates possedisse, reliquisseque, & rerum gestarum gloria immortalitatem meruisse. O si Alcamenem Thelecri F. audiretis. Is obiurgatus à quodam, quod parce nimium ac frugaliter viueret, cum tamen amplissimas possideret diuitias respondit: *Decet*, inquit, *eum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine viuere.*

Plutarc. in Lacon. & in Apopht.

Agesilaus etiam se hic ostentat, cuius memorabile factum & dictum vobis in exemplum deberet esse. Thasiorum gens, vt copia rerum abundat, præcipuè vini præstantia nobilis, ita erat delitijs addictior. Per horum agros cum exercitu proficiscenti Agesilao, Thasij honoris gratia miserunt farinas, anseres, bellaria, liba ex melle condita, & item omnis generis alia maximi pretij, tum esculenta. At ille præter farinas nihil accepit: reliqua domum referri iussit ab his qui attulerũt, tãquam sibi suisque prorsus inutilia. Cæterum cum illi precibus & obtestationibus vrgerent omnino vt acciperet xenia, iussit ea inter Helotas distribui: id erat apud Lacedæmonios mancipiorũ genus. Eius facti causam sciscitantibus respondit, *Non decere, qui virtutis ac fortitudinis studio tenerentur, id genus delicias accipere, propterea quod istiusmodi res quibus inescarentur ingenio seruili nati, oporteret à liberis procul abesse, liberos vero his non titillari: ne degustatis allecti, opes & vires postmodum prodigerent.*

Lysandro in Ioniam proficiscenti, hospites quos habebat in Ionia, cũ alijs multis, etiam bouem, & placentam dono miserunt. Qui placentam contemplatus, rogabat, quidnam illud cupediarum esset? Cui, cum is qui attulerat, responderet, ex melle caseo, alijsque quibusdam confectũ esse, *Sed hoc*, inquit, Lysander, *dandum est ijs qui nouerunt. Nonne hic est liberi & ingenui hominis cibus.* Quid diceret, si nostros Commessatores inuiseret?

Ælian. lib. de var. hist.

Anonymus quidam ingressus diuersorium, cauponi dedit obsonium vt appararet; quum ille posceret caseum & oleum; *Quid*, inquit Lacon, *si caseum haberem, iam non egerem obsonio.* Caupo, caseum & oleũ petebat ad condiendum piscem, at Lacon id videns, cui sufficiebat victus simplex, superuacuum existimauit cibum cibo miscere, quum alter per se satis esset. Quantum absunt ab huius Laconis animo, qui centum rerum species in vnum miscent discum?

Idem cum duas amygdalas duras, duplo vendi conspiceret: *Sunne hæc*, inquit, *lapides?* Quasi nihil interesset,

Plu. in La. ol.

inter silicem & amygdalam, ita existimabat. Quid si pagos vniuersos diuendi cerneret, ad emendas has & alias quisquilias? Sed non deduco---- Hoc tantum dico. Frugalitatem esse vitam opum, vt intemperantiam dispendium illatum.

Thymbra hierogl. Antiqui *Thymbram* herbam inter notas hieroglyphicas diuitiarum ponebant, quod hac tantum victitantes, plerumque euadebant Opulenti, nullos scilicet superfluos sumptus facientes, sed quod rei domesticæ supererat, in ærarium reponentes. Vnde Epicurus docebat. *Si quem*, inquit, *efficere diuitem velis: nihil pecuniarum adde, sed de cupiditate detrahe.* Plinius vero aiebat, frugalitatem præstantius esse asylum, templo Ephesinæ Dianæ. *Templum*, inquit; *Ephesiæ Dianæ tutos reddebat obæratos à creditoribus: at multo magis frugalitas & parsimonia præbet asylum.* Narrant Scipionem iuniorem, quinquaginta quatuor annis, quibus vixit, nihil vendidisse, nihil emisse, multam tamen pecuniam in amplissima domo reliquisse, quod Patrem monentem audisset, qui inquit, *Si plura quam secundum naturam vesceretur: vel ingurgitaret, ipsum condignas pœnas luiturum.* Nimirum cum experiretur *Seram in fundo parsimoniam.*

2. Corporis. Secunda mors latet adhuc in dapsili olla. Corporis, videlicet. Scitum est illud in quendam dictum. *Multitudo ciborum, occidit Imperatorem.* Bene pronunciauit Socrates, Frugalitatem esse Matrem Sanitatis, & inter Aphorismos medicorum, primus est, de frugalitate. Non multus hic ero, illud tantum recitabo, quod de Pyrrhimiculo Vascone Adrianus Barlandus scripsit. Peregre faciens iter, cum ad meritoriam tabernam venisset, & apposita esset cœna omni ex parte oblitoria, cum vino dilutissimo, omniaq; administrarentur quam parcissime, finita cœna iussit vocari ad se medicum, ad mercedē capiendum. Igitur caupo cum respondisset; *Et quid mali, in vinculo maxime agresti medicū requiris?* Ibi ille; *Num ô bone, teipsum ignoras. Quo sit igitur merces operæ tuæ, pro medici pretiū accipe, non cauponis.* Sensit autem frugalitatem sobrietatemq; optimam esse homi-

Frugalitas mater sanitatis.

nis medicinam. Vtinam audiremus, non profecto tot morborum quot ciborum insolita genera, & vires euitarent, & vitam erogarent nostris, quibus illud Timocreontis Rhodij, satius quam aliquod aliud epitaphium scribi posit.

Multa bibens; tum multa vorans, malè, plurima dicens.

Multis hic iaceo---- Thudescus vel.

Senio multo confectus, vegetus tamen vixit Pythagoras; de quo scripsit Iuuenalis.

Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit, qui

Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen.

Quid diceret ergo his temporibus nostris, vel quo non fugeret, si nunc hęc monstra videret? præsertim si tot præmatura funera nostrorum Gurgitum numeraret.

Timotheus Cononis F. omissis opiparis cænis & epulationibus Imperatoris, frequentius à Platone ad conuiuium Academicum accedebat, & frugali modicaque cœna viuebat. Causam rogatus dixit; *Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent.* Vituperauit mensas Persicas, quæ & sequentis diei gaudium præscinderent, & diuturnioris vitæ vsuram præriperent.

Concludo cum Seneca. Quicquid auiū volitat, quicquid piscium natat, quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus, quære nunc, cur subito moriamur? quia *mortibus viuimus.* Addo, quia ignes bibimus, ignes non comedimus sed voramus.

Post exhaustum marsupium, post corpus eneruatum, ab hac olla Mors sequitur tertia. Animæ videlicet. Nauem plus iusto onustam, onus ipsum demergit: sagina mentem. Aër fumo & nebula perfusus, Solem abscondit: vapores ex sagina mentem. Canis obesus inutilis venationi: anima satur contemplationi. Accipiter præpastus, non prædam quærit: homo impinguatus, non sapientiam discit. Sed de hac morte animæ audite Philosophum. Turpis est, inquit Seneca, qui alto Sole semisomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit: & adhuc multis hoc antelucanum est. Sunt qui

3. Anima.

Epist. 122.

qui officia lucis noctisq; peruertunt, nec ante deducunt: oculos hesterna graues crapula, quam appetere nox cæpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (vt ait Virgilius) pedibus nostris subditos è contrario posuit.

Nosque vbi primus equis oriens afflauit anhelus

Illis sera rubens accendit lumina vesper.

Talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in hac eadem vrbe Antipodes, qui vt M. Cato ait, *nec Orientem vnquam Solem viderunt, nec occidentem*: Hos tu existimas scire quemadmodum viuendum sit, qui nesciunt quando? Et hi mortem timent, in quam se viui condiderunt, tam infausti ominis, quam nocturnæ aues sunt. Licet in vino vnguentoque tenebras suas exigant? licet epulis, & in multa quidem fercula distinctis, totum peruersæ vigiliæ tempus ducant, *non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt.* Mortuis certe interdiu parentatur. Aues quæ conuiuijs comparantur, vt immotæ facile pinguescant, in obscuro continentur: ita sine vlla exercitatione iacentibus, tumor pigrum corpus inuadit, super membra iners sagina succrescit. Ita istorum corpora, qui se tenebris dicauerunt, fæda visuntur. Quippe non speciosior illis, quam morbo pallentibus color est; languidi & euanidi albent, & in viuis caro morticina est. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim; tanto plus tenebrarum in animo est. Ille in se stupet, ille caligat. Quidni? Præmortuus est enim à crapula. Hæc Gentilis in nostros etiam luxus & phagesiposias, à quibus mors animæ certa, adhuc dum in viuo corpore. Dicamus ergo, *Mors in olla*, sed vita in frugalitate.

Animæ.

Pythagoras, Frugalitatem appellabat *robur animæ.* Socrates, *animam mentis.* Augustinus vero, *secretorum custodem, sapientiæ recordationem, arcani velamentum, lectionum & doctrinæ capacem, studiorum & artium bonarum disciplinam, magistrã ingeniorum, bonæ famæ auidam, virtutis singulare auxilium, castitatis & pudicitiæ munimentum, honestatis amicam, criminũ*

pis. 122.

& vitiorum profugam, Deo proximos facientem. Possem in exemplis demonstrare, quod nonnisi à frugalitate, omnes quicunque Christum sequuti Deo placuerunt, virtutibusque clarissimis illustrissimi euaserunt.

Sustineo in re tam notissima, & illud tantum profero. Fingebat Virgilius, *Herillum tres animas habuisse, terq; latho stratum fuisse.* Si id verum esset, vt vnusquisq; nostrum tres animas haberet, permitterem forte, vnius vel alterius ab hac olla mortem; cæterum cum vnicam habeamus, & hanc ad delicias æternæ creatam, oro ne propter escam prostituamus eandem. Nemo vestrum non irascitur Esau, qui propter polentam primatum vendidit. Oro & supplico, ne nos propter patinam, & animam & Cælum perdamus: quinimo curemus, vt frugalitate vitam animæ & corporis prorogemus, in sæcula. Amen.

Herillo tres animæ in fabulis.

CONCIO III.

Vnde ememus panes vt manducent hi? Ioan. 6. cap.

Misericordia in pauperes.



IOSEPHVS Patriarcha Prorex Ægypti, summam laudem apud vniuersos promeruit, quod horreis apertis, non modo Ægyptum, verum etiam vicinas Prouincias & Regna lõge remota fame squalentia, recreauerit. Merebatur propter talem prouidentiam, vt secundus à Pharaone, salutaretur, tantisque opibus quantas in Ægypto quæsiuit, locupletaretur. Sed longe maiorem gloriam hodie assecutus est Iesus, quod panibus multiplicatis, non tantum Apostolos, verum etiam numerosissimos suos sequaces, diutina famę ieiunos, satiauerit, & à prandijs opimis, tot cophinos reliquiarum, nobis reliquerit, dum nos tot opibus amplificauit: quas si vos exemplo ipsius in egentes distribueritis, & illas in immensum augebitis & Regium decus vobis cõparabitis. hæc enim duo præstant mortalibus, misericordiã in pauperes; quod die hodierna ostendo.

 Post-

1. A misericordia in pauperes multiplicantur opes.

Postquam video, quia & habendi, & Regnandi amor vos habet; age attendite, docebo quod ex misericordia in egenos, & Diuites, & Reges, quinimo & Dij quadantenus euadere potestis.

Inprimis, si opes quæritis? hæ non ampliores ex alio, quam ex elemosyna proueniunt, idque sine cura, sine labore, sine periculo. Ex agricultura vel negotiatione locupletatur aliquis? sed in sudore vultus sui, sed in improbo labore, sed cum indicibili discrimine. Qui vero in pauperes misericordiæ viscera aperit, proque posse suo egentibus subuenit, nihil cogitās, sed ne somnians quidem, diuitatur. Vt enim ager seminibus consitus vberiores producit homini fructus, quam accepit: sic eleemosyna in manus pauperum distributa, maiora præstat misericordi, quam ille effuderit.

Expen. loc. Isai. 58. ex pollicitatione Diuina.

Promittebat enim Deus per Isaiā prophetam. *Cum*, inquit, *effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebra tua erunt sicut meridies. & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit Dominus splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aqua.* Singula hæc discutio, magnumque prouentum eleemosynæ ostendo.

Pollicebatur viro misericordi Deus *orietur in tenebris lux tua.* Lucem cum nominat, ad diffusionem eius aspicio, quemadmodum si splendores insoliti si in tetro carcere affulserint, nullum angulum ergastuli non illustrant, sed omnes, sine vlla cura eius qui vinctus est irradiāt; ita quicquid erit necessarium, ad recreandum hominem misericordem, simul totum quasi lux subitanea, non in spe affulgebit, sed in re apparebit, concessum à Patre luminum, & quemadmodum lux siderum, Lunæ, & Solis in tenebrosis terræ visceribus recepta, multo cum fænore grauidat terram, in vtilitatem hominum producens tot tamque innumerabilia, quæ mortales percipiunt; ita eleemosyna, quæ est quasi ab hoc Sole humanitatis radiatum lumē, in manibus pauperum recondita, multo opulentiores diuitias homini benigno, citra negotium procreabit. Insuper, sicut meridianus ęstus, fruges & maturat, & solidat, sic virorum miserrimo impinguatus, non sapientiam discit. Misericordiæ *tenebra*, quę *erunt sicut meridies*, & maturabunt & solidabunt facultates, quæ ab isto Lucis clementiæ influxu.

Pollicetur deinde misericordiæ viris Deus, *& eris quasi hortus irriguus*, cuius terra benigna, mitis, indulgens, vsusque mortalium semper ancilla, quæ coacta generat? quæ sponte fundit? quos odores saporesq; ? quos succos? quos tactus? quos colores? quam bona fide creditum fænus reddit, quæ nostri causa alit? Tali diues prouentu eleemosyna quoque à Deo censetur, quæ præter vernantes flores virtutum animæ, præter maturos fructus bonorum operum, præter ingentia fænora charysmatum, præter opulentam indefectam regni cęlorum, non tantum necessaria, verum etiam quę ad superfluitatem abundantia refundit.

Vltimo pollicebatur Deus ei qui esurienti effuderit animam, *& eris quasi fons aquarum, cuius aqua non deficient.* Sicut enim fons inexhaustus, quo pluries hauritur, tanto largioribus tullijs ebullit, & scaturit: sic & benignitatis in pauperes fontana, perpetua scaturigine manat. Scis vnde? Ab eo cui dicebat Dauid. *Tibi derelictus & pauper, orphano tu eris adiutor.* Nāque quod alius quispiam, hoc Deus magis vsurpat. *Non sustineo illum deserere, cui dedi vitam, quem è periculo eripui.* Dedit vitam pauperi, cum illum in mundū procreauit; atque è periculo illum eripuit, quādo pro ipso sanguinem fudit; ideo non sustinet illum deserere, sed danti, dat liberaliter, vt det liberaliter indidem.

Berta Imperatoris liberal.

Profusam liberalitatem Bertæ Henrici 4. Imperatoris vxoris lego, cui Patauij agenti, cum rustica quędam ex vico Montagnano Berta nomine, filum tenuissimum, quod suapte manu elegantissime duxerat, & in vrbem delatum iusto pretio vendere non potuerat, dono obtulit. Illa & doni elegantiam, & rusticæ animum admiratą, præfecto suo imperauit, Montagna-

tagnanum subito proficisceretur tot terrę iugera ex Agro publico Bertę attribueret, quot filo honorario, per longitudinē extenso circumdari posset. Sic rustica illa ex inopi ditissima euasit, ita vt ab ea Patritiorum familia (qui de Montagnano dicti sunt) clarissima fluxerit.

Non se vinci patitur Deus liberalitate humana, cui si in paupere aliquo abscondito, fregeris panem? horreum reponit: si dederis vestem? medicinam? domum? Amplissimis facultatibus rependit. Promisit enim. *Date*, inquit, *& dabitur vobis.*

Iam non multum rideo à Poëtis fictas auri pluuias, cum video aurum de cœlo pluere, his qui intelligunt super egenum & pauperem. Iam non valde miror orationem Midæ, quæ illi omnia vertebat in aurum; cum aspicio auri feraces preces, horum qui miserentur pauperis & illi cōmodant. Neque amplius requiro Pactolum vel Tagum, auraria flumina; cum scio pro calice aquæ frigidæ porrecto alicui egenti, aurum, & argentum, & amplas facultates fluere: An viduę meministis illius sub Elia? illius sub Elisæo? Sed non diuulgo, quę vulgata, produco alios qui ab hac spirituali Alchimia diuitati.

Diuites ex misericordia in pauperes.

S. Apollon.

De Sancto Apollonio lego, quia orta quondā maxima fame, multos cū paruulis & coniugibus ad se recurrentes, tribus solis sportulis panum, quæ vix ad esum fratrum vno die sufficerent (erat enim pater quingentorum Monachorum) per quatuor menses indefinenter sustentauit. Tātopere Deus multiplicabat annonā propter sibi pauperes relictos.

Quidam choreta. Speculum exempl. dist. 2. §. 152.

Senex etiam quidam in eremo agens, cum alio fratre ducebat communem vitam; erat autem ille senior valde misericors. Contigit autem vt fieret fames: & cæperunt quidam venire ad ostium eius vt acciperent Agapen, hoc est charitatem, siue collationem panis. Senex vero omnibus venientibus ministrabat panem. Videns autem frater, quod fiebat, dicit seni. *Da mihi partem meam de panibus, & quod vis fac de parte tua.* Senex autem diuisit panes, & faciebat more solito de parte sua eleemosynam. Multi autem concurrebāt ad senem, audientes quia omnibus daret, nec deficeret. Videns enim Deus propositū voluntatis eius benedixit panes. Frater autē ille qui acceperat partem suā, & nulli dabat, consumpsit panes suos, & dixit seni, *quoniam modicum est adhuc, quod habeo de panibus meis Abba, suscipe me ad communem vitam*, & dixit ei senex, quomodo vis, facio, & cæperunt simul esse, & cōmuniter viuere. Facta est iterum penuria victualium, & veniebāt iterum indigentes, vt acciperent Agapen. Contigit autem vna die, vt intraret frater ille, & videret, quia defecerunt panes. Venit autē & pauper postulans Agapen. Senex vero dixit fratri illi. *Da ei panem.* Et respondit, *iā non habeo*, Pater. Et dixit Senex. *Intra & quære.* Ingressus frater attendit, & vidit repositoriū in quo panes haberi solebant repletū panibus. Quod cū vidisset, timuit, & tollens dedit pauperi, atque ita agnoscens fidem & virtutem Senis, glorificauit Deum.

Lib. 1. dial. cap. 9. Bonifacius Ferentinus.

Longe mirabilius est quod Diuus Gregorius refert, de Bonifacio Ferentinæ vrbis Episcopo, qui adhuc puer habitans cum matre sua seipsum expoliabat & nudos vestiebat, & cum à matre increparetur, cur ipse inops pauperibus vestimenta daret, in liberalitate tamen solita perseuerauit. Contigit, vt mater eadem quadam die horreum ingressa pene omne triticum quod sibi in stipendium totius anni præparauerat, inuenerit à filio suo pauperibus erogatum. Cumque semetipsum alapis pugnisq; tunderet, quod quasi anni subsidia perdidisset, superuenit Bonifacius puer Dei, eamq; verbis quibus valuit, consolari cæpit. Quę cum nihil consolationis admitteret, hanc rogauit, vt ab horreo exire vellet, in quo ex omni eorū tritico parum quid inuentum est remansisse. Puer autem Dei sese illic protinus in orationem dedit. Qui post paululum egressus ab horreo matrem reduxit, quod ita tritico plenum inuentum est, sicut plenum ante non fuerat, cū mater illius, totius anni fructus se cōgregasse gaudebat. Quo viso miraculo compuncta mater, iam ipsa cæpit hortari filium vt daret, qui sic celeriter, quæ petijsset acciperet.

Idem

Item postea factus Episcopus, cum nihil aliud ad omne stipendium Ferentinæ Ecclesiæ, nisi vnam tantummodo vineam haberet, quæ quodam die ita grandine irruente vastata erat, vt in ea paucis in vitibus, vix parui tanquam racemi remansissent. Tunc ille magnas omnipotenti Deo gratias referens, cum vindemiarum tempus aduenisset, mandauit Constantio presbytero nepoti suo, vt cuncta vini vascula, in Episcopio, omniaq; dolia vt ante consueuerat pice superfusa præpararet. Quod audiens illius nepos valde admiratus est, quod quasi insana præciperet, quod vini vascula præparari faceret, qui vinum minime haberet. Nec tamen præsumpsit inquirere cur talia iuberet: sed iussis obtemperans, omnia ex more præparauit. Tunc vir Dei vineam ingressus, racemos collegit, ad calcatorium detulit, omnesque exinde egredi præcepit, solusque ibi cum vno paruo puerulo remansit, quem in eodem calcatorio reposuit, & calcari ipsos paucissimos racemos fecit. Cumq; ex iisdem racemis parum aliquid vini deflueret, cæpit hoc vir Dei suis manibus in paruo vase suscipere, & per cuncta dolia, omniaque vasa quæ præparata fuerant pro benedictione diuidere: vt ex eodem vino omnia vascula, vix infusa viderentur. Cum vero ex liquore vini parum aliquid in vasis omnibus misisset; vocauit protinus presbyterum, iussitque pauperes adesse. Tunc cæpit vinum in calcatorio crescere; ita vt omnia quę allata fuerant pauperum vascula impleret. Quibus cum se idonee satisfecisse perspiceret, ex calcatorio iussit puerum descendere, hinc apothecam clausit, atque impresso sigillo proprio munitam reliquit, mox ad Ecclesiam rediit. Die vero tertia prædictum præsbyterum Constantium vocauit, & oratione facta apothecam aperuit, & vasa in quibus tenuissimum liquorem infuderat vbertim vinum fundentia inuenit; ita vt pauimentũ omne excrescentia vina inundarent, si ad hæc Episcopus tardius intrasset.

Ite nunc qui terram improbo labore fatigatis, vel qui per mare, per ignes, ad extremos Indos curritis, vt fallaces diuitias conquiratis; negligentes misericordiæ in pauperes, cui tam facile, tam abunde Deus rependit. Quin potius dicitis ad vosmetipsos: Si circa terram laborantes, horrea exhaurientes, terræ semina mandant, & congregata dispergunt, & hoc faciunt cum voluptate, se ampliorum spe consolantes, & hoc cum sciant quod frequenter & aeris inæqualitas, & sterilitas terræ, & alij multi incursus, vel grandinis fragor, vel rubiginis impetus eos ab expectatione decidere facit, bonis tamen se pascentes expectationibus in horreis congregata terræ committunt: nonne magis inaniter reposita in cibos pauperum dispergere mihi congruit, vbi nunquam accidit aberrare, nec infortunium quod in terra fit vereri? Vnde maiores fructus colligo? vbi dispersis inconsumpta manet iustitia, cum omnibus pariter sæculis extensa?

Polliceba tur deinde vires misericordiæ Deus. *Et implebit splendoribus animam tuam.* An forte illud est regium, quin & Diuinum decus, quod regnandi cupidis, & Diuinæ scientiæ ambitiosis largitur? Istud plane illustrissimum Regium & Diuinitatis munus, ab hac arte. Quærebas homo artem scientiæ boni & mali? Intellige super egenum & pauperem, & didicisti. Malum quo ille affligitur aspice; bono quo tu affluis refice, & bonum atque malum sciuisti: insuper & in Deum euasisti, qui tuum sciens malum, scit etiam suum bonum, tuæ inopiæ communicare. *2. Ex misericordia in pauperes Diuinitatis participium.*

Vocatur ille Deus à dando & distribuendo? Tu quoque si distribueris in cibos pauperum portionem tuam, Dei nomenclaturam tibi indigetasti. Rex quoque Regum ille appellatur, quod aperiat manum suam, & omne animal impleat benedictione? & tu si illud vel multum vel parum quod habes, non præparca manu concludes, sed in te oculos aperientium erogaueris, Rex Benignus nunc prodieris. Regem illum volebat inaugurare turba, quod illam quinque panibus hordeaceis refecisset? Pauper quem vides, cui obolum vel panem porrigis, quem tecto tuo dignatus, quem vestimento tegis, manibus tuis

ſideream tibi diadema imponit, & Deus *ſplendoribus implebit animam.* Das terrena, recipies & terrena & cœleſtia. Nam quod das pauperi, recipit Chriſtus, qui libenter in paupere eſurit, vt tu paſcaris: & nudus circumit, vt tu incorruptionis veſtimento tegaris: & in platea decumbit, vt tu in cæleſtia tabernacula recipiaris: & mendicus ſtipem quærit, vt tu in Regem cœli promouearis. Quis iam veſtrum, ſi tamen & habendi & regnandi cupidus, hanc facillimam, & habendi & regnandi rationem non inibit? Quis Chriſto Ieſu, qui pro vobis ſanguinem fudit, & qui vobis omnia abunde donauit, micam panis denegabit? Quem enim vides pauperem? Chriſtus eſt. Qui tibi dicit, panem noſtrum? Chriſtus eſt. Qui veſtimentum petit? Chriſtus eſt, cui derelictus eſt pauper. Dignamini vagantem illum veſtro tecto, refocillate eſurientem cibo, nudum tegite veſtimento, infirmo medeamini officio, intelligite *ſuper egenum & pauperem.* Nam *Beatus* eſt omnis talis. *In die mala liberabit illum Dominus,* augebit diuitijs, chariſmatibus ornabit, & tandem illuſtriſsimis ſplendoribus implebit animam ipſius.

Ex miſericordia in pauperes diuinitatis partic...

Agrippa magnus rex Iudæorum, cum in priuata fortuna Romę eſſet, & eum propter falſas ſuſpiciones, Tiberius catenis ante palatium ad arborem vinciri iuſſiſſet vt in carcerem duceretur: in eo loco propter Solis ardorem, animique moleſtiam magna ſiti torquebatur. Eà cum prætereuntem Thaumaſtum vidiſſet, Caij ſeruum, aquæ prægelidæ vas ferentem, orauit vt bibere ſe fineret. Quod ille cum amanter feciſſet, dixit Agrippa, *ſe pro ipſa re gratiam aliquando ei relaturum.* Haud multo poſt igitur Tiberio Caius in principatu ſucceſsit: à quo Agrippa, qui in eius contemptum captus fuerat, liberatus atque in Iudæa rex conſtitutus fuit, qui tunc à Caio impetrauit, vt eius precibus Thaumaſtus liberaretur. Itaque poſtea ſuorum numero acceptum regni Procuratorem fecit, moriensq; teſtamento cauit, vt vxor ac liberi eodem apud ſe loco Thaumaſtum retinerent. Longe liberalior eſt Ieſus in eos qui ſibi vel calicem aquæ frigidæ porrexerint. Illos namq; ad regna cæleſtia euehit, & reges totius orbis conſtituit in ſæcula. Amē.

Agrippa pro calice frigidæ quā liberalis in Thaumaſtum.

DOMINICA IN PASSIONE Domini.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. cap.

CONCIO I.

De integritate Chriſti.

NON indignum eſt mihi viſum quærere, quid eſt, cum Solem & Lunam vno die crearit Deus, de Saluatore tamen noſtro dicatur: *Et permanebit cum Sole, & ante Lunam?* Nullum interſtitium interceſsit inter aſtrorum creationem, quæ omnia ſimul condita ſunt. nulla mora interpoſita eſt in generatione æterna, ex qua primogenita prodijt Sapientia, primogenita ante omnem creaturam. quando enim cœlos eleuabat ſurſum ſtelliſque ornabat, *cum eo eram,* ait Chriſtus, *cuncta ſimul componens.* quid eſt ergo quod permanet inſimul cum Sole, non autem inſimul cum, ſed *ante Lunam*? ſi & hæc ſimul, & ab eo creata, qui non hanc modo, ſed vtrumque iubar præceſsit? Integritas Ieſu Saluatoris, ex præcedentia Ieſu ante Lunam, mihi ſe hic exſinuat. Luna ſignificat peccatores, nutantes & mutantes, non ſepties ſed millies in die. *Stultus enim vt Luna mutatur.* Ante Lunam itaque Saluator proceſsit; eo quod nunquam nutauit, nunquam mutauit, ſed ſemper ſibi idem in iuſtitiæ cultu perſeuerauerit. *Quis ex vobis arguet illum de peccato?* De hac eius integritate mihi hodiernus ſermo.

Pſal. 71.

Prou. 8.

Qui nobilitate generis apud Romanos præſtabant, inter alia virtutis præmia, *Lunulas in calceus* geſtabant. Cauſam refert multiplicem Plutarchus. Teſtabantur fictam generis antiquitatem, quaſi cum Euandro & Arcadibus ante Lunam nati eſſent. Tum deinde innuebant animi magnitudinem, quaſi hæc ſublunaria nihili facientes contemnerent, pedibuſque ſe calcarent. Tertio monebantur viciſsitudinis rerum,

Queſt. Rom. 76. Lunulas in calceis Romani geſtabant propter quinque.

rerum, vt meminissent mutationis fortunæ, quæ instar Lunæ.

Primum recens existit è caligine
Fulgore de hinc subinde faciem splendido
Augescit illustrans, & quum pulcherrima
Renidet orbe pleno, rursus exuit
Lumen suum paulatim, & ad nihilum redit.

Quarto, obedientiæ sic adsuescere discebant, Lunæ exemplo præstantiori parere non recusantes: & quemadmodum illa secundas obit partes, Phebæi semper radijs intenta nitoris, ita ipsi quoque contenti esse secundo loco magistratibusque obtemperare. Fors etiam se clarissima luce splendere, omnesque, vel generis nobilitate, vel virtutum claritate, insinuabant pertrahere in sui admirationem. Quæcunque tandem illa fuerit causa gestationis Lunularum, censeo, non tam iustos fuisse possessores emblematis Romanos, quam Iesum Saluatorem. Antiquitatem nasciturae quæris? Solus ante Solem & Lunam, *ex vtero ante Luciferum* genitus perennat. Magnitudinem animi? Solus supra omnia visa & inuisa elatus, magna & inscrutabilia quorum non est numerus, cogitat, facit, hæc autem quæ fecit, sicut *stillicidium* de *situla* æstimat. Vicissitudinis rerum memoriam in eo desideras. Lusus est illi omne, quodcunque fatali ordine voluit ipse in terra. Obedientia mentis in eo tanta, vt Patri obaudierit adusque ipsam mortem crucis. Splendor vero virtutum tam illustrissimus, vt facilius in ipso Sole tenebras, in candore næuos, inque atomis atomos, quam in Iesu maculam, næuum, peccatum reperias. Huic itaque Soli ius est, Luna calceari Lunamque calcare. Namque ipse est Solus præcessor Lunæ, 2. contemptor Lunæ, 3. non variatus vt Luna; 4. obaudiens instar Lunæ, 5. nulloque respersus macula vt respersa Luna.

1. Christus sine peccato, quia ante Lunaris. Expendamus singula, exque singulis integritatem Christi demonstremus. Romani, vt se aborigines indicarent, Lunulas gestabant. Magis competit Iesu, qui permanens ante Lunam, de se promulgat, *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram, quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, cum eo eram cuncta componens.* In Euangelio vero explicate refert. Antequam *Abraham fieret, ego sum.* Non dixit, fui, sed sum: vt demonstraret, nulla temporis variatione teneri, sed inuariabile esse habere. Euenit hinc necessario, vt nullum peccatum vnquam admiserit, qui insolubili nexu lucidissimo Soli ab æterno connexus, perpetuos exerit radios, nec vnquam eclypsat. Cætera quidem, quia tempore metiuntur nec sunt, sed eodem tempore eliduntur, dissipanturque in futurum ex præterito, ideo variant ex ipsa conditione creationis. Ipse quia est, *qui est*, nunquam variat, ideoque etiam non peccat. In Angelis suis reperit prauitatem, neque cœli mundi sunt in conspectu eius, propterea quia non sunt *Quod sunt.* Ille autem vt de se ait, *Ego Deus & non mutor*, scilicet quia Deus, non mutat, non peccat.

Secunda causa, cur Christus sine peccato, quia contemptor Lunæ, scilicet rerum sublunarium; quæ stulti mirantes variant vt Luna. Non postrema origo est peccati, dare se huic mundano Orbi volaci. Qui enim in hoc lubrico pedem fixerit, necesse habet lubricare. Dauid non tam imprecabatur, quam ostendebat, quid semel peccantibus soleat accidere. *Deus meus*, inquit, *pone illos vt rotam*, vel vt alij legunt, *tanquam Galgal*, quod significat, omne quicquid rotundum est, vel in rotundum torquetur & iactatur. Namque illi qui semel à Quadrato desciuerunt, in Galgal Orbis huius abeuntes, tanquam rota volutantur, vel tanquam trochus à pueris percussus hinc & inde in illud & aliud peccatum à Sathana impelluntur, & quasi torquentur. Extulit se Iesus super istum Orbem, & quicquid in ipso fuerat, magnitudine animi contempsit. Volebant Regem creare? Fugit & abscondit se à turbis. Magnificum prædicabant? Præcipie-

2. Quia supra Lunarias.

Expl. loc. Psal. 82.

cipiebat vt tacerent. Amplas opes Zachæi & alij Publicani præſentabant? Maluit inter pauperes mendicus egere, nec habere vbi caput reclinaret. Hæc rotæ exaltantis. Quid vero deprimentis? Edonem vocabant? contemnebat. Publicanorum amicum? exultabat. Velut Sacrilegum lapidare volebant? Furori eorum ſe clanculum ſubducebat. In ſumma. Tantopere ſe ſupra rotam attollentem & detollentem extulerat, vt quicquid alios vel eleuare, vel proſternere promptum erat, magno animo contemneret, calcaret, nihili haberet.

3. *Quia nō lunaris.* Tertia cauſa, cur Chriſtus ſine peccato, quia non variabat vt Luna carnalis, Carnem quidem noſtram aſſumere dignatus eſt, infirmitatibus humanis, non tamen peccatis hominum obnoxiam. Diſtinxit hoc Paulus, qui cum œconomiam ſalutis noſtræ prædicaret, non dixit quod in veritate carnis peccati, ſed quia in ſimilitudine carnis peccati, miſſus eſſet. Aliud eſt veritas carnis humanæ: & hanc in Chriſto confitemur. Aliud eſt veritas carnis peccati: & hanc in Chriſto non videmus. Aliud eſt ſimilitudo carnis peccati: & hanc in Chriſto pro noſtra Salute aſſumptam exoſculamur. Nam de illo vnico, qui ſolus eſt abſque peccato tanquam ſingulare memoratur.
Expl. loc. Rom. 8. Et Gal. 4. *Miſit Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati,* quia veram atque integram ſuſcipiens ſubſtantiam carnis humanæ, non ipſum peccatum in ea, ſed ſimilitudinem peccati ſuſcepiſſe credendus eſt.

Sed audiamus ipſum Abbatem Theonam, apud Caſſianum aſſerentem. Simi-
22. Colla. c.11. & 12. litudo enim non ad carnis veritatem, ſecundum prauum quorundam hæreticorum ſenſum, ſed ad peccati imaginem eſt referenda. Erat enim in ipſo vera quidem caro, ſed abſque peccato, ſimilis ſcilicet peccatrici. Illud ſiquidem ad humanæ ſubſtantiæ pertinet veritatem; hoc vero ad vitia refertur & mores. 1. Habebat ſimilitudinem carnis peccati, cum velut homo ignarus ac pro cibo ſollicitus percontaretur; *quot panes habetis?* Sed ſicuti peccato nequaquam caro illius, ita nec anima ignorantiæ ſubiacebat. Denique ſtatim Euangeliſta ſubiungit: *Hoc autem dicebat Ieſus tentans eum, ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.* 2. Habebat carnem ſimilem peccatrici, veluti ſitiens à Samaritana muliere poſceret potum? Sed non erat peccati ſorde polluta, quia è contrario mulier prouocata eſt, petere aquam viuam, quæ illam nunquam ſitire permitteret, ſed *fieret in ea fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* 3. Habebat carnis iſtius veritatem, cum dormiret in naui? Sed ne pariter nauigantes peccati ſimilitudine fallerentur, *Surgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* 4. Communi cum omnibus ſorte, peccato ſubditus videbatur, cum diceretur de ipſo; *Hic homo ſi eſſet Propheta, ſciret vtique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt?* Sed peccati non habuit veritatem, quia blaſphemam cogitationem arguens Phariſæi, ſtatim mulieris peccata dimiſit. 5. Peccatricem cum cæteris gerere putabatur carnem, cum velut homo in mortis diſcrimine diſtitutus, & imminentium ſuppliciorum terrore perculſus, oraret; *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* &, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem:* Sed peccati contagium neſciebat illa triſtitia, quia vitæ Author, mortem formidare non poterat. Ait enim: *Nemo tollit à me animam meam, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* In hoc ergo ille homo qui natus ex virgine eſt, magna à cunctis, qui ex vtriuſque ſexus commixtione producimur, diſtantia ſegregatur; quod cum omnes non ſimilitudinem ſed veritatem peccati in carne geſtemus, ille non veritatem ſed ſimilitudinem peccati, & veræ carnis aſſumptionem ſuſcepit.

Denique licet ſcriptum de eo in Iſaia Propheta Phariſæi apertiſſime meminiſſent. *quia peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius,* tamen ita ſimilitudine carnis peccati fallebantur, vt dicerent, *Ecce homo & vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Et ad illum qui illuminatus fuerat cæcū. *Da gloriā Deo,*

nos enim scimus, quia hic homo peccator est. & ad Pilatum: *Nisi esset hic homo peccator, non eum tradidissemus tibi.* Sed falso illi hæc scelera impingebant, qui tantum est vt non peccaret, vt etiam venerit *peccata dimittere, & opera Diaboli dissoluere.*

Magno solatio afficit hoc exemplum Christianos omnes innocentes, quorum integritatem Sathan conatur infamare. Huic enim nihil prius, nihil antiquius est quam splendori virtutum, tenebras aliquas offundere. Nescio an audistis aliquando quam Syluano Nazarethensi Episcopo notam inurere cogitauerit. Referam ad consolationem vestram. Diabolus cum Syluani integritatem peruertere nequiuisset, infamia dehonestare decreuit; & formam eius habitumque assimilans, matronam quandam noctu adijt, atque ad concubitum vrgere cœpit: Pudica mulier vim timens, domesticorum opem protinus inclamat, ille latebram sub lecto petijt, sed vt volebat, à concurrente familia iuuentus verberibusque & cotumelijs affectus, extra ædes eijcitur. Interim rerum inscius Syluanus, vbi mane tandem percepit, se à vulgo diffamari, & pro scelere quod ne cogitarat quidem, iam ad vindictam experi, furori cedere satius ducens prope Bethleem se contulit. Sed cum isti quoque viæ suæ insidiarentur, quidam ipsum ferire volentes, versis mucronibus ipsi sibi mortem consciuêre.

Syluanũ Nazarethe. quomodo Sathan diffamauit.

Post hæc cum ad tumulum D. Hieronymi, mulier dæmoniaca curationis gratia adducta esset, plurimique simul eo confluxissent, apparuit Hieronymus, & dæmoni vt ab ea exiẽs quibus præstigijs Nazarethanos aduersus Syluanum ludificasset, palam faceret, imperauit. Illico mulier conatur, & præsente Syluano Syluanus alter iuxta illam cernitur, qui rem ordine confessus disparuit. Sic vulgato miraculo cessauit Innocentis infamia, & versipellis impostoris astus apparuit, cui inueteratum, bonos probris afficere.

4\. *Quia Soli suo perpetuo addictus.*

Sed quartam causam produco, propter quam Christus non peccauit, quia Soli suo semper obaudiuit. Luna quamdiu sequax Solis, si quid inter eam, & Solem nõ interlabitur, semper irradiatur, à sidere, & pro modo sequelæ, modulum assequitur lucis. Christus autem quia semper suæ origini adhærescens Deo, & nec vel latum pilum ab eo discedens, ideo nunquam deliquit, sed pleno lumine fulsit. In crystallo Solis radijs obiecto, nullæ possunt esse tenebræ, quamdiu radio obijcitur. Humanitas autem assumpta à Christo, perpetuo obijciebatur lumini de lumine, & emanationi claritatis Omnipotentis Dei sinceræ, ideo tenebræ peccati nullæ vnquam in ea apparuerunt.

Peccatum est, dictum vel factum, vel cogitatum contra Diuinum præceptum. Christus autem venerat, non vt faceret voluntatem suam, sed eius qui illum miserat Patris, in tantum vt etiam mortẽ crucis subire præoptaret, quam vel in minimo repugnare sanctioni Diuinæ. Itaque non vllum in eo peccatum. Talem in spiritu præuidit Isaias Propheta, qui velut agnum mansuetum, & ouem mori promptam, Iesum pronunciauit futurum, dicens, *sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

Apud Ægyptios tam *ouis* quam *agnus*, innocentiæ hieroglyphica erant. Vnde & illud monitum est S. Cypriani, Meminisse, *inquit*, debemus quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet. *Oues* nominat, vt innocentia Christiana ouibus æquetur. *Agnos* vocat, vt Agnorum naturam simplicem, simplicitas mentis imitetur. Quod si Christiani à Christo, simplicitatem mentis, & morum innocuitatem, tanquam à magistro debent discere, quantam putamus illum simplicitatem morum præ se tulisse? quanta vitæ innocentia coram tot hostibus effulsisse, quibus etiam auderet dicere? *Quis ex vobis arguet me de peccato.*

Hierogl. innocentiæ, Agnus & ouis.

Vltimam adiungo causam innocentiæ Christi, plenitudinẽ gratiæ, ex qua siue vt viator, siue vt compræhensor, innocentissimus fuerat. Viatorem consideras? *In ipso habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Factum est ab ista plenitudine, vt sicut ferrum ignitum, quamdiu ignitum, non friget.

5\. *Quia pleno lumine illustris.*

friget: sic & ille igneæ charitatis incendio deflagrans, atq; in ipso Deo qui ignis consumens est, perpetuo perseuerans, nunquã charitate refriguerit, & ideo nunquam etiam peccauerit. Factum deinde est ab eadẽ plenitudine Diuinitatis, corporaliter in eo habitantis, vt sicuti radij Solares nunquam à Sole recidui, sed perpeti emanatione ab ipso & in ipsum recidui, ita etiam & anima Saluatoris, Sole Diuinitatis semel & semper ab instanti conceptionis radiata, & quasi ipso Sole, vt ita dixerim, incorporata, seu insolata, nunquam radium ocularem aliorsum reflexerit, sed semper in suum Solem aspexerit. Gloriabatur Iobus quod nunquam *lumen vultus sui cecidisset in terram.* An atomus aliquis huius lucis non aliquando in terram scintillarit, non disquiro, sed hoc propriũ Iesu innocentissimo assigno, quod lux vultus ipsius, siue qua viator, siue qua cõprehensor, nunquam respectauit terram, nunquam cogitauit terram, nunquam sordidatus est à terra, nunquam vel in minimo respersus est puluisculo terræ.

Ille qui serpit super terram, & qui terram omnibus diebus vitæ suæ comedit, quæsiuit, si quid terreum in eo reperiret: *sed in me,* vt ipse inquit, *non habet* quicquam. Ipsi etiam illi qui *statuerant oculos suos declinare in terram*, licet ei multam affingerent terræ glebam; tamen vel ipso iniquo iudice, innocens à terra pronũciatus est, cum dixit: *Ego nullam in eo inuenio causam.* Scrutetur ille qui Caluit omne honestum, in Christo aliquem næuum. Sed scio, quia scrutator Maiestatis excelsæ, oppressus iacet à gloria. Christus enim quia permanet cum Sole & ante Lunam, & quia Lunatum calceum gestabat; atq; Lunam pede premebat, scripsit sibi hoc elogium, *innocens manibus & mundo corde.*

Vtinam nos ad nostrum Archetypum aspicientes, istud omni ratione curemus, ne ille qui scrutatur Ierusalem, quicquam ad herescentium sordium inueniat in manibus nostris. Beatos nos, si innocuos manibus & puro corde repererit. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, quod nobis concedere digneris Iesu Christe, qui viuis æternum. Amen.

CONCIO II.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. cap.

Regis Christi excellentia innocens.



QVI Honori apud Romanos sacrificabant, ex ritu prisco, Aperto Capite faciebant. Significabant, Honorem Capiti deceri: sed retecto, & illustri, nec aliqua labe contaminato. Merito itaque Sacerdos noster Iesus, inter mystas honoris primatum tenet, quia Capite aperto non rugis exarato, non pappulis deformato, neque vlla sordente macula denigrato, sed illustri, candido, addo & rubicundo. inspiciebant hostes eius, Adorandum ipsius Verticem: nihil tamen peccati inuenire potuerunt. Nam totus erat *candidus, rubicundus, electus ex millibus.* Ab his coloribus Capitis Iesu, excellentiam eius innocentissimam, quantum potero, reuelabo. *Honoris mysta aperto capite sacrificabãt cur.*

Quam venustus fuerit Dauid, non reticuit scriptura, sed reuelauit. Cum enim Samueli prophetæ ostendisset filios alios Iesse, vt aliquem eorum vngeret Regem super Israëlem, nec vllus eorum dignus videretur Principatu, *misit & adduxit Dauidem natu minorem. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, & decora facie. & ait Dominus, surge, vnge eum, ipse est enim. Tulit autem Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius, & directus est spiritus Domini à die illa in Dauid & deinceps.* Tam venustam faciem noluit propterea Dauid, casside Saulis postmodum aut onerare, aut decolorare, cum pergeret contra Philistæum sternendum. Habetis itaque Dauidem inter fratres formosos formosissimum, qui omnes alios oris habitu totiusque corporis dignitate superabat, vt inter eos latere non posset. Animum tali cortice tectum, si cerneretis, videretis niuem sine fuco, & rosam pudore atque honestate suauiter rubentem: propter quas insignes dotes, meruit attollere caput, ad balsama Diuina, & ad diademata regia suscipienda, præ fratribus suis. *1. Reg. 16.* *Dauid typus Christi.*

Typum gessit filij Iesu, qui de radice Iesse tanquam caput stirpis, flos venustissimus apparuit, *candidus & rubicundus, electus ex millibus: insuper & oleo lætitiæ vnctus præ participibus suis.*

Candidus Dauid fuerat? sed magis candidus Iesus: qui *candor est lucis æternæ, & speculum sine macula,* & imago candoris.

1. *Qui candidus.*

Candidus, Hebræis scribitur, SAH, per Sin & Hed, & significat, clarū, serenum, purum, hoc est instar sudi Solis meridiani pulchrum, vt patet ex illo Isaiæ, *sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes & roris in die messis.* Symmachus vertit, λαμπρὸς, quasi dicas, præ candoris excellentia & albedinis congestione resplendens, vt niues solent in glaciem concretæ, & à Sole oriente illustratæ, emicare atq; scintillare

Isai.18.

Exsinuat se hic excellentia & innocentia Capitis Iesu, quod ille solus in terris, clarum, serenum, purum resplendens, scintillans, adnexum & eminens habuit. sed Quod est caput Iesu? Paulus ostendit: *Caput autem Christi Deus.* Deitas itaq; cum Iesum instar capitis ornet, nihil illo excellentius, nihil innocentius aut inueniri, aut cogitari potest. Cum enim audio Archangelum dicentem ad virginem. *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei,* & cum eodem reuelante conspicio, quia Spiritu sancto superueniente & virtute Altissimi obumbrante, natus fuerit Iesus, proculdubio Deum esse cognosco. Si enim ex Diuinitate genitus & ex Diuinitate conceptus? indubitanter est Dei filius. Si autem Dei filius, ergo indubitanter Deus. Si autem Deus, ergo Deitas in illo eminet. Si eminet in eo Deitas, itaque caput eius Deus. Nam & *Deus erat verbum, & verbum caro factum est,* & propterea *vidimus eum plenum gratiæ & veritatis, quasi vnigenitum à Patre.* Cum autē audis, *quasi,* intellige, qualem scilicet decebat & credibile erat habere vnigenitū, & dilectissimum omnium Regis Dei filium. Neque hoc loquendi genus præter morem inuenitur, vt explicat Chrysostomus. Neque recusabo à communi etiam consuetudine id confirmare. Nam qui regem aliquando pretiosissimo cultu ornatum, pretiosisque vndique fulgentem lapidibus conspicari, alij speciem illam ac maiestatem enarrare volunt, purpureum florem, gemmarum magnitudinem, auratos currus, diadema refulgens, sceptrum corruscans, solium oculos nimio fulgore perstringens, pro viribus enarrant. Cum vero & his, & alijs collectis cultum illum omnem, maiestatemque verbis compræhendisse sibi non videantur, continuo addunt: quid multis opus est? Vno verbo dicam, *quasi rex* cum hoc verbo, *quasi* non regi similem, sed ipsum regem velint significare. Ita in hoc loco Euangelista inquit, *quasi,* ad gloriæ maiestatem & incomparabilem excellentiam significandam. Reliqui enim omnes & Angeli & prophetæ iussi omnia operabantur, ipse autem ea potestate quæ & regem deceret, & Dominum. Quod quidem & turbæ admiratæ sunt, *quod ita loqueretur, quasi ipse vim* haberet & potestatem.

Ideoque innocens.

Hom.11. in Ioan.

Cur enim non faceret aut diceret, vtpote tanquam habens potestatem? Nam si Deus erat? omnis ergo in eo virtus, omnis potentia, omnis Diuinitas, omnis denique Diuinitatis ac maiestatis ipsius plenitudo cum eo atque in eo semper fuerunt, siue in cœlo, siue in terra, siue in vtero, siue in ortu, nihil vnquam Deo de Deo defuit. Semper enim cum Deo Deitas, non loco ab eo, non tempore vnquam separata; Vbique enim Deus totus, vbique perfectus, non diuisus, non demutatus, non imminutus est, quia nec addi vnquam Deo, nec detrahi quicquam potest. Sic enim imminutionem Deitatis non habet, sicut nec augmentum. Idem ergo in cœlis fuit, qui & in terris: idem in humilibus qui in excelsis: idem in hominibus exiguitate, qui in Dei maiestate. Et ideo bene Apostolus Christi gratiam nominans, *Dei gratiam* nominabat, quia Christus totum erat quod Deus, omnis in ipsa statim hominis conceptione Dei virtus, omnis Diuinitatis plenitudo. Sed præstat Diuum Paulum audire, quibus nominibus nuncupet Iesum Saluatorem propter Diuinitatem, secundum quam non

Christi nomina indicāt eius innocentiam.

non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo. Inprimis Corinthijs scribens, appellat, *Dei virtutem, & Dei Sapientiam.* Ephesijs autem nominat. *Caput Ecclesiæ.* Colossensibus vero; repositorium *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, in quo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter* & est *caput omnis principatus & potestatis expolians principatus & potestates, traducensque confidenter, & palam triumphans in semetipso, atque delens quod aduersus nos erat chirograpum decreti, donansque nobis omnia delicta.*

1. Cor. 1. Ephes. 5. Coloss. 3.

Ab hac Christi excellentia, manifesta esse Caluo deberet excellentia.

1. Dei est virtus Saluator? Itaque non lapsabat, lapsaret enim Deus, si Dei virtus lapsaret.

2. Dei sapientia est Christus? Itaque non errabat. Erraret enim Deus, si Dei sapientia erraret.

3. In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi? Itaque non à recto seducebatur. Si enim seduceretur, thesauro Dei impermixto, aliquid impurum admisceretur.

4. Christus antistat Ecclesiæ tanquam Caput eiusdem? Ecclesia, candore immaculato albet plusquam lilium, vtpote tota pulchra & immaculata? Itaque & Christus candidus atque immaculatus: imo longe magis candidus; nam non candidatus sed candidans, qui videlicet seipsum pro illa tradidit, vt exhiberet sibi gloriosam, non habentem rugam aut maculam aut huiusmodi; totam pulchram, totam formosam, totam lilium inter spinas.

5. In Christo habitabat plenitudo Diuinitatis corporaliter? ergo & lucis? ergo & veritatis? ergo & totius pulchritudinis? ergo & totius innocentiæ? ergo & immaculati candoris? ergo nullæ in eo tenebræ? ergo nulla fallens aut falsa falsitas? ergo nulla turpitudo? ergo nullæ maculæ? ergo nullum peccatum.

6. Christus Princeps Ecclesiæ, non huius tantum quæ in puluere terræ militat, sed etiam eius quæ in æthere cæli triumphat? Namque est *caput omnis principatus & potestatis*, Itaque magis quam Angeli eminens, & magis quam ipsi Cherubin & Seraphim candidus, qui ex millibus vnicus candor electus.

7. Christus donabat peccata. Syngraphas in cruce suo cruore delebat, inque eodem ligno, ex ligno eodem, regnabat Deus spolians principatus, traducens potestates, mortemque & mortis auctores palam triumphans in semetipso: & quod de Parente est scriptum, *tanquam vermiculus ligni tenerrimus, vno impetu occidens octingentos*, id est, innumeros Principes tenebrarum? quomodo ergo tunc peccaret cũ peccata delebat? quomodo pactum cum morte scriberet, qui iugulabat? quomodo desperaret, qui desperatos confidenter traducebat? quomodo Sathanæ succumberet: qui ipsos quoque Principatus triumphabat? quomodo timore gehennæ vulneraretur, qui potestates tunc configebat? quomodo absorberetur dolore, qui in Oceano sanguinis Pharaonem inferiorem demergebat? quomodo sicut ouis erraret, qui intestinum Draconis iniectus lancinabat? quomodo suum calcaneum serpenti denudaret, qui serpentem in cruce appensum spoliabat? Frustra Calue quæris, in Christi pede sordes. Calceatus enim ille Hyacintho. Frustra in manu. *Cornua enim in manibus illius, ibi abscondita erat fortitudo eius*, qua & mortem & Diabolum ventilabat. Insuper & septem stellæ, quibus omnes Principes tenebrarum percellebat. Frustra in veste. *Ablata enim ab Iesu vestimenta sordida*, nec vnquam ab eo induta. Frustra in capite. Nam caput eius SAH, & capilli eius SAH, *candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.* Frustra in oculis, qui *tanquam flamma ignis* deflagrant, & nec vel stipulam admittunt. Frustra in facie, quæ *sicut Sol lucebat in virtute sua.* Frustra in pectore, cinctum enim auro obrizo. Frustra in ore, gladium vomit acutum. Frustra in corpore. Amictum byssino podere. Frustra in SAH candido, totus siquidem est *candor lucis æternæ & speculum sine macula, & emanatio claritatis omnipotentis Dei sincera, & imago bonitatis illius*, Sed ad ruborem.

Zach. 3. Apoc. 1.

Indum sanguineo veluti violauerit ostro.

Si quis

Si quis ebur, vel mista rubent vbi lilia multa
Alba rosa.

Talis vultu & capillo Dauid, rubet, & pulcher aspectu, decoraque facie. Talis & eius filius, *candidus & rubicundus.* Sunt qui dicant Solem constare ex antiqua & primitiua luce, quæ primo die condita, & igne qui postea factus, & in æthere interceptus. Constet, non constet iste Sol visibilis. Noster Iesus Sol oriens, lux est æterna, de luce æterna ab ęterno candicans, igni etiam ex thuribulo aureo, cum tempore, de temporanea matre subrubens. Deus enim semper fuit, *vt ait Theodoretus*, factus autem est homo; non dimittens id quod erat, sed addens quod non erat; non cõuersus in hominẽ, sed assumens seu induens hominem. Candidus Deus, quia Deus lucem habitat inaccessibilem, pulchritudo eius nullis oculis corporeis adspici, nullis comprehendi potest: candor enim eius disgregat visum. Sed rubicundus est, quia talis caro, propter quam habet speciẽ alteri inconcessibilem, pulchritudo ipsius, nullis coloribus depingi, nullis pigmentis adumbrari potest. *Speciosus est forma præ filijs hominum*: Ipse, *vt ex Gilleberto addam*, etsi non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; de sanguine tamen matris natus est, & nihil in eo ruboris illius, de quo ait Isaias, *si fuerint peccata vestra sicut vermiculus, sicut lana albæ erunt.* Non sibi conueniunt, non se patiuntur, lanæ albedo, & rubedo vermiculi. Aliud est quidam rubor, qui inuenitur simul cum candore in vestimento Iesu. *Quare,* inquit Isaias, rubrum est vestimentum tuum? Vestimẽtum Domini Iesu natura virgineæ generationis, candens munditia, & innocentia sanctitatis, multo decentius colore passionis voluntariæ, in credentium rubet affectibus. Qualis rubor, qui dealbandi non caret effectu? *Lauerunt*, inquit, *stolas suas, & candidas fecerunt in sanguine agni.* Rubor hic in Iesu meo, candorem inuenit, non fecit: in nobis facit, non inuenit. Candet mihi Iesus à Diuinitate, *ipse enim lux est, & tenebræ in eo non sunt vlla.* Rubet idem ille à charitate. *Deus enim ignis est, & ignem venit mittere in terram.* Sicut serenandi, ita & succendendi potestatem habet. Ex his a Gilleberto dictis habeo, magna documenta innocentiæ Christi. 1. Quia enim rubet carne, non à voluntate viri, carnis, aut sanguinis, sed *à mystico spiramine*; ideo facile conijcio, in eodem rubore enectum esse Pharaonem illum, qui homines in peccatis natos, ad omne scelus impellit. Itaque ex hinc habeo, Iesum in quo fomes extinctus peccati, nullo vnquam peccati næuo contaminatum fuisse. 2. Quia rubet Christus, de sanguine matris sed virginis; ideo, credo, in illum ruborem nullam potestatem accepisse aut habuisse illum, cui nonnisi in ruborem corruptum à rubore corrupto traductũ permissum est exercere potestatem. 3. Quia rubet Christus, rubore flammantis Diuinitatis; ideo admiror & veneror rubum istum adustum neque exustum, flagrantissima æstuantem Diuinitate, neque vllo vnquam aut frigore, aut tepore, vel rigentem vel tepentem. 4. Quia rubet Christus igne charitatis; ideo nullum in eo video esse timorem, nullamque timoris subolem desperationem. Falsus Caluinus, qui in camino charitatis flagrantissimæ glaciem quærit. Falsus qui in rubo ignito, serpentes quærit. Falsus qui in terra virgine, dracones quærit. Falsus qui in terra medica, venena quęrit. Falsus, qui in Iesu rubicundo nigrorem quærit. Falsus qui in capite aurato, scorias quærit. Falsus qui in auro Ophaz, plumbum inquirit.

Capuț Dauidis vnctum præ fratribus, à qua vnctione directus est spiritus Domini à die illa in ipsum. Caput etiam Iesu vnctum. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, à qua præcelsa vnctione capitis, *diffusa erat gratia in labijs* ipsius, diffusa & in vestimentis, *Myrrha & gutta, & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus te delectauerunt filiæ regum in honore tuo.* Ab hac vnctione, myrrha mortificationis, quæ arceret corruptelam. Ab hoc vnguine, gutta balsameæ castitatis, quæ prohiberet putorem. Ab hoc oleo, cassia moderationis, quæ stagna-

2. Christus rubicundus, ideo innocens.

Apoc. 7.

Rubor charitatis in Christo.

3. Christus præunctus & ideo innocens.

stagnaret fluorem. Ab ista eadem vnctione omnis gratia, quæ omnem exhiberet virtutem. In tanto virtutum odore, quomodo fætor peccati? In tanta affluentia gratiarum, quomodo putores flagitiorum? Hæc rosa rubicunda, non admittebat scarabæum. Ab hoc oleo moriebantur muscæ. Odorem istum non poterant ferre serpentes quin diffugerent.

4. Christus coronatus & ideo innocens.

Caput Dauidis ornatum diademate. Video etiam Regem Iesum in diademate Regio, Regem Regum, & Dominum Dominantium, ipsas potestates aëreas sub iugum mittentem. Huic enim inprimis dictum, *Conteret caput tuum.* Si itaque nunquam ad eum attulit caput lernæum monstrum? nunquam itaque peccauit. Fatetur religiosior quam Caluinus Mahumed, cum aperte dicit: *Nemo est ex filijs Adam quem non tangat Sathan præter Iesum & Matrem Iesu.* Vah Calue, qui honorem caluis Christi.

Vindex blasphemia, in Iuliano, & quodam Hebræo.

Tam illustri capite cum Iesus fuerit, non poterat inter illustres honoris, nisi primo loco esse, qui audenter diceret. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Huic honori Regis qui obtrectarunt vnquam, male accepti semper fuerunt à Rege Regum maiestatem suam vindicante. In exemplum sufficiat Iulianus Imperator, qui propter blasphemias in Iesum prolatas, scitis quam atroces pænas luit? Suscepto aduersus Persas bello, cum in ipso prælio ab incognito inter costas læthale vulnus accepisset, sanguine suo manum replebat, & in cælum iaculatus, vel inuitus fatebatur. Vicisti Galilæe; exple iram tuam Galilæe. Quo verbo repetito, ab eo esse interfectum aperte confessus est. Ita expletum est cuiusdam sancti dictum, ad eiusdem Satrapam, interrogantem, *Quid nam opere nunc Galilæus faceret? Loculum,* inquit, *parat Iuliano blasphematori.* Sed huic se adiungit Iudæus quidam, qui sub Pelagio Pontifice, imaginem Saluatoris de Ecclesia furtim sublatam telo transfixit, eamque clam domum deferens, cum vellet flammis exurere, se sanguine imaginis cruentatum videns stupore eam abscondit. Quam Christiani requirentes, & per vestigia sanguinis sanguinolentam receperunt, Iudæumque lapidarunt. Ita Christus caput suum spinis coronatum, sed potentia æque vt innocentia redimitum, extulit contra sacrilegos.

Caligula statuas decapitabat.

Vtinam & nos secundum analogiam tales. Sed video nobis tale quidpiam fieri, quale olim factum statuis, quibus capita demebantur & alia imponebantur. In Suetonio lego quendam, *statuæ Augusti caput demsisse, vt alterius imponeret.* Caligulam etiam scio, *simulacra numinum tota Græcia conquisiuisse, quibus capite dempto filij imponeret.* Rhodijs familiare erat, *statuas, in aliam formam capiti & titulis permutatis* surdo figurarum discrimine, variare. Vereor ne & nos nobis simile aliquid faciamus, dum sceleribus nos obscuramus, & aliud quam Christianum caput nobis affingimus. Oro ne facite & quod Octauianus quondam fecit, hoc facturum Christum existimate. Apud Mediolanenses reppererat ille statuam Bruti, & *Quid vos?* inquit. *Inimici nostri estis? & hostes meos apud vos habetis?* Illi timidi, nec gnari, quo accusatio spectaret, negare & mutuo sese intueri. Cæsar autem ostensa statua, *Nonne hic ille est meus hostis?* Cauete ne Iesus tale caput aliquod inter vos reperiat, quod non sit amicum, quodque sit à statuario Dæmone impositum. Intelligitis? Attendite vt dicatis potius, nemo me arguet de peccato. Si non arguet, neque Deus arguet, sed assimiles sibi innocentes respiciet, suscipiet, inunget, inaugurabit, Amen.

CONCIO III.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. cap.

.Christus ... vnctus & ideo innocens.

Sacerdotis Christi excellentia innocentissima.



On temere Sacerdotem Malachias nuncupauit Angelum, & Domini, & exercituum. Angelus

gelus eo quod cãdori immaculato adsistit, intaminatum se seruat. Immaculatus quoque candor in Sacerdote requiritur, qui Deo eidẽ ministrat. Angelus, quia in ministerium missus est propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, nihil sibi ex officio delinquendum arbitratur, pariter idem diligentia in Sacerdote exigitur, ne quippiam omittat, quod ad vtilitatem exercituum Domini facere videtur. Vtrumque Christus Magni Consilij Angelus abunde præstitit; & officium proximo, & innocentiam Deo. Ab officij vigilantia, non infiiciatur se esse Samaritanum. Ab innocentię integritate, negat se Dęmonium, aut à Dęmonio cõceptum peccatũ habere. *Ego*, inquit, *Dæmonium nõ habeo, & quis ex vobis arguet me de peccato?* De ista Sacerdotis Iesu excellentia innocentissima, mihi hodiernus sermo.

Sacerdos est Angelus.

Et regia & Sacerdotali excellentia, insignis futurus erat Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech Regis & Sacerdotis. Propter regalem excellentiam, in qua Honori aperto capite litauit erat innocens: sed non minus, propter Sacerdotij eminentiam, in qua Diuinis, mitrato vertice sacrificauit pronunciabitur innocens, 1. à Thyara, 2. ab vnguine, 3. à veste.

II Christus mitratus aurea tyara humanitatis expend. loc. Exod. 32.

Ostendo à Thyara innocentiam Christi Sacerdotis. Per Thyaram humanitatem intelligo. Nam vt illa tegumentum est capitis, sic & humanitas velamentum erat Diuinitatis. Thyara Pontificis Aaron *cum coronulis suis, erat facta opere textili ex bysso.* Significabat humanitatem Saluatoris nostri, factam opere Spiritus sancti in vtero Diuæ Deiparæ, ex ipsius innocentissimo sanguine. Textoriam istam innuit descensus eius in vellus: & deinde cooperatio virginea, quæ quæ fuit ex se Spiritui sancto, *lanam, & linum, & operata est consilio manuũ suarum*, mitram decoris, & opus fortitudinis. Nihil ibi adiunxit Ioseph, nihil alius homo, ipsa & tegmen & subtegmen, de suis visceribus ministrauit, intexendæ fasciæ, quæ caput DEI verbi aureum operiret.

Thyara Aaronis, ornata erat lamina aurea, nomine Tetragrammo exarata. Namque *fecerunt, & laminam Sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario Sanctum Domini, & strinxerunt eam cũ mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi.* Significabat humanitatem Saluatoris nostri Iesu, signatam fuisse signaculo primogenituræ Domini. Namque ipse est *primogenitus in multis fratribus*, de quo dictum est. *Omne quod aperit vterum, Sanctum Domino vocabitur*, de quo etiam Angelus Iosepho. *Quod in ea natum est*, inquit, *de Spiritu Sancto est. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ecce virgo in vtero habebit & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Ligatum est hoc Sanctum Domini mytræ byssinę, *vitta hyacinthina*, scilicet vnione hipostatica, qua post vnitatem Trinitatis, nulla maior in Orbe vinculatio. Gratiam vnionis hipostaticæ, vocat D. Augustinus, istud humanitatis cum Diuinitate vinclum. In rebus, inquit, per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in vnitate personæ coniunctus est Deo. Vocatur autem gratia, quia gratis absque vllis meritis, natura illa humana, in vnitatem suppositi Diuini assumpta est, quod idem Augustinus docet.

Ideoque impeccabil.

Quid, inquit, natura humana in homine Christo, meruit vt in vnitatem personæ vnici filij, Dei singulariter esset assumpta? quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium? quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, vt vna fieret persona cum Deo? Gratia Dei factum est, id quod factum est, vt ipse Dei filius indueret hominem.

Ab hoc nodo Gordio, quo Thyara humanitatis Assumptæ, ligata erat vitta hyacinthina vnionis hypostaticæ, prouenicbat, vt nulla macula vnquam contaminari, nulla sorde sordidari posset. Indicat puritatem immaculatam humanitatis Christi, Thyara illa, quam

in typum huius iussit imponere Iosedecho, vt est in Zacharia Propheta, *Ponite*, inquit, *cidarim mundam super caput eius: & posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus: & Angelus Domini stabat.* Non alius quam Gabriel, qui expectabat assensum Virginis, vt diceret illud optatum, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Statim enim, vt locuta est, mitra honoris immaculati indita est Sacerdoti Iesu, neq; originario peccato temerata, neq; fomite concupiscentiæ fermentata, neq; succedaneo flagitio propter vnionem cum Deo violata.

Zach. 3.

2. *Christus vnctus oleo speciali, ideoque impeccabilis.*

Accedit vnctio peculiaris, propter quam innocens Christus Sacerdos. Fateor vnxit Deus Aaronem oleo speciali: tamen ille, non immunis à peccato propter illud vnguen. Vnxit Christum Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis: & statim ille nulli obnoxius peccato.

Fingunt Orphici quendam Pharaonem portitorem, cum Venerem transuexisset, ab ea vnguentum accepisse, quo delibutus, factus est hominum pulcherrimus. Docebant, hoc Symbolo, hominem cui aliquando contigisset, sapientiæ cælestis amore deflagrare, ab ea Venere Diuina modos accipere, quibus se virtutum pigmentis exornaret. Ab hac enim, vera innocentiæ pulchritudo. Inter mortales autem, nullus præ Iesu Diuino hoc amore magis plenus: euenit itaque vt nullus magis vnctus.

Vnctionem intelligo gratiarum. Nam *vidimus eum plenum gratia & veritatis,* Duplex huius periodi intellectus est Origeni. Potest enim, inquit, de humanitate ac Diuinitate verbi accipi, ita vt plenitudo gratiæ referatur ad humanitatem, plenitudo veritatis ad Diuinitatem. Verbum quippe incarnatum Dominus noster Iesus Christus plenitudinem gratiæ secundum humanitatem accepit, quoniam caput est Ecclesiæ & primogenitus est creaturæ vniuersæ, hoc est totius vniuersaliter humanitatis quæ in ipso, & per ipsum sanata & restituta est. In Christo dico, quoniam maximum, & principale exemplum gratiæ, qua nullis præcedentibus meritis homo efficitur Deus, ipse est & in ipso primordialiter manifestatum est. Per ipsum vero quoniam de plenitudine Diuinitatis eius nos omnes accepimus gratiam Deificationis, per gratiam fidei qua in eum credimus, & actionem qua mandata eius custodimus.

Potest etiam plenitudo gratiæ Christi de Spiritu sancto intelligi. Spiritus namque sanctus, quoniam distributor est, & operator donationum gratiæ, gratia solet appellari: cuius spiritus septiformis operatio humanitatem Christi impleuit, & in quo requieuit, sicut ait Proheta *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientia, & intellectus spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Plenitudo ergo vtraque in eo gratiæ: scilicet & Deificationis, & Sanctificationis. Deificationis dico, quia homo & Deus in vnitatem vnius substantiæ adunati sunt. Sanctificationis vero, quia non solum de Spiritu sancto conceptus, verum etiam plenitudine donationum eius repletus est, & veluti in summitate mystici Ecclesiæ candelabri, gratiarum lampades in ipso & de ipso fulserunt. *Isa. 11.*

Addo ex Cyrillo. Si quis sanctorum multitudinem consideret, & singulorum mirifice gesta enumeret, non negabit gratia Dei illos plenos fuisse gloriam tamen & gratiam filij longe absque comparatione sublimiorem videbit. *Non enim mensura sibi datur vt cateris,* nec deforis accedit, sed vt in perfecto perfecta substantialiter inest, à patre naturaliter habita. Accedit quod sancti veluti vernæ in domo sunt; filius autem in domo sua versatur. Angelos suos facit spiritus, missos in ministerium propter capaces salutis; filio autem dicit, *Thronus tuus Deus in seculum seculi sede à dextris meis.* Moyses quo nullus maior inter antiquos, *fidelis erat in tota domo eius, sed tanquam famulus;* Christus vero tanquam filius in domo sua.

Ioannes quo nullus sanctior inter natos mulierum, repletus Spiritu sancto adhuc ex vtero matris suæ. Tamen tanquam riuus, hic tanquam Oceanus. Apostoli repleti eodem flamine, tanquam flumina quæ lætificant Ciuitatem Dei, qui tanquam mare inexhaustum. Diua Deipara, & ipsa quoque super omnes Cælites, gratia plena, non tamen supra suum Solem, à quo deriuatum Lumen. Amicta illa Sole? sed à Sole. Plena Luna? sed à redundante. Ipse autem plenus, quo nullus magis plenus.

3. Christus speciali veste amictus, & ideo impeccabilis.

A capitis vnctione, deriuabatur balsamum in barbam, barbam Aaron, & postea in oram vestimenti ipsius, sicut ros Hermon; qui descendit in montem Syon. Typus erat inundantis vnguinis charismatum, quod à gratiæ balsamo deriuabatur in fimbrias vestimentorum, scilicet in varij coloris fimbriatas virtutes Iesu. Vt enim à splendore candelæ, mirifici illi colores radiati resultant; vt à Sole varijformes radij scintillantes erumpunt; sic à plenitudine gratiæ sanctificationis, & Deificationis, in Christo, varia textura virtutum & multifarij radij textiles procedebant. Eminebat candor virginitatis, purpura charitatis, rubor verecundiæ, cyanum contemplationis, viror temperantiæ, fuscedo albicans humilitatis: & quis alias virtutum tincturas numeraret?

Et licet propter albicantem fuscedinem humilitatis videretur non tantum hominibus, sed etiam ipsis genijs quadantenus sordidatus, ita vt etiam vnus ex eis, vt vidit Zacharias, *staret à dextris eius, vt aduersaretur ei*; vt vero Matthæus retulit, ausus fuerit tentare illum, tamen nihil profecit tentatione sua. Nec enim quicquam potuit de suo afflatu putido, illi affingere. Hinc habeo plenum documentum, innocentiæ Christi, & ab vnctione gratiæ & à deriuatione virtutum, quod ex Pauli assertione, per Abbatem Theonam explicatum produco.

Ita Paulus ad Hebræos, *Non habemus,* inquit, *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem; er omnia pro similitudine, absque peccato.* Hac, *inquit Theonas*, sola ab omnibus nobis exceptione distinguitur, quia nos non absque peccato, illum sine peccato, constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum, quamuis fortis ac bellator sit, hostilibus tamen telis plerumque non pateat? Quis velut impenetrabili carne circundatus, tantis præliorum periculis, sine periculo misceatur? Ille autem solus *speciosus forma præ filijs hominum*, conditionem mortis humanæ cum vniuersa carnis fragilitate suscipiens, nullius vnquam sordis maculatus est attactu. 1. Tentatus est enim, secundum similitudinem nostram, gastrimargiæ primum vitio, vt ille callidus ei serpens eo ordine quo Adam ante seduxerat, esurienti, escæ desiderio, conaretur illudere: *Si filius* inquiens, *Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Sed nullum recipiens ex hac tentatione peccatum; cum ei facultas indubitata suppeteret, respuit cibum quem ei deceptionis artifex ingerebat, dicens; *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* 2. Tentatus est etiam cenodoxia secundum similitudinem nostram, cum ei dictum est; *Si Filius Dei es, mitte te deorsum.* Sed subdola diaboli suggestione, captus non est, & vanissimum seductorem, etiam scripturarum, obiectione confutans, *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum.* 3. Tentatus est etiam tumore superbiæ secundum similitudinem nostram, cum ei à Diabolo promitterentur omnia regna mundi & gloria eorum. Sed irrisa atque obiurgata est nequitia tentatoris. Respondit enim ei. *Vade retro Sathanas: scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* 4. Rursum, tentatus est superbia, secundum similitudinem nostram, vt idem insidiarum artifex regnum, quod ab ipso oblatum ante respuerat, per homines moliretur ei, ingerere. Sed absque peccato, insidias tentatoris irrisit, *Cum enim cognouisset Iesus quod venturè*

Coll. 28. c. 9. & 10. expl. lec. Heb. 4. Christus quomodo tentatus.

Matth. 16.

turi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus, 5. Tentatus eſt ſecundum ſimilitudinem noſtram, cum verberatus flagris, cum palmis cæſus, cum ſputorum horrore reſperſus eſt, cum ad extremum pertulit Crucis exquiſita ſupplicia: Sed nullis vnquam non dicam contumelijs, verum ne ſupplicijs quidem ad tumorem vel leuiſſimæ indignationis impulſus eſt, quia in patibulo conſtitutus miſericorditer proclamauit: ***Pater ignoſce eis, non enim ſciunt quid faciunt.*** 6. Tentatus eſt ſecundum ſimilitudinem noſtram, cum clauis confoſſus, opprobrijs ſaturatus, felle & aceto potatus, inuitaretur, *vt deſcenderet de cruce*, ſeque deponi iuberet. Sed non præualuit malignus. Stetit ille infractus ad contumelias, immotus ad cruciamenta, vſque dum veniret hora, qua vellet conſummare omnia, & Patri ſuo animam tradere in manus. Vno verbo, *Tentatus eſt per omnia, pro noſtra ſimilitudine, abſque peccato tamen*: quod & propter mitram honoris, & propter vnguem gratiarum, & propter varietatem polymitam virtutum, nunquam admiſit, ſed nec cogitauit.

Iactent alij coronas de lapide pretioſo; noſter Ieſus pretioſiore mitra coronatus, tam ſingularitate quam excellentia virtutum. *Pontifex impollutus, innocens ſegregatus à peccatoribus.* Vt interim ſileam; quod excellentior cælis factus eſt, infirmitatibus noſtris potens compati cui gratia diffuſa in labijs, miſericordia in viſceribus, virtus in manibus: conuerſatione ſingularis, ſermone communis, prudentia admiranda in reſponſis, vita incotaminata in factis, Aſtris non auro redimitus, Sole non polymita amictus, gratia & chariſmatibus, non oleo aliquo redundans. Verius de illo quam de Simone Oniæ poſſumus dicere. *Sacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, qui adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ & quaſi Luna plena in diebus ſuis, & quaſi Sol refulgens ſic iſte effulſit in domo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ, & quaſi thus redolens in diebus æſtatis.* Sic Ieſus odorem ſparſit, candidauit, erubuit, irradiauit, in conſpectu gentis. Nemo vt eſſet qui auderet illud de peccato arguere.

Par illius Sacerdotis eſt innocentia, cum potentia. Potentia plane Diuina; innocentia quoque plane Diuina. Potentiæ dabo argumentum inſigne, vt ex hac aſſurgat Caluus ad reuerentiam innocentiæ ipſius. Vaſa ſacrata Sacerdotij Chriſti manu prophana diripuerat ex quodam templo Iulianus Apoſtata. His inſidens. Felix quidam ex Aula, atque irridens Ecce inquit *qualibus vaſis Mariæ filius Diuina re peragenda colitur.* Statim potentiam ſacerdotis noſtri perſenſit, rupta enim vna ex interioribus venis maxima, tanquam per fiſtulam ſanguinem & amimam ſimul per os emiſit. Huius autem Iulianus auunculus, altare noſtri Pontificis permingens, expertus eſt potentiam eiuſdem in hunc modum, viſceribus atque extis putredine corroſis, excrementa non iam per naturalia vim expellendi obtinentia membra egerebat: Verum os ſceleſtum quod blaſphemiæ & male dictorum effecerat inſtrumentum, pars obſcæna corporis per quam excerneret eſt factum. Pudenda ipſa, & qui circa ea ſunt meatus corrupti itidem ſunt, caroque in eis partibus putrefacta in vermes abijt, & morbus ipſe medicorum arte longe fuit potentior. Cum enim vermes euocarent, illi in membris occultioribus, ad carnem viuam magis magiſque prorepſere; neque corrodere hominem deſtitere, donec violenta morte miſerum enecarunt. Sic Chriſtus Pontifex vltus eſt ſe de hoſte contumelioſo & blaſphemo.

Iniurias ſuo Sacerdotio quomodo puniuit Chriſtus Niceph. li. 10. cap. 28. & 29.

Concludo cum Gilleberto.

Vos eſtis corona Chriſti & gaudium: qui purioris eſtis vitæ, & exercitio virtutum inſtructi, & indefeſſi diſciplinæ ſtudio. Iure enim diadematis cenſentur nomine, qui & ſerpentis caput idem conterunt, & Chriſti exornant. Ideo ſi qui

capistis, sic state in Domino. Imo si potestis capite Dominum. Sublimis locus est. Nihil illic vilioris afferre materiæ.

Nihil fœni, nihil ligni, nihil stipularum, in Domini velitis diademate attexere. Nihil denique quod ignem mereatur, vel vereatur. *Spina peccatorum composta* igne comburantur. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris eos, qui spineam capiti regis coronam imposuerunt. Tale diadema non honorem, sed horrorem adducit. Horret Christus magis asperitatem morum, linguæ stimulos, quam aculeos spinarum. Si puritate byssina caput eius ornaueritis, si vnguine bonæ conuersationis ipsum imbueritis, si polymita virtutum ipsum amicieritis, tunc & vos Regale Sacerdotium illi dilectum, in perpetuum Amen.

DOMINICA PALMARVM.

Inuenietis asinam & pullum cum ea. Matth. 2. cap.

CONCIO I.

De transformatione hominum in iumenta.

Homo inter omnia sublunaria mirabilis.



INter omnia sublunaria, nihil est magis admirandum, quam homo. Spectandus est, quod sit rationis capax, beatitudinis particeps, imagine Dei insignis interpres naturæ, hymenæus mundi, Dominus omnium creaturarum. hæc enim omnia magnifica quæ homini contigerunt; paulo minus eum ab Angelis inferiorem, superiorem tamen sublunaribus reddiderunt. Iam illud quam admirandum est homini concessum quod factus sit arbitrarius, honorariusque sui plastes? Habet enim potestatem in quam voluerit formam se transformandi: in lapidem videlicet, plantam, animal, brutum, Angelum, Deum denique ipsum, iuxta illud. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hinc Chaldæi dicunt. Cum cætera omnia habeant determinatas formas, solus homo nullam habet effigiem propriam, sed extrarias & aduentitias plurimas, prout affectu adhæserit alicui dilecto. Non mirum si per asinam & pullum Patres sancti intelligant populos, fors ideo quia comparati fuerant *iumentis insipientibus, & similes illis facti fuerant.* De hac transformatione hominum in iumenta, hodierna dissertatio.

Propter facultatem abeundi in diuersa quæ vult.

Psaltes cum hominis statum inuestigaret, admirandæ naturæ illum esse te statuseft dicens. *Omnis homo viuens, in imagine pertransit, sed & frustra conturbatur.* Reuocate hic in memoriam parentum nostrorum incunabula, quod eos Deus fecerit *ad imaginem & similitudinem suam.* Imaginem quidem naturæ perpetuo hærentem esse voluit: cæterum similitudinem suam illi inditam, reliquit in manu eius consilij. Si vellet, retineret: sin abnueret, aliam dissimilem per peccatum obduceret. Iam intelligitis quid sit à Psalte dictum, *in imagine pertransit homo,* scilicet prælucente, nec vllis notis obliterata Dei imagine, in homine pro arbitrio voluntatis transit homo, ad acquirendam similitudinem nouam, & si quidem rationis imperio paret, Angelicam, si Dei voluntati obtemperat, Diuinam; si vero Deo & ratione neglecta, passionibus obsequens ea quæ brutorum sunt consectatur, brutalem, feralem.

Etiam in iumenta & belluas.

In hac imagine pertransierunt illi quos Diuina scriptura nomine belluarum agnominat. Nam lego Pharaonem Aegyptium, *leonem & draconem* esse nuncupatum à Deo, per Ezechielem. Iacobus etiam Patriarcha, alios catulorum, alios leænæ, alios ceruorum & asinorum, alios colubri nomine ex filijs appellasse memoratur. *Catulus,* inquit *leonis Iuda, accubuisti vt leo & quasi leæna: Isachar asinus fortis: Nephtalim ceruus emissus: Dan coluber in via.* De alijs vero edicit Propheta. *Facti sunt,* ait, *immundi sicut ea quæ dilexerunt.*

Antiqui, *Venereo pedi pelypum supponebant,* eo significato, vt indicarent, amantes pro

tes pro varietate dilectorum varias suscipere similitudines. Vt enim polypus ab his quibus adhæsit, mutuatur colores; sic amans à cupitis, vt ille à viridi viret, à rubeo punicat, à terreo nigrescit; sic & homo à Dei amore, Deus; ab Angeli consuetudine, cælestis; ab eorum vero quæ propria brutis, brutū euadit, vt renunciat Propheta dicens, *comparatus iumentis insipientibus, & similis factus illis.* Audiamus Boëtium, quid de hac transitione senserit. Vide, *inquit*, quæ improbos pœna comitetur. Omne quod sit, vnum est & bonum, quicquid igitur à bono deficit, esse desistit, quo fit vt mali esse desinant quod fuerunt. Sed fuisse homines adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat, quare versi in malitiam, humanam quoque amisêre naturam. Sed cum vltra hominem quemque prouehere sola probitas possit; necesse est vt quos ab humana conditione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur, vt quem transformatum vitijs videas, hominem existimare non possis. Alienorum violentus raptor, feruet auaritia? similem lupis dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigijs exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus fraudibus subripuisse gaudet? Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Ceruis similis habeatur. Leuis ac inconstans studia permutat? nihil ab auibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordida suis voluptate detinetur. Si segnis ac stupidus torpet? Asinum viuit.

Hæc Philosophus disseruit, de transmutatione hominum in iumenta. Nos autem succussemus adhuc asinum, & videamus qua ratione transeant homines in asinos, ideoque in deteriorem partem. Namq; asinus contemptibile animal, pro deterrimo omnium habebatur, vnde manauit prouerbium in viles, qui ab hominis dignitate degenerant. *Asinus Ægyptius.* Erat enim mos Ægyptijs, vt odientes asinum ludibrijs omnibus incesserent, luto cespitibusque passim impetitum, contis etiam stimularent, & qua se locus offerret opportunus, præcipites agerent. Talis est fere omnis, qui à virtute deflexit, & nonnemini se flagitio mancipauit. Sed ad asinos.

Etiam in asinum, idque si in deteriorem partem.

I. Asinus stolidum animal, & quo stolidius nullum. Qui itaque hominum à solertia indita ad stoliditatem declinabit, in asinum proculdubio abibit. Apud Aegyptios certe, inter notas stolidorum *Asclicipitem* pingebant. Poëtæ vero, hominem ignaua opera, *Asinum ad lyram*; nuncupabant. Vlysses autem apud Gryllum Plutarcheum, cum bruta reliqua ratione aliqua vti fateretur, *Asinum vnicum* ab omni rationis vsu priuum dicens, in homines qui per ebrietatem vel ingluuiem, eodem vsu rationis destituti viuunt, perbelle lusit.

2. Asinus immodica luxuria feruet, & quo petulantius animal nullum. Iraque recte Plato dicebat, *homines qui fœdis concupiscentijs manus dedissent, ventrique deditis per inertiam atque lasciuiam inglor iam inutilemque egissent vitam, neque quicquam pensi, pudorisue habuissent, in asinos deijci.* *In fædro.*

3. Asinus omnium animalium inuerecundissimus est, quod calcibus omnes indifferenter excipiat. Non iniuria itaque Xenophon de se confitebatur. *Eo,* inquam, *tempore si quem iniuria vllo genere lacessiui, non possum non confiteri, vel asinis me, qui esse dicuntur omnium quadrupedum inuerecundissimi, inuerecundiorem fuisse.*

4. Asinus sordens & putens. Qui itaque computruerunt velut iumenta in stercoribus suis, non immerito asini possunt vocari. Nam & Diogenes, cum olim Athenis lucente die, face accensa per plateas inambularet, atque rogaretur, *quem quæreret*, & ille responderet, *Homines*, ipsi vero rogarent, *Nonne tantopere inuenisti hominem Athenis*? intulit: *Non. Isti enim homines non sunt, sed bestiæ.* Rursus altero die, clamasset, *Heus homines*? conuenissentque plurimi, virga illos agebat dicens. *Homines, non iumenta vocaui.*

Asinum Aegyptij ab omnibus sacris

eris arcebant, non propter imperitiam, salacitatem, aut contumeliosam eius naturam tantum, verum etiam propter colorem ex albo nigroque confucatum: quem tanquam à Deorum sacrificijs alienum abominabantur. Si quis igitur, quod est in Scriptura prohibitum, *ex lana & lino contexta veste amicietur*, scilicet, si quis Curios simulabit & Bacchanalia viuet. Si quæ Susannam mentietur, cum sit Thais, si quis ouem assimulabit, & vapido in pectore seruabit vulpem, talis in variantem colores asinum declinabit.

Vereor ne & inter nos quampluri-mi tales, qui in imagine Diuina, pertransierunt, ad similitudinem iumentorum. Quod D. Chrysostomus olim quærebatur in suis, hoc ego etiamnum vobis possum improperare. Vnde vos homines cognoscam? Vnde non iumenta dicam? Nec enim si homo es, inquit Chrysostomus, possum euidenter agnoscere quando vt asinus calcitras, vt taurus superbis, libidine incensus hinnis vt equus, in epulis vrsorum imitaris voratum, simultate refers camelum, lupum rapina; cum mordeas vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias, cum subdole insidieris vt vulpes, cumque veneno malignitatis, armeris vt coluber & vipera; cum denique quasi Diabolus ipse aduersus fratres crudelia bella suscipias, quonam vnquam modo in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens humanæ signa naturæ? Quid enim te appellare abeo? 1. Feram? Sed illæ vno aliquo horum vitio tenentur, tu vero simul in te omnia colligendo, ferarum irrationale stultumq; longe transgrederis. An Diabolum te potius appellem? Sed ille nec pecunias concupiscit, nec tyrannidi ventris obsequitur, nec Dæmonem sui generis persequitur. Cum igitur plura in te vitia sint, quam in bestijs atque dæmonibus, responde obsecro. Vnde te possum iure merito fidelem vocare? Nam si hominem non possum, quomodo fidelem nuncupabo? 2. Et bestiæ quidem quamquam naturaliter sæuiant, si humana tamen arte palpentur, plerumque mansuescunt, tu autem qui illarum profecto naturalem feritatem, in eam quæ contra naturam est mansuetudinem sæpe commutas, tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ est inimica conuertis, cumque naturaliter feram ad mansuetudinem trahis, te naturaliter mansuetum, in ferarum rabiem natura repugnante perducis? 3. Et cætera quidem iumenta hominum imitantur facta; simiæ rident, se vestiunt, lauant, expoliunt; sagacitatem, & artificium hominis canes imitantur, homo autem sui luctus sempiterni, dedecoris, nuditatis, turpitudinis, socordiæ & ignauiæ causa est, & quod adhuc longe deterrimum est, quod cum omnium vitiorum squalore deturpemur, & in variorum brutorum degeneremus similitudines, nec intelligimus quidem animæ nostræ fæditatem, nec eius deforme prorsus cognoscimus. Verificatur itaq; etiam de nobis. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis*, Infelices! quibus placet dignitatis natiuæ obliuisci, & deuenustata imagine Diuinitatis pulcherrima, in similitudinem asininam transire, atque in stercoribus putrescere. *Psal. 48.*

Cæterum si vos tanta libido habet, in asinos transeundi, age, docebo vos, quid ex asino discentes, Christophori, & Theophori euadere possitis. Namq; vt in alijs animantibus non omnia vitiosa, sed etiam aliqua propria laude digna aspicio, in leone fortitudinem, in ciconia amorem parentum, in serpente prudentiam, in formica prouidentiam, sic & in asino nonnulla imitanda. Itaque si placet in similitudinem asini abire, Vade ad asinum ô stulte (ita enim lubet dicere, nam & sapiens iusserat cuidam. *Vade ad formicam ô piger*) & postquam Deũ dedignaris Doctorem, suscipe asinum informatorem. Namque & ille ad Pædonomiam, non ineptus. Docuit Balamum Prophetam, quid tu refugis formatorem? Apud secretiores Hebræorum Theologos, vt

Pierius

Pierius coniecit, asinus est sapientiç symbolum: cuius quoq; ideam constituunt SAPHIROTH. Cur itaq; tu disciplinam ab eo recuses? Sed explicabo.

Si vero in bonā partē.

Asinus paruo contentus, modica herba victitat; cum vero bibit, non totum os aquis immergit, sed instar puellæ verecundioris sorbet. Si vis in asinum demutari? parsimoniam disce, crapulam & ebrietatem caue. Venter pinguis, non gignit sensum tenuem, obæsum corpus non facile intrabit cælum.

1. *Parsimonia.*

Asinus auritus, propter acrem auditum, quo inter cætera animalia præstat. Si vis in asinum abire, auritus esto non linguatus. Præstat audire, bona? quæ amplectaris, mala? quæ detesteris, vt detesteris.

2. *Audientia.*

Asinus obsequens, ita vocem agasonis exaudit, vt ad eius nutum, & incedat, & subsistat. Esto etiam tu, vt Dauid qui aiebat, *Vt iumentum factus sum apud te, semper tecum; Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Esto etiam vt ille alter, qui ad Deum inquiebat. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego retrorsum non abij neq; contradixi.* Quidam ex Patribus anachoretis, iuniori consilium dederat, dignum quod à nobis omnibus audiatur? *Si vis*, inquit, *perfectus esse, fac in animum tuum inducas, te & asellum monasterij vnum atque idem esse.* Sicut enim actus ille, non quo vult pergit, sed quo sessor impulerit, si decet nos esse apud Deum.

3. *Obediētia.*

Psal. 72.

Psal. 48.

Asinis inest quædam sagacitas, ad se exonerandos. Ferebat quidam Sal per medium flumen, & cum casu impegisset, clythelasque Sale impletas immersisset, euadens ex flumine cum cerneret Sal defluere, seque onere degrauari; altero die flumen traijciens, sponte se aquis immergebat. Si quis vestrum onere peccati prægrauatum se esse intelligit, asinum imitetur, cumque sciat in profluuio lachrymarum, & in labro pænitentiæ onera ista deponi, ne cunctetur.

4. *Sagacitas.*

Asinis vsque ad stuporem mira inest patientia. Famem siquidem, flagra, & virgas contumaciter ferunt. Docet homines patiētiam, vt quicquid aduersi acciderit eis, puta, fames, nuditas, ignominia, infamia, cruces, gladij, ignes, mortes, sint infracti *tanquam mons Sion, qui non commouebitur in æternum.*

5. *Patientia.*

Alius simplex, atque animo paruus, nullum fit discrimen inter carduum & lactucam, & æq; vt sordes sic & munditiem contemnit. Docet hominem animo esse simplici; attamen magno. Illo quidem ad hoc vt nihil mali cogitet alteri; isto vero ad hoc vt contemnat omnem contemptum.

6. *Simplicitas.*

Asinus bile caret, vt cum omni animantium genere, pacem sibi perpetuam constituerit. Docet homines, *pacem habere cum omnibus.* Namque Saluator tales dixit beatos qui pacifici, quia filij Dei vocabuntur.

7. *Mãsuetudo.*

Asinus erat Louanij apud FF. Prædicatores, vt ex relatione fide dignorum audiui, oneribus ferendis destinatus, qui ob consuetudinem aliquam in prouerbium apud Belgas abijt, vt homines cautos. *Prædicatorum asinum*, appellaret. Id iumentum in consuetudine habuit, vt quoties illi aqua esset transeunda, licet contis vrgeretur, nunquam tamen prius transire volebat, antequam famulus vadum prætentasset, atque præiuisset.

8. *Cautela.*

O vtinam nos nostrum agasonem Sathanam deferentes, asinum hunc imitaremur. In stygias paludes ille nos agit infelices, curandum esset, vt præeuntem, qui in Lætheo flumine totus demersus ignibus ardet, non sequeremur. Sed hoc sessore decusso, alij animas nostras supponeremus. Obsessos horretis qui à Sathana aguntur. Magis vosipsos horrere deberetis, quos in peius idem ipse impellit.

Si igitur placet vobis degenerare in iumenta, Theophori, & Christophori estote, portantes imaginem cælestis Iesu in cordibus vestris, qui nos traducit ad pascua felicitatis æternæ. Amen.



CONCIO II.

Ecce Rex tuus venit tibi. &c.
Matth. 21. cap.

Regnum Christi quale?

ALexander Macedo, quod ferocem Bucephalum domuisset: iussus erat, *sibi alia quærere Imperia.* Non mirum, præstantissima enim illa indole, eam spem de se Patri Philippo faciebat, vt potis esset quamuis efferas gentes sub iugum mittere. Saluator autem noster, quod mansuetum asellum insedisset, & humilitatis indicia tam demissa ostendisset, visus quoque est, alia Regna ambire. Nam & turba promiscua, & infantes innocui, Regem illum ab hoc equitatu salutant, dicentes. *Hosanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in altissimis; hoc autē totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis.* Regem itaque habemus Christum. Sed cuius Regni? Istud inquiremus.

Placet propter radiores repetere, quod Curtius de M. Alexandro reliquit. Is Bucephalum equum insignem à patre nuperrime emptum, quum à nullo subigi posset, vt equitem pateretur, primus indomitæ peruicaciæ domandæ rationē ostendit. Mox enim præter opinionem omnium, quadrupedem ascendit, ac citro vltroque effusis aperto campo habenis, ad lassitudinem agitauit. Quam in filio indolem vigoremque exosculatus Philippus, oculis vndantibus & cordis lætitiam aspergentibus aspiciens, dixit. *Alud tibi regnum quæras fili. Nam te Macedonia non capit.* Hæc quidem de Alexādro. Cæterum longe insigniora sunt, quę & Zacharias præuidit, & Euangelista narrauit, de Iesu Rege, quod is non Bucephalo, sed asello, non empto sed libere abducto, non feroci sed mansueto, laxatis habenis ad mortem processisset, scilicet implendæ Prophetiæ, testandi dominij, atque demonstrandæ clementiæ causa. Magna hæc mysteria, non reuelo, sed exinde aspicio, Christum longe alia regna quęsiuisse & obtinuisse, quam quęsiuerit, obtinuerit, & breui reliquerit Alexander.

Philippi ad Alexandrum edictum

Frustra hic terrenum aliquod regnum respectat Hebræus: frustra numerat Prouincias, gentes, populos sub Principatum talē, quali alia regna definita. Thronus Christi sicut Sol. vespertilio & noctua quæ vesperam mundi expectat, non vult intueri istud Imperium, quod omnia superat Imperia. Sed quo? 1. Amplitudine. 2. Duratione. 3. potestate. 4. fortitudine. 5. institutis. 6. opibus. 7. vtilitate. 8. nobilitate.

Superat inprimis amplitudine, omnia alia Imperia, Regnum Messiæ. Nam non vna vrbe, sed toto orbe: non vna gente sed quotquot sunt sub Sole, diffusa est Ecclesia. Nec de isto pluribus quęrendum, vt ostendit Tertullianus, cum retro omnes Prophetæ de eo præcinuerint, vt Isaias dicit, *Sic dicit Dominus Christo meo Domino, cuius tenui dexteram, vt exaudiant illum gentes, fortitudines regum disrumpam: aperiam ante illum portas, & Ciuitates non claudentur illi.* Hoc autem ipsum adimpletum videmus. Cui enim dexteram tenet Pater Deus, nisi Christo filio suo? Quem exaudierunt omnes gentes, i. cui omnes gentes crediderunt? Cuius & Prædicatores Apostoli in Psalmis Dauid ostenduntur, *in vniuersa*, inquit, *terra exijt sonus eorum, & vsque ad terminos terræ verba eorum.* Nisi Christi? In quem enim alium vniuersę gentes crediderunt, nisi in Christum qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderūt. *Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam, Armeniā, Phrygiam, Cappadociam incolentes Pontum & Asiam, Pāphyliam immorantes, Ægyptum & Regionē Aphricæ quæ est trans Cyrenē inhabitātes.* Romani & incolę tūc in Hierusalem Iudæi, & cæterę gētes, vt iā Getulorū varietates, & Maurorū multi fines Hispaniarū oēs termini, & Galliarū diuersę nationes, & Britannorū inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, & Sar-

Regnū Christi præstat alijs.

1. Amplitudine.

mathæ

mathatum & Dracorum & Germanorũ & Scytarum & abditatũ multarum gentiũ, & Prouinciarũ ac insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen qui iam venit regnat, vtpote ante quem omnium Ciuitatũ portæ sunt apertæ, & cui nullæ sunt clausæ: ante quem serræ ferreæ sunt cõminutæ, & valuæ æreæ sunt apertæ. Salomon regnauit: sed in finibus Iudææ tantum, à Bersabeæ vsque Dan termini regni eius signantur. Babyloniis & Parthis regnauit Darius: sed non habuit potestatem vlterius, vltra fines regni sui, nec in omnibus gentibus habuit potestatem. Si Aegyptiis Pharao, vel quisque ei in hæreditate regni successit, illic tantum potitus est regni sui Dominium. Si Nabuchodonosor cum suis regulis ab India vsque Aethiopiam, habuit tamen regni sui terminos. Si Alexander Macedo: nunquam Asiam vniuersam & cęteras regiones posteaquam deuicerat, tenuit. Si Germani adhucvsq; limites trãsgredi non sinuntur. Britanniæ: intra Oceani ambitũ conclusæ sunt. Maurorum gens & Getulorum barbaries à Ro. obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Romani legionum suarum præsidiis, imperium suum muniebant, nec trãs istas gentes porrigere vires regni sui potuerunt. Christi aũt regnum & nomen vbique porrigitur, vbiq; creditur, ab omnibus gentibus colitur, vbique regnat, vbiq; adoratur, omnibus vbiq; tribuitur æqualiter, non regis apud illum maior gratia, non Barbari alicuius imperiosi lęcitia, non dignitatum, aut natalium cuiusque discreta merita, omnibus ęqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus & Dominus est. Huic enim Deus Pater dixit. Quære tibi alia regna, omnia regna, *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuã terminos terræ. Gẽtes*, dixit, non gentẽ. Itaq; hęreditatẽ Christi apud Lutherum, Caluiũ, & Mẽnonem non video, quorum Cupidinea tyrannis, vna gente lustrica conclusa putet. Dixit *possessionẽ Christi terminos terræ*. Itaque hæreditatem Christi apud Romanam Catholicam & Apostolicã agnosco, cuius imperiũ à mari ad mare, & à flumine vsq; ad terminos Orbis terrarum: & cuius *Thronus sicut Sol*, quo Sol exoritur & radios eiaculatur.

Superat deinde regnum Messiæ, omnia alia imperia, *duratione*. Aliis sua periodus à tribus Diuinis digitis pręscripta, vltra quam non possunt perennare. Regno autem Christi, quod eiusdem tribus digitis conseruatur, nulla ætas præfinita. *Thronus eius sicut Sol, & sicut Luna perfecta, & sicut testis in cælo fidelis in æternum*. Huic enim soli promissum est. *Super solium*, inquit, *Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia, amodo & vsq; in sempiternum*. Porro in eodẽ capite, cum promittit Deus, quia Emanuelis *multiplicabitur imperium*, annosam multiplicationem intelligit, quod scilicet vt O mem litera, non habet exitum, sic & illud finem non habebit. Iam Ecclesia Christi Catholica Romana, numerat sexdecim sæcula, & sperat adhuc æternare. Nam Archangelus nuntians Mariæ pronuntiauit. *Et regni eius non erit finis*.

2. *Duratione.*

Isa. 9.

Superat postmodum Regnum Messię alia regna, *potestate*. Alii reges in corporalia tantum imperium exercent, istud regnum & animas quoque in censu habet. Edicebat enim Pater Deus, filio regi. *Reges eos in virga ferrea*, non scilicet illa dura & dira tyrannica, sed in illa de qua Paulus ait: quæ *penetrabilior est omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem spiritus & animæ, & medullarum*, quę tamen *virga directionis regni* Christi, tam est potens, tanquam *malleus conterens petras*, duros scilicet & diros quoscunq; emolliens ad pietatem.

3. potestate.

Heb. 4.

Producam vnum potestatis eius indicium, ex imagine crucifixi vindicata, quam nefastus quidam temerauerat. Budæ Pannoniæ vrbe, duo aleatores ita conuenerãt, vt alter in Dei nomine, alter in nomine diaboli luderet. Qui

narratio de Buden aleatore terribilis.

Deum nequitiæ fautorem faciebat, pecunias omnes, ipsas quoq; vestes amisit, intempesta nocte desperabundus per cæmiterium iter facit. Ibi Saluatoris crucifixi imaginem conspicatus, ira & furore plenus, saxum arreptum fronti violenter illisit. Miraculose igitur saxum in vulnere hæsit, & copiosus sanguis profluxit. Cæmiterio vicinus habitabat lanius senex podagricus. Is per quietem vocem incertam audit, surgeret, & cultro proximum sibi quemuis obuium factum confoderet. Quam vocem cum tertio iteratum, multis cum minis instantem audiuisset, parere decreuit. Itaq; cum prius ne mouere quidem sese posset, impigre surgens, laniario cultro arrepto, in cæmiterium descendens aleatorem infelicem furibundum sibi obuiam factum cultro confodit. Hoc patrato facinore, iudicis ædes accedens, aditum & colloquium postulat. Iudex non credere, sed phantasma dæmonis arbitrari. Tandem admissus, somnium & cædem indicat. Cum iam illuxisset, ad cæmiterium conueniunt, cadauer circumstant. Interim dæmones cum terribili vlulatu in sublime raptum cadauer, ex hominum conspectu abstulerunt. Sic Rex manus potentiam suam exeruit, contra sacrilegum aleatorem, quem & cum corpore sempiternis ignibus damnauit.

4. *Fortitudine.* Superat denique Regnum Messiæ alia regna, *fortitudine*. Portæ enim inferi, non præualebunt aduersus Ecclesiam, supra solidam petram fundatam. Ita promittebat Deus apud Danielem: *Suscitabit*, inquit, *Deus cæli regnū quod in æternū nō dissipabitur, & regnū eius alteri populo nō tradetur, cōminuet aūt & consumet vniuersa regna hæc, & ipsū stabit in æternū.* (*Dan. 8.*)

Eandem eius fortitudinē adumbrabat lapis ille *excisus de monte sine manib.* qui statuā quæ quatuor Orbis Monarchiarum typum gerebat, solo æquauit. Ipse autem excreuit in montē eternantem, & totum terrarum Orbē occupantem. In eius lateribus exacuebat tyrānus ferrū, & hebetatū est. Linguam, Philosophus & hæreticus exercebat? & vel euulsa, vel percussa est. Vt tyrannos omittā & Gentilium Sophistas: recense quis vnquam hæreticorum, non dira morte extinctus? Simon Magus dum volare contendit, orationibus Principis Apostolorum deiectus, propter quod contra Ecclesiam surrexisset, extinctus est. Manichæus à Rege Persarū excoriatus est. Montanus, Theodotus & Prophetissæ eorū seipsos laqueis suspenderunt. Donatistæ dum canibus Eucharistiam proijcerēt, ab ijsdem canibus lacerati obierunt. Arrius cum intestinis animam effudit. Valens Arrianus, viuus à Gotthis etiam Arrianis exustus est. Iulianus Apostata à milite inuisibili confossus est. Nestorio vermes linguam præmorderunt. Hunericum itidem vermes toto corpore scaturientes cōsumpserunt. Athanasium Imperatorem Eutychianorum fautorem fulmen extinxit. Iconomachos Constātinopolitanos, pestis sustulit. Lutherus & Oecolampadius apoplexia, Caluinus phtyriasi, Seruetus ignibus, Suinglius gladio, Carolostadius à Dæmonio interijt. Aliorum memoria perijt cum sonitu, Ecclesia vero quam sibi tanquam signum ad sagittam destinarant, de illis triumphans perseuerat in æternum.

5. *Institutis.* Porro si etiam instituta ipsius, institutis aliorum regnorum componis, superat. Namque leges ipsius non ab aliquo homine errone, sed à diuino spiritu, sed à Legislatore verbo, sed à spiritu sancto afflatis hominibus sancitæ. *Lex Domini immaculata conuertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* (*Psal. 18.*) Vnde & iure merito regnum cælorum non terrenum, nuncupatur Ecclesia, quod scilicet institutionum illius ratio, tota est à cælo, tota ad cælum, tota ad cælestes homines, vtpote à cælestibus dictata.

6. *Opibus.* Opes Regni Christi in Ecclesia si scrutaris: omnes gazas Persias, omnesque thesauros, omnium quotquot vnquam fuerunt Regum superat opibus auro charitatis, argento innocentiæ, vnionibus puritatis, lapidibus virtutum

tatum, omni denique eo quod in pretio ponunt homines cœlestes, fide, fideique donarijs potestate eijciendi dæmones, curandi infirmitates, prophetia, dono linguarum, interpretatione sermonum, acumine scientiæ, solutione peccatorum & quis alia numeraret, quæ Spiritus sanctus distribuit, in vtilitatem Ecclesiæ? Hæc autem vtilitas tanta est incolis regni Christi, vt nullibi maiorem, nullibi ampliorem, nullibi minoris constantem habeant regnicolæ, quam in regno Christi. Vis vtilitates corporis? gratis? sine dispendio? Febriat socrus Simonis? vno verbo gratis à Christo curatur. Torpeat paralysi Pribislauia? vna oratione gratis à Diuo Hyacintho sanatur. Cæcos gemellos ducat ad eum aliqua Mater? Vno verbo perluminabit Hyacinthus. Decussus aliquis moriatur? Vnica prece, gratis suscitabit vel Stanislaus. Quouis incommodo, vel morbo, vel Dæmonio, vel denique morte elidatur quispiam? Vna vnica obsecratione recreabit Diua Virgo Deipara, aut Lauretana, aut Claromontana, aut Hallensis, aut Aspricollen. aut alibi locorum pia religione culta. Gratis autem recreabit, citra dolorem recreabit, citra medicas tormentationes recreabit. Si denique vis quæ vtilia menti? in Ecclesia Christi regeneratio in Dei filios, vnctio in athletas contra Dæmones, absolutio à peccatis, edulium corporis & sanguinis Christi, benedictio nuptialis, dignitas excellens Sacerdotij, denique & illud vltimum munimentum ad iter æternitatis necessarium. Quantæ vtilitates? gratuitæ tamen. Nihil hic emitur. *Iussit. Gratis accepistis, gratis date.* Nihil hic habes, *quod non accepisti.*

7. Vtilitate.

8. Nobilitate.

Superat ad extremum Christi Regnum, omnia alia mundi Regna, Nobilitate. Namque in eo nullus seruus, nullus manceps, sed omnes liberi: *qua libertate nos Christus donauit.* Vereor tamen ne aliquis hic intersit ex grege Porci, quos longe ante Theonas Abbas

Lutherana libertatis descrptio & euersio.

digito monstrauit, quod, *inquit*, nonnulli audientes, & consiliorum atque exhortationum Christi magnificentiam negligentes, ita præsumptiuæ libertatis seueritate soluuntur, vt non solum Christi præcepta tanquam ardua non attingant, verum etiam ipsa illa quæ illis incipientibus paruulisque Mosaica lege mandata sunt, velut antiquata contemnant; illud quod Apostulus execratur noxia libertate dicentes, *Peccabimus quia non sumus sub lege, sed sub gratia.* Attendant tales, quia qui nec sub gratia est, eo quod nequaquam ad Dominicæ doctrinæ culmen ascendit; nec sub lege, quia etiam ipsa illa paruula legis mandata non suscipit, hic duplici peccatorum oppressus imperio, ob hoc solum gratiam Christi se percepisse credit, vt per noxiam libertatem ab eo fieret alienus, in illud incidens, quod Apostolus Petrus ne incurramus enunciat; *Quasi liberi,* inquit, *agite, & non quasi velammentum habentes malitiæ libertatem.* Beatus quoque Apostolus Paulus, renunciat in quam libertatem vocati simus. *Vos enim,* inquit, *in libertatem vocati estis, fratres,* id est, vt absoluti sitis à dominatione peccati, *tantum ne libertatem detis in occisionem carnis,* id est, frustrationem legalium mādatorum credatis esse licentiam vitiorum. Sed de his alias dictum. Hoc aio in præsenti. In regno Christi omnes quotquot censentur, Filij Dei, Ciues Sanctorum, & Domestici Dei nuncupantur. *Dedit enim potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Paulus vero enunciabat omnibus, *Iam,* inquit, *non estis hospites & aduenæ, sed estis Ciues sanctorum & Domestici Dei.* Nec tantum Ciues, sed & Iudices Orbis. Vt Christus promittit, *Qui,* inquit, *secuti estis me, sedebitis super thronos duodecim.* Nec Iudices tantum, sed insuper & Reges Cælestes. *Fecisti nos,* vt confitentur Cælites, *Deo nostro regnū & Sacerdotes.* Vides quomodo Epulo à Lazaro guttam aquæ poscit? Vides quomodo quem contempsit, Fratribus Doctorem

1. Pet. 2.

Ephes. 2.

rem optat? audis quomodo Paulus gloriatur, & inquit, *Angelos iudicabimus*? Vides *millia millium Cælitum qui empti sunt de terra ad cælum*? Tales & nos futuri sumus, si Regi nostro fideles in modico fuerimus, si à fide non exciderimus si spartam nactam ornauerimus. Veniet enim ille & dicet: Serue bone intra in gaudium Domini tui, ex hoc regno in terris amplissimo, ad illud in cælis illustrissimum. Amen.

1. Cor. 4.

CONCIO III.

Ecce Rex tuus venit tibi. &c. Matth. 21. cap.

Regimen Christi quale?

IEhu in Regem Israëlis ab Elisæo inuncto, vt est in historia Regum, *festinauerunt principes exercitus, & vnusquisque pallium suum posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt; Regnauit Iehu.* Talis namque fuerat ritus inaugurationis & renunciationis Principum, non tantum Iudæ, sed & aliorum. Nam apud Plutarchum lego, Vticenses, Catoni iuniori substernentes in via qua pergebat vestes, & Neapolitanos Pompeio obuiam procedentes, terram qua ituribat, floribus inspergentes, vestes quoque itidem supponentes, atque manus eius osculantes. Potiori iure & ramos oliuarum, & flores hortorum, & vestimenta virorum substernebant in via, Christo Ierosolymam pergenti. Ille etenim præstantior Rex erat, à stirpe, ab vnctione, à regendi ratione, de qua mihi sola, hodiernus sermo.

4. Reg. 9.

Dictioni meæ præmitto, ea quæ Seneca docuit Reges. *Illius demum magnitudo stabilis fundataque est*, inquit, *quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur, quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficum sidus certatim aduolāt.*

Duo munera regia exigebat in Rege Seneca; *Curam & Clementiam*, si aliquis cupit Rex, non Tyrannus salutari. Curam autem rei, non priuatæ sed Publicæ, Salutis deinde, non item priuatæ sed Publicæ. Non est rex ille sed Tyrannus, qui corradit vt habeat; qui armatur vt saluetur; ipse vnicus, non singuli, non vniuersi Ciues. Quærebat Plutarchus, cur Homerus Agamemnonem regem, nuncupauerit, *Pastorem populorum?* Respondebat postea. Nonne quoniam, quemadmodum pastorem oportet curare, vt saluæ sint oues, ac habeant vnde viuant, sic etiam Imperatorem curare necesse est, vt populus & exercitus saluus sit, illudque perficiat cuius rei gratia militat? Militant vero vt hostibus superatis feliciores ipsi sint. Cur namque laudasset ita Agamemnonem atque vtrumque eum appellasset, regemque bonum, militemque robustum: Nisi quod probet illum esse militem fortem, qui non solum aduersus hostes fortiter luctetur, sed omni etiam exercitui huius causa sit. Regemque bonum, qui non solum bene regeret se, sed illis quos regat, felicitatis causa sit. Rex namque eligitur, non vt suijpsius causam agat, & curam habeat, sed vt per ipsum qui eum elegerunt, in felicitate degant.

Regum duo munera, Cura & Clemētia.

Rex pastor populorum dicitur.

Ex ista doctrina elicio, quod Rex Curam inprimis debet habere populi, ne nimijs tributis exhauriat illum, ne pro rege, vocetur, *Populiuorus.* Faciebat & docebat exemplo Tyberius Cæsar, cuius illud est apophtegma. *Boni*, inquit, *pastoris est, tondere pecus non deglubere.* Faciebat & docebat Alexāder Macedo, cui cum quidam ex numero amicorum, qui summe beneuoli videbantur, diceret, *Ciuitates subiectas maiore posse tributa pendere*, respondit. *Oliterem odi, qui radicitus euellit olera.* Faciebat & Darius Xerxis Pater. Quum enim tributa imponeret subditis, proceres Prouinciarum euocatos interrogabat, *An ea essent*

1. Cura ne tributis exhauriat populum.

essent grauia? quumque responderent esse *mediocria*, dimidium eius quod proposuerat singulos pendere iubebat.

Impius ille Gabalus, qui rapacissimum quemque ærario præficiebat, *spongiam* vocans, vel *sanguisugam*. Improbus & Roboã, qui supra vectigal impositum à Patre, decuplum auxit. Laudatus hac in parte Constantinus Chlorus, qui amicis admonentibus quod in augendo fisco videretur indiligentior; respondit, *publicas opes rectius à priuatis haberi, quam intra vnum claustrum reseruari. Bonus enim princeps qui magis à suis diligitur, quam timetur, habet quicquid Ciues possidet.* Probauit reipsa hoc quod dixit. Cum enim à Diocletiano Patre legati venissent, tantam auri & argenti copiam attulerunt, Ciues in momento, vt ijdem vehementissime mirarentur. Prima itaque regis cura est, ne populum exactionibus deglubat.

Non exhausit Christus.

Non depilauit Rex Iesus aliquem suorum, qui dum viueret, non habuit vbi caput reclinaret. Si calicem aquæ, à Samaritana accepit, reddidit fontem aquæ viuæ salientis in vitam æternam. Si panem in domo Matthæ vel Simonis aliquando comedit; compensauit pane vitæ verbi sui, ex quo illos reficiebat. Si denique in paupere oberrans, vel in Ecclesia refulgens, habuit, vel habet à fidelibus: centuplo reddere solet, neque hic tantum in præsenti, sed magis in altero Regno.

2. Cura ne quid desit populo.

Curam alteram habet Rex de populo, ne quippiam illi deficiat. Scita est repræsentatio eiusdem quem retuli Agamemnonis à Pylade, quam denarro. Pylades histrio Neruæ Cocceo maxime gratus, qui primus vetustum & inconditum saltandi morem, decora nouitate permutasse traditur, discipulum habuit Hylam nomine, quem cum vsque ad æmulationis studium erudijsset, & iam sedulo, vt sæpe iusteque redarguens, spectante Pop. Romano se adhuc Superiorem approbaret. Saltabat Hylas canticum Agamemnonis sublimis regis. Hanc magnitudinem atque altitudinem, Hylas sese attolens dilatansque, velut corpore metuendo repræsentabat. Non abstinuit Pylades, sed ex ipso consessu spectantium exclamans increpauit, *Tu longum & inflatum facis, non magnum.* Coactus ergo à populo, idem canticum Pylades ipse cantauit, cumque ad id quod in altero reprehenderat peruenisset, non sese extulit, non effudit, sed contraxit, finxitque meditantem. Doctè quidem & prudenter, quoniam nihil magis magno duci conuenire censuit, quam quam pro subditis cogitare; nec aliter commodius magnitudinem eius exprimi. Nam hoc est munus proprie regium, prouidere, omnemque laborem suscipere, vt populus abundet. Vt minime quidem Nauclerus contristatur laboribus in mari; minime etiam agricola operibus circa agriculturam, minime quoque venator, quem oportet venatione laborare, tametsi vehementer periculosa sit nauigatio, & laboriosa agricultura atque venatio: sic neque rex debet respuere laborem, & molestias, populorum gratia, neque in hac parte peius se viuere existimet, si ipsum multa sustinere negotia oporteat. Videat Solem, nullo Deorum minorem, non contristari, quod hominum salutis & victus gratia, perpetuo transigat, quæcunque agit. Facit ille & discernit horas, auget & nutrit omnia animantia, suppeditat pulcherrimum & suauissimum spectaculum, nempe lucem, ex qua cæterorum bonorum, imo & ipsius vitæ vtilitas, & hæc omnia non grauatur gratis impartiri. Cum itaque id sit Rex in regno, quod Sol in Orbe, decet illum cura omnium quotquot sunt in regno. Laudatus Pharao Aegyptius, qui prouidentia Iosephi vsus, famem squalentem à populo depulit. Laudatus Ioram, qui in dira obscœnaque fame, cum ne à suis quidem partubus mulieres abstinerent fame adactæ, rei atrocitate domesticaque clade suorum percussus, scidit sibi vestes à pectore, regium nomen pertæsus, publicè testatus multo impen-

impensius se dolere, quod Ciuitas hostibus circumsessa inedia conficeretur, quam quod ipse cum suo regno periclitaretur.

Laudatus apud Romanos Nerua Coccejus, qui Ciuibus Rom. cum in summa forent egestate, non tantum agros ad subleuandam penuriam distribuit, sed vestes suas proprias, vasa argentea atque aurea, reliquamque supellectilem omnem diuendidit, atque alijs summa beneuolentia erogauit.

Laudatus & Adrianus Cæsar, qui in Senatu frequenter dicebat, *Se sic gesturum Principatum, vt sciret rem populi esse non suam priuatam*: Nimirum attigit hoc, quod vnum distinguit regem à tyranno.

Nihil deest in regno Christi timentibus eū. Laudatus & Iesus rex noster, qui ita rem suam, non vt suam, sed vt nostram semper curabat. Vere natus & datus nobis, & adueniens nobis, in nostram non aliquam suam vtilitatem. Dum in terris versaretur quot millia populorum pane multiplicato non recreauit? quibus fluenta eloquij suauissimi non instillauit? quos male habentes, manu medica non subleuauit? quem à dæmonio obsessum non eliberauit? quot mortuos non reddidit vitæ? In summa: omnia quæcunque detulerat secum aut etiam assumpserat, omnia populis donauit. Insuper & carnem suam & sanguinem in edulium, & porrexit discipulis, & reliquit credentibus.

Efferant Romani Porcium Catonem, quod eius Consulatu, lacte pluisset: Regnante Iesu Nazaræno, pane, cibo, medicina, vita, luce, veritate, fauo, & melle cœlesti, insuper & thesauro incomparabili stillabat. Glorientur Hebræi de Moyse, quod eis panem cœli impetrasset, Iesus Rex Nazaræpus non manna putrescens, sed panem de cœlo viuum & verum ministrauit.

3. *Cura salutis pub.* Tertia cura incumbit Regi, Salutis publicæ, quæ ei præstantior debet esse, priuata salute. Eam reges curant, vel à bello vexationem redimentes, vel bellum pro subditis suscipientes, vel denique seipsos pro ijsdem deuouentes. Laudatus inter Græcos Themistocles (quem virtus sua victorem, iniuria patriæ, Imperatorem Persarum fecerat) vt se ab oppugnanda patria abstineret, & Xerxi quoque ad quem confugerat fidem seruaret: instituto sacrificio exceptum patera sanguinem hausit, & ante ipsam aram quasi quædam pietatis clara victima concidit.

Non illaudatus quoque Codrus Atheniensium rex. Interdicebat illis bellum cum Peloponnesijs. Oraculum victoriam Atheniensibus pronunciarat, *si regi ipsorum à Peloponnesio mors afferretur*. Hostes cum rediuissent oraculum, commune edictum proposuerunt, vt in Prælio omnes à Codro manus abstinerent. At ille (nam erat vespera) sarmentarij habitu progressus, à fossa ligna secabat: Venerant autem etiam Peloponnesij lignatum.

Cum his Codrus pugnam incipit, ita vt extenta falce vulneribus eos afficeret. Illi superantes, falcibus eum confecerunt atque cum gaudio discesserunt, quasi strenuo facto facinore. At Athenienses clamore sublato (quid enim moram traherent impleto vaticinio?) ita & robore maiori in prælium procedunt & ante pugnam misso præcone, corpus regis ad sepeliendum repetebant.

Peloponnesij re cognita, in fugam versi sunt. Athenienses vero parta victoria Codro decreuerunt heroicos honores, quod populum propria morte seruasset. Addam & his Dauidem, cuius regis probitas & iustitia eo maior visa est, quod crudelitatem, & impietatem Saulis secuta est. Illius erga populum charitas, cum in multis, tum in eo præcipue apparuit, quod postquam ob illegitimam simul & arrogantem plebis enumerationem puniendus, de tribus malis vnum optare cogeretur, neque famem in terram suam, neque cædem suorum ab inimicis inferendam elegerit, cum sibi & frumenti satis suppetere posset vt regi, & multorum armis

mis tectus, necem ipse minus timeret. Elegit autem communem tam sibi quã reliquis omnibus metum pestilentiam, imo quam in se potius, qui deliquerat, quam in alijs desæuituram speraret. At vbi vidit se prætermisso populum vastari, cædique Angelo percutiente, exclamat. *Ego sum qui peccaui, ego inique egi. Isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Qua pietate Diuinam placauit iram, sibique & ijs qui superfuerant, veniam impetrauit, tam iustus in pœna eligenda, quam promptus in perferenda. Possem & multos alios producere Principes, quibus magna fuit cura Publicæ salutis. Sed nulli maior quam Regi Regum Iesu, qui suos à tyranno, & sanguine pretioso redemit, & prælio singulari vindicauit, & morte sponte susceptа liberauit. In modo nostræ redemptionis, tria nobis commendabat intuenda D. Bernardus.

Hãc curauit Iesus.

Non enim simplex aut modica illa exinanitio pro redemptione nostra fuit, sed semetipsum exinaniuit vsque ad carnem, ad mortem, ad crucem. Quis, inquit Bernardus, digne penset, quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum maiestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis. Non valuit opus suum reparare creator, & absque ista difficultate? Valuit sed maluit cum iniuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis, vltra reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis, difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat facilitas creationis. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus?

Ser. 11. super Cant.

Gratis quidem conditus sum, sed nullo auctoris grauamine vel labore. Si quidem dixit, & factus sum, quemadmodum & vniuersa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaueris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, vnde amoris causam habere debuerat, idq; ad excusandas excusationes in peccatis.

Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo dispendium fecit: de Domino seruus, de diuite pauper, caro de verbo; & de Dei filio, hominis filius fieri non despexit. Memento iam te & si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At vero per totos triginta, & aliquot annos operatus est salutem in medio terræ. O quam laborauit sustinens, carnis necessitates, hostis tentationes, crucis ignominiam, mortis horrores? Necessariè quidem. Sic iumenta & homines saluasti Domine, quemadmodum multiplicasti, misericordiam tuam Deus. Hæc igitur beneficia Regis nostri, meditamini, in his versamini.

Claudat istud virtutum regiarum agmen, Clementia, propter quam ad regem, tanquam ad clarum ac beneficum sidus certatim aduolant populi. Licet enim clementia hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus; quanto plus habet apud illos quod seruet, quantoque in maiore materia apparet. Ferarum est, nec generosarum quidem, præmordere & vrgere proiectos. Elephantes leonesq; transeunt, quæ impulerunt. Ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæua, nec inexorabilis ira. Non multum enim supra eum eminet, cui se irascendo exæquat. At si dat vitam, si dat dignitatem periclitantibus & meritis, amittere facit, quod nulli nisi rerum potienti licet. Vita enim etiam superiori eripitur, nunquam nisi inferiori datur. Seruare, proprium est excellentis fortunæ: quæ nunquam magis suspici debet, quã cum illi contingit idem posse quod Dijs, quorum beneficio in lucem edimur, tam boni quam mali.

4. Clementia L. 1. de clem. cap. 5.

Laudatus ille Imperator, qui dixit. *Propter me nullus pullam vestem induit.* Laudatus & ille alter tunc cum optauit, Vti-

Pericles. Nero. Theodosius.

Vtinam nescirem literas. Laudatus & Theodosius in cuius ore illud, *vtinam mortuos possim suscitare.* Sed magis laudatus Iesus Rex, totus mitis, & humilis corde; totus clemens & delectabilis mente, imo ipsa ipsissima clementia.

Hæc propria Christi. Non est audita vox eius foris; calamum quassatum nunquam fregit: linum fumigans non extinxit. Insuper & pro peccatoribus orauit, *Pater ignosce, nesciunt quid faciunt*, & pro omnibus flagitiosis animam deposuit. Christus enim, cum adhuc inimici essemus Deo, reconciliauit nos Patri per sanguinem suum. Denique adeo est clemens in noxios, vt licet septies in die offendat iustus, licet millies & millies irritent eũ peccatores, licet illum toties in suo corpore crucifigant vitijs & cõcupiscentijs suis, tamen omnibus ignoscit, & cum ignouerit, adhuc beneficijs ornat & in immortalitate sideribus coronat. Vidit Esdras, *& in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Cumque interrogaret qui visionẽ videbat Angelum. Ille iuuenis quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manibus tradit?* responsum accepit ab Angelo: *Ipse est filius Dei, quem in seculum confessi sunt.* (4. Esd. 2.)

Talis itaque cum sit Rex noster, iure merito, totos nos illi permittere debemus. Si subijcimus? ab ipso gloria & honore coronabimur in cælis. Amen.



SACRATISSIMO DIE Resurrectionis Domini nostri Iesu Victoris.

Descendit ad inferos, ex Symbolo Apostolorum.

CONCIO I.

De Victoria Christi apud inferos.



ANguipedum bella monstrorum celebrantur apud antiquos. Feliciter gessisse Herculem, tradũt Poëtæ. Diuinæ autem Scripturæ, referunt Danielem, qui Draconem Babyloniorum, bolo iniecto trucidauit. Cædant hæc, rebus gestis à Saluatore nostro. Victoriæ illius, illarum Victorias superant. Namque Iesus non per anguium, sed per sæuissimi Draconis Veteratoris supplicia, hodie ludebat, in inferiorum Regno. De hac Victoria Christi, apud inferos parta, hodiernus sermo.

Cum in Babylone Daniel de idololatria triumpharet, inter alia Draconem ingentem à Babylonijs pro Deo cultum, facta à rege potestate enecauit. *Da*, inquit, *mihi potestatem & interficiam draconem absque gladio & fuste. Et ait rex. Do tibi. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque massas, & dedit in os draconis, & disruptus est Draco.* Magnum, sed nec magnum factum, quod arte factum. Draco enim non aliquo miraculo, non insolita virtute, sed artificio enectus est, quod massas illas concoquere non posset. Sed hoc magnum, imo maximum quod Christus die hodierna confecit, cum Draconem inferni, in ipsius spelæis adorsus, 1. portas principatus infractas effregit, 2. Principem inferni exspoliauit, 3. virtutesque eius elisit atque eneruauit. Ab his enim tribus, magna trophæa apud inferos reportauit. Quid magnum ausus est Daniel, adire antrum

arum in quo Draco sublatebat? Adierunt quam plurimi, & illæsi redierunt. Regna Plutonis, ô quam innumeri ante Christum accesserunt, Illustres, Doctissimi, sanctissimi? Nullus tamen abinde pedem retulit, ne dicam, victoriam reportauit, & *Nemo agnitus est, qui sit reuersus ab infernis.* Dilatauerat enim infernus *os suum absque vllo termino, & descendebant ad illum fortes eius, populus eius & sublimes, gloriosique eius ad eum.* Mox enim, vt aliquis sanctorum expirabat, illico tenebræ inferni illum excipiebant, & intra intranea claustra sepeliebant. Nec Daniel, neque Ezechiel, nec aliquis Prophetarum aut Patriarcharum, imo ne Moyses quidem, qui viuens tanto lumine emicuit, poterat noctis illius æternæ tenebras dispellere. Æreo siquidem vecte, obductæ fuerant portæ inferiorum. Scis quo ære: Quo debitores tenebamur, reatus peccati Originarij. Propter quod, omnes quamuis largo charismate siue in vtero, siue etiam post vterum sanctificati, tenebris damnabantur. Soli Iesu Victoria hæc seruabatur, vt portas æreas, & vectes, ferreos tenebrarum confringeret, namque ipse solus, natus de Spiritu sancto, debito originario non grauabatur.

Ex quibus nemo redux.

Has ille confregit. 1. Victoria Christi porta cõfracta.

Stob. ser. 42.

Corbis ignominia apud Bæotos instituta erat, in eos qui æs alienum non dissoluerent. Ducebatur enim in forum, sedereque iubebatur, super sedentem, corbem inijciebant. Hac notatus ignominia, infamis censebatur. A Deo autem ipso, tenebrarum, pæna adinuenta fuerat, in ære originario obligatos. Hi ducebantur in lymbum terræ, sedereque iubebantur, super sedentes, tenebræ expandebantur, & caligine concludebantur. Nullus Sanctorum erat soluendo: Ideoque nullus erat idoneus, huic scyrpo frangendo, excepto Iesu Oriente, qui sortitione Diuina Sol Oriens, subter quem etiam oriebatur Sol penetrauit, vt pollicitus fuerat, *omnes inferiores partes terræ, & illuminauit omnes sedentes in vmbra mortis ab initio.*

Quid est frangere portas inferni.

expl. loc. Zach. 6.

Sed præstat producere quæ de Iesu Zacharias Propheta. *Ecce*, inquit, VIR ORIENS *nomen eius, & subter eum orietur.* Agnosco Saluatorem Iesum Virum siue dum in vtero Virgineo conciperetur, siue dum ante in Æternitate nasceretur, siue etiam dum post mortem in æternitatem abiret. Deus ab æterno genuit Deum, fœmina illum circumdedit virum, terra quoque postquam dixit. Consummatum est, enixa est virum. Ab vtero ante Luciferum, aspicio illum Orientem, vtpote, emanationem *claritatis omnipotentis Dei.* In vtero post Luciferum cerno quoque *Orientem*, vtpote qui *erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* Post dictum Consummatum est, video eundem *Orientem*, vtpote ad quem orabant. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Ab æterno Orientem, credo illum & Supernè, & *Subternè Orientem*, vtpote, à quo Spiritus sanctus, æque vt à Patre procedit. In tempore Orientem, credo illum & supernè & *infernè Orientem*, vtpote à quo Assumptus homo, æque vt à Spiritu sancto sanctificatus. Post tempora Orientem, credo itidem eundem & supernè & *infernè Orientem*; vtpote à quo & corpus resumptum pulchra luce illustratum, & tenebræ inferni decoro radio irradiatæ. Huic enim Soli, qui *in vtero subter se oriebatur*, dum naturam assumptam illustrabat, dictum est à Propheta. *Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ eius ita & lumen eius.*

Luc. 1.

Psal. 138.

Inter Solem, & Lunam, & cætera Astra discrimen videtis, quod hæc licet claro, licet etiam pleno lumine fulgeant, diem tamen non faciunt, quia non possunt caliginem noctis dissipare. Hoc erat inter Iesum, & illos *fortes, sublimes, gloriosos*, populos, Principes, Mystas, quod licet tanquam stellæ, & velut Luna plena aliqui eorum effulserint, quia tamen lucem diem non exerebant, inter mancipia noctis in tene-

bris desidebant, donec affulgeret *Oriens subter* quem oriretur diu optabile lumen. Excessit tandem ex viuis, & mortuis se admiscens illico in momento egressus de corpore: Orbitas tenebrarum illustrauit, portas æreas æris alieni discussit, repagula ferrea confregit, corbes illos scyrpeos, quibus nonnemo Patrum (etiam ipse *Moyses in hac fiscela*) coopertus detraxit. Non secus atque carbunculus splendores igneos igniens, in regalibus thalamis lucet nocte; sic ille in densissimis inferni tenebris effulsit, purpurea circumperfundens omnia luce.

Mirabantur Gazæi Ciues, robur Samsonis, quod *consurgens media nocte, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, impositasque humeris suis portauit vsque ad verticem montis, qui respicit Hebron.* Longe magis mirabantur Principes tenebrarum, quod Iesus ille qui tam ignominiosa morte decessit, tam prompte quam Sol, quinimo magis prompte quam Sol, portas & valuas inferorum discussit. Sic enim vlulare cœperunt. Quis nam est iste terribilis, & niueo splendore coruscus? Vnde est tam fortis, tam splendidus, tam præclarus? Nunquam talem noster excepit tartarus. Nunquam in nostram cauernam, talem euomuit mundus. Inuasor est iste non debitor; effractor est non precator. Iudicem videmus, non supplicem. Pugnare venit, non succumbere: eripere non manere. Vbi iam putatis socij nostri imitatores dormiebant, dum iste debellator claustra vexabat? Iste, si reus esset, audax non esset. Si enim aliqua delicta fuscarent, nunquam fulgore suo nostras tenebras dissiparet. Sed si Deus est, vt quid huc venit? Si homo est, quid præsumpsit? Si Deus, quid in sepulchro facit? Si homo, quare captiuos soluit? Nunquid cum auctore nostro fœdus composuit? aut ipsum agressus vicit, & sic ad nostra regna transiuit? Certe mortuus erat, certe victus erat. Illusus est præliator noster in mundo, & nesciuit, quam hic stragem procuraret in inferno: Crux illa fallens gaudia nostra, & parturiens damna nostra. Per lignum ditati sumus, per lignum euertimur. Perijt potestas illa, semper populis formidata. Nullus sub sede nostra captiuus palpitauit. En quod gemebundum est, exultat. Nunquam audiuntur antiqui fletus; nulli iam resonant eiulatus, omnis gementium mugitus obmutuit. Nemo vnquam ad nos viuus intrauit, nemo sic audax fuit, nemo sic carnifices terruit. Nunquam in hac habitatione nigra, & caligine semper cæca, iucundum lumen apparuit. An forte Sol de mundo migrauit? Sed nec cælum nobis astraque patent, & tamen infernus lucet. Quid faciemus? Quo conuertemur? Defendere contra istum ouantes domos, & obtinere nostræ cateruæ portarum custodias non valemus. Male intrauimus, tantam lucem obtenebrare nequimus, opprimere tanta præditum virtute non possumus. Nostra quoque vrgeri colla conspicimus, & de nostro insuper interitu formidamus. Quid nunc è cælo plagis recentioribus iusta vltione flagellamur? Nostra nocte contenti sumus, & antris nostris occultari satis habemus. Quare Solis radijs prodimur? Et hæc quidem Principes Gazæ inferioris, postquam conspexissent portas erebi, media nocte, lucente lumine effractas, in quibus Iesus Victor, vexilla candicantia Sole ipso insolito insolata explicauit, & collocauit.

Typus Samsonis. Iud. 16.

Paulus de nostro Bellatore ait, quia erat, *delens quod aduersus nos erat Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, & expolians Principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Propter Diuina iura violata, & iustitiam originalem prostitutā, grande æs conflarant nostri prothoparentes, ideoque à rigido exactore coniecti fuerant in carcerem, donec redderent ad minimum vsque qua-

2. Victoria Christi Patres eliberati. expl. loc. Colos. 2.

quadrantem. Peccatum autem istud, scriptũ erat *stillo ferreo in vngue adamantino*. Quam scripturam neq; sanguis hircorum aut vitulorum; neq; deniq; martyrum aut innocentum diluere poterat: donec veniret Agnus sine macula, qui cruore profuso Adamantinum vnguem comminuit, & chirographum manibus nostris exaratum, eodem sanguine pretioso in redemptionem effuso obliterauit. Hac apocha cruci affixa, audacter ingressus in lymbum, Principatus & potestates despoliauit, vinctosq; de tenebris in libertatem asseruit. Audires illic Crhistum talia ad Patres proloquentẽ: *Ecce quo me cõpulit vestri amor? Suffecerat redemisse; nõ sustinui, quin ipse de carne non exirẽ, atque in inferna propter vos non descenderem*. Patres quoq; Sanctos intelligeres lætis vocibus Saluatorem salutãtes: *Salue Rex noster. Salue optatum lumẽ. Aduenisti, quẽ expectabamus. Iã tuos vultus fulgẽtes adoramus. Redemisti: Illustrasti? Educ de carcere animas nostras, vt cõfiteantur nomini tuo, & viuant*. Adpectorabat tum deinde Christus oẽs ad suum complexum: & mox à vinculis quibus tenebantur dissolutos, *traducebat confidenter*. Ibant longo ordine Patriarchæ suum Prothoparentẽ Adamum sequentes. Alium chorum implebant Prophetæ, Moysen Prothopropheram comitantes. Regium agmen ducebat Dauid, triumphale pæana canens. *Regnauit à ligno, Deus*. Punicabat ante Martyres Abel innocuus, purpuratum exercitum præcedẽs. Pone ipsum Victorem, cẽtum quadraginta quatuor millia signati, qui empti erant de terra, primitiæ Deo & agno. Aaronis quoque Principatus, Sacerdotes, Leuitæ, Cantores, & qui ordinabant testamentum eius super sacrificia: tum deinde promiscua turba iustorum, viri, mulieres, virgines, iuuenes, seniores, oẽs euinculati Victorẽ suũ adorabant. Ipse vero Sacrum labarum, spoliis infernalibus exaratum expandebat, *& expolians Principatus, & potestates, educebat* non trepide, sed *confidenter*. Nemo vnquam tantum numerum captiuorũ, in libertatem vendicauit, quantum Christus Dei virtus & Dei sapientia, qui ait, *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Quotquot itaq; à condito mundo dormierũt, (caue intelligas, quotquot obierunt,) id est, quotquot vnquam morte secunda non discesserunt, sed fide viua animati in viam vniuersæ carnis processerunt, quotq; vnquam sperantes fuerunt in Domino, siue in lege naturæ, siue sub lege scripta, siue iam sub limine legis nouæ, omnes vsque ad latronem in Cruce commorientes benigniore oculo aspexit, & pulcherrima luce illuminauit. Quotos censes? Numera stellas si potes, numera & arenam maris si potes: numerabis tunc & filios Abrahami credentẽ sequentes, quos Saluator elaqueauit. Magnum erat Alexandro nodum Gordium soluisse: sed narrabo ex Iustino. Alexander Gordiam vrbem petijt, quod audierat in vrbe, in templo Iouis iugum plaustri Gordij positum, cuius nexum, si quis soluisset, eum in tota Asia regnaturum antiqua oracula cecinisse. Huius rei causa & origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bobus conductis araret, aues eum omnis generis circumuolare cæperunt. Profectus ad consulendos Augures vicinæ vrbis, obuiam in porta habuit Virginem eximiæ pulchritudinis, percontatusq; eã, quem potissimum Augurem consuleret: Illa audita causa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, regnum ei portendi respondit: pollicetur que se & matrimonij & spei sociam. Euenit inter Phrygas seditio, de rege deligẽdo. Tum oraculum respondit, *obseruarent eum regem quem reuersi in templum Iouis plaustro, euntem reperissent*. Factus obuiam Gordius, rex cõsalutatus, plaustrum in templo consecrauit. Alexander cum venisset, requisiuit, quo exhibito, cum capita loramentorum intra nodos abscondita, reperire non posset, violentius oraculo vsus gladio loramenta cædit, atque ita resolutis nexibus latentia in nodis

Expo. loc. Eccl. 24.

nodis capita inuenit. Magnum itaque putabatur, quod Alexander tot internodia innodata, vno ictu dissoluisset. Non magnum, quia ferro discidisset. Hoc supra omnia maxima magnũ quod Christus confecit, cum tot innodatos, & funibus peccatorum circumplexos, vno radio absoluisset, euinculasset, atque ad veram libertatem traduxisset.

3. *Victoria Christi draco contritus ab ipso.* Sed tertiam victoriæ speciem dum aspicio, video, *Principatus & potestates Triũphatas in ipso* Saluatore. Obseruabat Draco serpens antiquus calcaneum eiusdem, si quo modo potuisset venenatum aculeum infigere, in calcem vitæ ipsius. Falsus spe & expectatione sua. Cõtriuit enim & elisit caput illius pede armato, atque vniuersam virtutem eius eneruabat. Cantabat eidem Dauid, *Draco iste*, inquit, *quẽ formasti ad illudendum ei.* Quid ad illudendum? sicut Daniel massa facta illusit Draconi quẽ iniecta enecauit; sic & Christus cum se permisisset sputis conspui, sordibus aspergi, & sanguini deturpari, bolus in doloribis factus, & pro esca morti obiectus, & hanc & eius auctorem edentauit. *Psal. 103.* *Ero mors tua ô mors*, inquit, *morsus tuus ero ô inferne. Tunc cõtribulasti*, vt psallebat Dauid, *capita Draconũ in aquis, dedisti eum escam populis nigrorum.* *Osee 13.* Quando profluuio luminis sui tenebrionem excæcauit, vires euirauit, & in opprobriũ sempiternum dedit illum quasi escam populis Aethiopum, qui à fumario inferni denigrati. Vidit Ioannes hũc *Angelũ fortẽ descendentem de cælo, qui habebat clauẽ abyssi, & cathenam in manu sua, & apprehendit draconem serpentẽ antiquũ, qui est diabolus & Sathanas & ligauit eũ, & misit in abyssũ, & clausit & signauit super illum.* Cantemus ergo Domino, quia iugum exactoris eius, & virgã humeri nostri superauit sicut in die Madiã. Scita vobis est historia Gedeonis, quando fractis vasculis, in quibus thedas accensas occulebat subitanea luce perculsit Madian, & percussit. Typus erat Victoriæ Saluatoris, qui fracta carnis testa, lucem insolitam in inferno exeruit, & Sathanam Principẽ tenebrarũ perculit exoculauit, exarmauit, & in splendoribus suis triũphauit, nec ipse tantum in se triumphauit, sed & nobis virtutẽ triũphandi concessit. Quam re pusilla? Voce, signo, nictu solo, quo credentes possunt prosternere potentem: Narrabo vel vnum exẽplum. *Narratio de Datio Episcopo Mediolan.* Datius Episcopus Mediolanen. cum propter fidei confessionẽ eiectus Constantinopolim tenderet Corinthum appulit, & ibi ædes à diabolo occupatas intrat, cum nullas alias famulitio suo aptiores inuenisset: Intempesta nocte cum dæmones fremerent, leonum more rugirent, balarent, latrarẽt. *Greg. 13. dialog. c. 4.* Datius expergiscitur, & inquit, *Impurrissime dæmon, tu dixisti: Ponã sedẽ meã ad Aquilonem & similis ero Altissimo, ecce propter superbiam porcis & asinis similis factus es, quandoquidẽ Deo obediri noluisti.* Hac voce confusi dæmones domũ eam deseruerunt. Quid volacius verbo? Verbo tamen illos Sanctus prostrauit, virtute data à verbo increato Iesu, qui hodierna die de illis triumphauit in secula. Amen.

IN EODEM FESTO Resurrectionis Domini nostri.

Surrexit non est hic. Marc. 16.

CONCIO II.

Victoria Iesu Christi.

ZARA ex gemellis Thamaræ vnus, dũ nasceretur, protulit manũ ante Fratrẽ, quasi primo nasciturus: cumque ipsam retraheret, signauit illam obstetrix filo coccineo. Typus erat nostri Saluatoris, quem etiam possumus appellare Zara, scilicet Oriẽtem. Namque in egressu suo, siue ex vtero virgineo, siue ex ligno crucis, placuit illi manum cruentatam prætendere, sed non vano conatu. *Zara typus Christi.* Quando in mundũ nascebatur, *delectabatur ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli mittebat manum*, vt Isaias præuidit. *Isa. 11.* Quando etiam de mundo excedebat, lusus illi fuit

in cauernam laci descendere, *super aspidem & Basiliscum ambulare, & conculcare leonem & Draconem*; vt Ioannes vidit. De hac Christi ex Dracone recepta victoria, hodiernus sermo.

Tam ferox, tam fortis fuit olim Behemoth antiquus, vt neminem illæsum transiret, neminem sauciatum timeret. Quamobrem Deus Iobum coarguens, quasi exprobrasset imbelliam eius dicebat. *An extrahere poteris Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nunquid pones circulum in naribus, aut armilla perforabis maxillam eius? Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis?*

Quid. Non tu, tam potens, qui id vel audeas, nedum conficias.

Quod si ille vir simplex, rectus, timens Deum, recedens à malo, impos ad duellandum, seu debellandum: quis porro potens? Nullus ante: Orientem Principem Luminis nouum Zaram oẽs flagitabant, qui brachio prætento Principem tenebrarum contereret. *Cõsurge*, inquiebant, *cõsurge, induere fortitudinẽ brachiũ*
Isa.51. *Domini cõsurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?*

Tandẽ venit *oriẽs ex alto*, & quod olim
Expl. loc. præostensum parentibus fuerat pede cõ-
Apoc. 20. triuit venenatum caput Draconis. Vidit Ioannes *Angelum descendentem de cælo, habentem clauem abyssi, & cathenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas, & ligauit eũ per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signauit super illum vt non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni.*

Christus ligauit Leuiathan.

Angelum hic non alium intelligo, quam Magni consilij Principem Iesum, in cuius humero cerno & Principatum, & clauẽ Principatus insigne iuxta quod
Isa. 6. ab Isaia prædictum est. *Et factus est*, inquit, *principatus super humerũ eius, multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis: super solium Dauid & super regnum eius sedebit vt confirmet illud*, Principatus vero insignia promittebat ei Deus apud eundem prophetam, & *dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet. & non erit qui claudat, & claudet: & non erit qui aperiat*. Namque ille ipse Iesus, tulit super humeros suos crucẽ Principatus sui: & ille idem Ioanni apparens dixit se habere *claues mortis & inferni.* Quos .n. vult viuificat, quos vult mortificat, deducit ad inferos & reducit.

Cerno deinde in manu noui Zaræ *funiculum coccineum* in eius pretiosissimo sanguine lemniscatum & hunc agnosco, magnam, adamante textili plexam, indissolubilem cathenam in manibus Iesu ad vinciendum Draconem. Descendens itaque in inferiores partes terræ hic nouus Zara, claue Principatus sui aperuit portas inferorum, & apprehensum draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Sathanas, ligauit coccino sanguinis innoxij, misitque in abyssum, clausit & super eum signauit, ne amplius seducat gentes.

Tria sunt vexilla, quæ de trina victoria ex dracone recepta expandit Iesus: nam tria vidit Ioannes facta Draconi à Victore Christo. 1. apprehendit eum & ligauit. 2. misit in abyssum & clausit. 3. & signauit super illum ne seducat. Singula explicabo.

Inprimis Victor Iesus *apprehẽdit draconem & ligauit.* scilicet, ne tantum nocere atque sæuire possit quantum velit. *1 Ne tantopere quã antea nocere possit.*
Antea siquidẽ emiserat Cherubũ stringentem gladium, versatilẽ atq; flãmantẽ in peccatores, ita vt nemo erat quem non configeret, aut igne non adureret malignus, seueras exigens pœnas ab his qui maiestatem violarant. *Fiant viæ illorum* ita seu optabat Dauid seu ostẽdebat, *Psa.108.*
tenebræ & lubricum, & Angelus Domini persequens eos. Idẽ aũt Psaltes orabat, *constitue*, inquit, *super eũ peccatorẽ, & diabolus stet à dextris eius.* Nemo erat sanctorũ ab eo illæsus; oẽs enim sibi in suppliciũ deposcebat, ita vt neq; viri illustres, neque iusti insignes, ab eo intacti. *Ostendit autẽ Zacharia Dominus Iesum Sacerdotẽ magnũ stantẽ corã Angelo Domini. & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Iobũ quoq; illum virũ cui nõ erat similis in

lis in terra, sibi posuerat tanquam signum ad iaculum, quem & in substantia & in familia, & in filijs, & in corpore, & in animo, per Chaldæos, per turbinem, per ignes & tonitrua, per casus domorum, per vxorem, & per seipsum diuexaret.

Postquam autem Victor noster illum apprehendit & ligauit, neque omnes, neque tantum quantum ante, neque tam facile quam ante affligere potest. Sunt quam plurimi in Ecclesia atque fuerunt, qui Dei benignitate à morsu venenato seruati immunes. Qui autem expositi ad certamen singulare, non tantum à Dæmone conturbati, sicut ante. Nunc enim & neminem tentat, nisi eum qui se pronum ad tentandum ostendit: & si quem tentat, in hac arena doctum pugnare, non sine difficultate vel maxima tentat. Habent namque, *vt indicauit Abbas Serenus*, etiam ipsi in suo cõflictu quandam anxietatẽ & tristitiam, & maxime cum fuerint validioribus æmulis, id est, viris Sanctis perfectisque congressi. Alioquin iam non conflictus, nec colluctatio, sed simplex tantum, vt ita dixerim, secura illis esset hominum attributa deceptio. Et quomodo staret illud Apostoli quod dicit. *Non est vobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus?* & illud. *Sic pugno, non quasi aërem verberans.* & iterum. *Bonum agonem certaui.* Vbi enim agon dicitur, & certamẽ, & pugna seu colluctatio, necesse est vt & vtrinque sudor & labor, & sollicitudo subeatur, & æqualiter illos, vel super deiectione maneat dolor atque confusio vel de victoria gaudium consequatur. Vbi alio cum sudore luctante, alius cum otio ac securitate confligit, & ad deijciendum æmulum, sola pro viribus vtitur voluptate & voluntate non pugna dicenda est, nec colluctatio neque certamen, sed iniqua quædam & irrationabilis oppugnationis oppressio. Sed plane laborant, & ipsi non minus impugnantes humanum genus & desudant, vt præualeant de vnoquoq; illam quam cupiunt obtinere victoriam, & retorquetur in illos ea confusio quæ nos manebat, si ab ipsis fuissemus el si secundũ illud, *Caput circuitis eorum, labor labiorum ipsorũ operiet eos*, &; *Conuertetur dolor eius in caput eius.* & iterum. *Veniat illi laqueus quẽ ignorat & captio quam abscondit apprehẽdat eum & in laqueum cadat in ipsum*, scilicet, quem super deceptione hominum molitur. Dolent igitur etiam ipsi non minus & quemadmodum, nos elidunt, ipsi quoq; similiter eliduntur, nec victi sine confusione discedunt. Dolorem permaximũ dolebant adhuc viuente Christo, quando vnico verbo increpabat illis Iesus, vel vt tacerent, vel vt discederent. Vnde etiam confusi vociferabantur, *vt quid venisti ante tempus torquere nos?* Perdolitum est enim illis; quando videbant se à vili homuncione tam seuere cruciari, vt ne gry quidem contra eius edictum gannire possent. Apprehendit ergo & ligauit funiculo coccineo sanguinis sui draconem, ne tantum quantum ei lubido est nocere queat. Ligauit deinde eundem Sathanam, ne tantis viribus, quantis antea sæuiebat, potis esset. Cum enim nulla ei par potestas sit in terra, nam factus est vt neminem timeat, quasi vinculis adamantinis iniectis, & ferreis compedibus impositis; imminuit eius potestatem.

Coll. 7. cap. 21.

Eph. 6.

Psal. 84.

Lego Mardocheum sacco, & cilicio exutum, vestibusque pretiosis indutum, equo regio impositum, atque per vibis Susan plateas, honoris ergo, à primo Principe Imperij Assueri circumductum eidem Amano laqueum reposuisse, Siquidem iussu regio & ipsum, & filios eius alligarunt in Cruce. Typus erat Victoris nostri Iesu, qui positis in sepulchro reduuijs mortalitatis nostræ, & assumpto decore regio, Regem super filios superbiæ Sathanam superbum, miniato funiculo in sua cruce, quam nobis omnibus parabat alligauit.

Mardocheus typus Christi.

Pulchra est victoria quam retulit Iosue de quinq; regibus illo die, quãdo ad preces

Iosuana & Iesu victoria antithesis.

preces eius Sol steterat, diemque produxerat. Ita refert Sacra historia. Reuersusque est Iosue cum omni Israël in castra Galgalæ. Fugerant enim quinque Reges & se absconderant in spelunca vrbis Maceda, qui præcepit socijs & ait. *Voluite* Iosue 10. *saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant. Vos autem persequimini hostes.* Cæsis ergo aduersarijs præcepit Iosue dicens. *Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque reges: qui in ea latitāt: feceruntq;* ministri, vt sibi fuerat imperatum. Cumque educti essent ad eum, vocauit omnes viros Israël & ait ad principes exercitus qui secū erant: *Ite & ponite pedes super colla regum istorum,* qui cum perrexissent, & subiectorum colla pedibus calcarent, percussit eos Iosue, atq; suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi, vsque ad vesperum.

Typus erat victoriæ quam reportauit Iesus de Regibus inferni, illo die, quando Sol & Luna steterunt in habitaculo suo, neque aspicere sustinuerunt, indignam mortem quam obibat Iesus decertans contra phalangas infernales. Postquam enim omnes hostes constantia superauit, illos qui rem auferant in spelæis inferioribus reges agressus est, & vinctos cathena purpurea triumphauit in ligno appensos. Insuper & dedit omnibus potestatem calcandi, super *omnem virtutem inimici.* Origenes exponebat, Regē Hay *inquit*, diximus diabolo posse conferri. Hay interpretatur Chaos, Chaos autem locum vel habitaculum esse nouimus contrariarum virtutum, quarum rex & princeps diabolus est. Hunc Iosue in gemino ligno suspendit. Crux Domini nostri Iesu Christi gemina fuit. Scilicet gemina ratione constat, & duplici. Quia visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est, inuisibiliter vero in ea cruce diabolus, cum principatibus & potestatibus suis affixus est cruci, iuxta quod Apostolus ait. Duplex itaque ratio crucis. Vna illa quam dicit Apostolus Petrus, quod Christus crucifixus nobis reliquit exēplum: & hæc secūda quæ crux illa trophæum Diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus.

Iam nunc postquam noster Iesus permisit, *Ite & ponite pedes super colla regum istorum,* omnes fideles quotquot sunt, magni & pusilli, si modo velint, possunt calcare malignum. Calcabant primo Apostoli, qui dicentes gloriabantur, quod & virtutes cælorum ad nutum eorum egrederentur. Calcabant omnes & calcant eousq; quibus dictum est. *In nomine meo dæmonia eÿcient, serpentes tollent, & non eos nocebit.* Nec tantum regenerati in Christo, aqua lustrali, signaculo crucis, exorcizandi potestate, hanc virtutem habent: habuerunt & alij quibus aliqua credulitas rei Christianæ.

Iulianus Apostata, signo crucis dæmones à se fugauit. Hebræus ille in delubro pernox, eosdem pari virtute profligauit. Quid alios recenseam, quorum plenæ historiæ, qui consimili potentia in Draconem armati, eundem non semel protriuerunt? Non enim sustinet vel aspicere ligni figuram, in quo purpureo funiculo alligatus, cessit victoriam Iesu Christo qui apprehendit serpentem & ligauit.

Famosum robur apud Hebræos Banaiæ filij Ioiadæ viri fortissimi, magnorum operum. *qui percussit duos leones Moab, & ipse descendit & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* 2. Reg. 23. Famosum quoq; apud eosdem Hebræos robur & Samsonis & Dauidis: illius quod in Thānata dilacerauit leonem quasi hædum in frustra discerpens: huius vero quod leones, & vrsos persequebatur, & percutiebat, & prædam eruebat de ore eorū, & si quando consurgerent aduersus eū apprehendebat mētum eorū & suffocabat, interficiebatq; eos. Hæc tamen robora virorum fortissimorū, superabat robur Iesu Saluatoris, qui illum Diabolū tanquā leonem rugientem, & tanquam draconem sitientem animas, non vnum solum principem, sed innumerabiles in ipsius cubili descendens percussit, edentauit, alligauit, clausit in carcere cymmerio, & signauit super ipsum, ne amplius

plius ipse tantum seducat gentes quantum ante seducebat.

Sathan quomodo ligatus. ser. 179. de tempore. Dicet aliquis, vt obseruat Augustinus: Si alligatus est, quare tantum præualet? Verum est fratres, charissimi, quia multũ præualet: sed tepidis, & negligentibus & Deum in veritate non timẽtib. dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis cathenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte, fratres, quam stultus est homo ille quem canis in cathena ligatus mordet. Tu te illi per voluptates & cupiditates sæculi noli coniungere: & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet. Nec extorquet à nobis consensum, sed petit. Narrabo quid acciderit Nathanaëli anachoretæ. Is cum eum solicitudinis pertæduisset, ea relicta, cellam sibi proxime pagum constituerat. Ibi dæmon forma supra modum fæda terribiliq; ei apparens, ac flagellũ manu concutiens, circum strepere ferociter cæpit, vt pauefactum inde abigeret. Insuper iactabundus quod etiã prius habitaculum eum deserere compulisset. *Narratio de Nathanaële Anachoreta in Psa. 103.* Quod vt audiuit Nathanaël, ne qua in re de se gloriari diabolus posset, ad desertũ reuersus, ita illic postea habitauit, vt de cellulæ suæ septo, annos septem & triginta pedem nõ extulerit. Sed rursum Sathan fraude illum aggreditur: agasonem simulat, & asellum panibus oneratum agens, dum sub onere lapsum attollere nititur. Nathanaëlis opẽ inclamat. Suspensus ille restitit. Charitas proximo auxiliũ ferre stimulabat, propositi ratio exire dissuadebat. Dum autem quid factu opus esset secum deliberat, venit in mentem ne forte id quod cernebat, diaboli ad fallendum fabrica esset, & vocanti respondit. *Si Christianus es, Deum deprecare, & ipse adiuuabit te. Sin aduersarius Christi, indignus es cui succurratur.* His dictis visio euanuit. Euidens est, Sathanam non cogẽdo, sed pelliciendo nocere. Beatus ille, qui calcaneo suo semper timet, ne incidat in laqueos maligni, quos statim in capite operis nectit.

Quamobrem, vt alibi monet Augustinus. Caput serpentis obserua. Quid est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum? noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem caput serpentis est. Caput calca, & euades cæteros motus. Quid est caput calca? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggessit. Magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est. Si hanc fraudem feceris, diues eris. Caput serpentis est; calca. Quid est calca? Contemne quod suggessit. Sed magnũ aurum suggessit? Et quid prodest homini, si vniuersum mundũ lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens, obseruasti caput serpentis, & calcasti. Si calcasti, vicisti, & coronam tibi ex sideribus texuisti, quam reddet in illa die Magnus victor Iesus viuens in sæcula, Amen.

CONCIO III.

Surrexit non est hic. Marc. 16.

Christus iam surrexit.

PRopter Astipalæum quendam Cleomedem, insultabat Origenes Gentilibus quod ille ligneum Orbem & arculam ingressus, cum sese interiorem in partem insinuasset, non est intus repertus, sed exterius arte præstigiatoria mox euolauit, cum illum prehensandi gratia, arculam, quidam concidissent. *Lib. 1. contra Celsum.* Præstigiæ fuerint, an fabulæ, quas Origenes exprobrabat: non inquiro. Hoc vero tanquam vnam & vnicam spem nostræ salutis firmiter cum Angelis assero, quia Christus ex clauso sepulchro, *vere iam surrexit.* Quidni enim? Prophetiæ præsignabant: promerita exigebant, spei nostræ rationes requirebant; vt resurgeret. Accinentes itaque Redemptori nostro, *Christus iam surrexit*, istud quod insinuauimus, hodierna dissertatione exsinuare conabimur. *Christus luctur.*

Iacob

Iacob Patriarcha benedicens filijs cũ Iudę precatus bene fuisset, Catulum leonis nuncupauit. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti requiescens accubuisti vt leo.* Locum hunc vel ipsorum Rabbinorum Principes referunt ad Messiam, quem nos credimus Iesum Saluatorem. Quadrant enim omnia. 1. Leo principatum tenet inter animantia terrestria. Christus autem inter omnes prędestinatos. Ipse est enim *vnctus sanctus Sanctorum* prænuntiatus à Daniele. Ipse vnctus *præ omnibus participibus*, prædictus à Dauide. Ipse deinde habens *nomẽ, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*, prænuntius ab Isaia Propheta. 2. Leo simul atque natus est, solus ex animalibus recuruos vngues habentibus, cernit. Christus autem vel statim vt conceptus est, solus ex omnibus rationis compotibus, Diuinam essentiam vidit. *Deum enim nemo vidit vnquam, nisi ipse vnigenitus qui est in sinu Patris*, vt Ioannes asseuerauit. *& nemo ascendit in cælum*, scilicet ad videndam Dei maiestatem, etiam antequam corporaliter ascendisset, nisi filius hominis, qui descendit de cælo, ad assumptionem humanitatis. 3. Leo omnium animantium fortissimus est. Christus autem omnium Sanctorum. Ipse est enim Dei virtus. Ipse Dei digitus. Ipse Dei brachium extinctum, *portans omnia verbo virtutis suæ, & expolians omnes principatus & potestates*. 4. Leo terrori est feris omnibus; vt Hilarius docet, & velut dominans est cæterarum bestiarum, & hic solus per confidentiam & securitatem dormit intrepidus. Terror omnium vigilans est, ipse autem securus in somno est Iesus Saluator, cuius intrepidæ & præpotentis naturæ securitatem, nulla æterni terroris timiditas inquietauit, quando in morte nihil humile, nihil passibile, impassibilis Dei vnigenæ substantia, perpessa, ad instar huius intrepidi animãtis in sepulchro quieuit. 5. Leonis voci tantum terroris inesse, dixit Ambrosius, vt multa animantium quæ per celeritatem possent impetum eius euadere, rugientis eius sonitu, quasi vi attonita, atque icta deficiant: Christi quoq; voci maximus inest terrendi modus. *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, Vox Domini confringentis cedros, vox Domini cõcutiẽtis desertum*, scilicet conuertens gentes, euertens reges, subruens idololatriam, non armis, non pecunijs, non eloquentia, non Philosophia, non arte humana, sed sola voce Apostolorum, quorum *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum*. 6. Physiologus apud Origenem de catulo leonis scribit, quod cum fuerit natus, tribus diebus & tribus noctibus dormiat, tum deinde patris gemitu vel mugitu, tanquam tremefactus cubilis locus suscitet catulum dormientem. Christus tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ sepultus somnum mortis impleuit, omnemque prædam quam leo ille contrarius inuaserat prostrato homine & deiecto, hic leo interripuit. Hoc enim modo & sõnio suo leo fuit vincens omnia & debellans; & destruxit siquidem eum qui habebat mortis imperium, & veluti catulus leonis die tertia à Deo suscitatus resurrexit. Iuxta quod ipse dixit in Euangelijs. *Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus suscitabo illud*, hoc autem dicebat de templo corporis sui.

Expl. loc. Gen. 49. — *In Psa. 131.* — *l. 6. Hexã. cap. 3.* — *Psal. 28.* — *Hom. 17. in Genes.* — *Christus surrexit propter virtutem surgendi sibi inditam.*

Expl. loc. Psal. 65.

Huic peroptime quadrat Vaticinium quod est in Psalmis, de resurrectione Iesu Saluatoris. *In multitudine*, inquit, *Virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* In cuius *multitudine virtutis*? quando? qui inimici? Quomodo *mentiti* sunt Deo? Inimicos Deus habuit non alios atrociores quã Hebręos, de quib. ipse apud prophetam. *Facta est mihi hæreditas mea*, inquit, *quasi leo in sylua*. Hostilis animi signa apparent adhuc dum in corpore Dei plagis exarato, clauis confixo, lancea perforato. Hi itaque capitales hostes mentiti sunt Deo, *in multitudine eius virtutis*: scilicet in Resurrectionis potentia, quam cum assereret dicens. *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, ipsi non intelligentes, & ad visibile Salomonis templum verba detorquentes, menti-

mentiti sunt ei: cum eadem verba falsi testes coram Pontifice producerent. Sed Augustinum interpretem placet eiusdem verbis referre.

Christo mentiti Hebra. in quo?

Is virtutem Dei maxime in resurrectione valuisse dicit. Multi, *inquit*, Sancti, multa miracula fecerunt, nullus eorum mortuus resurrexit: quia & qui ab eis resuscitati sunt, morituri resuscitati sunt. Intendat charitas vestra. Commēdans Dominus opera sua dixit. *Operibus credite si mihi non vultis credere.* Et commendantur etiam præterita opera Prophetarum, & si non eadem, tamen multa eiusdem potentiæ. Ambulauit Dominus super mare? iussit & Petrum. Nūquid non ibi erat ipse Dominus, quando se diuisit mare, vt Moyses cum populo Israël transiret? Idem Dominus illa faciebat. Qui fecit iste per carnem suam, ipse illa faciebat per carnem seruorum suorum. Illud tamen per seruos suos non fecit. Nam ipse omnia faciebat, vt aliquis ipsorum mortuus esset, & resurgeret in vitam æternam. Quia ergo possent dicere Iudæi, cum miracula faceret Dominus fecit hoc & Moyses, fecit hæc & Helias, fecit hoc & Helizeus & illi mortuos suscitauerunt, & multa miracula fecerunt. Propterea cum ab illo signum cōmendans, quod in se solo futurū erat, ait, *Generatio ista praua & amaricās signum quærit; & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti trib. diebus & tribus noctibus: sic erit & filius hominis in corde terræ, tribus dieb. & tribus noctib.* Quomodo fuit Ionas in ventre cæti? Nonne vt postea viuus euomeretur? Hoc fuit infernus Domino, quo Ionæ cætus: Hoc signum propriū cōmendauit: hoc est potentissimū. Potētius est reuixisse mortuum, quā non fuisse mortuū. *Multitudo* itaq; *Virtutis* Domini secundùm quod homo factus est, in virtute resurrectionis apparet. In hac ergo *multitudine virtutis Dei, mentiti sunt: ei inimici ipsius*, Nam cū crucifixerāt, vt potentiā eius minuerent. Mentiti sunt, cū illam magis ostendisset, atque à mortuis propria virtute surrexisset. Mentiti sunt deinde, cum audientes ab ipso. *Soluite templum hoc, & post triduum reædificabo illud; soluite*, in soluam mutauerunt, & exinde falsi testes mendacium concinauerunt, pro *Soluite* quod audierant, *Soluam* quod non audierant reponentes. Sed & tunc *mentiti sunt in multitudine Virtutis Dei.* Quare te dixerunt dixisse *Soluam templū hoc*: & non dixerunt, quod tu dixisti, *Soluite templum hoc*? Vt quasi ipsi se, à crimine soluti templi defenderent sine causa. Christus enim quia voluit mortuus est, & tamen Iudæi occiderunt. Dictum est enim ab Apostolo, *Qui me dilexit & tradidit semetipsum pro me.* Dictum est etiam de Patre: *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnib. tradidit illū.* Si ergo pater filium tradidit, & filius semetipsum tradidit, Iudas quid fecit? Pater tradendo filium ad mortem pro nobis bene fecit: Christus tradendo semetipsum pro nobis, fecit bene: tradendo Iudas Magistrum pro auaritia sua, fecit male. Non enim quod nobis præstitum est de passione Christi, malitiæ Iudæ deputabitur. Habet ille mercedem malitiæ: Christus laudem gratiæ. Prorsus ipse soluerit templum: ipse soluerit qui dixit. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollet eam à me; sed ego eam pono à me, & iterum sumo eam.* Ipse soluit templum gratia sua. Sed hic *in multitudine virtutis Dei mentientur tibi inimici tui.*

Ecce mentiuntur, ecce creditur eis, ecce opprimitur, ecce crucifigitur, ecce insultatur ei, ecce caput agitatur. *Si filius Dei es, descende de Cruce.*

Ecce quando vis ô Iesū animam ponis, & lancea latus perceteris, & Sacramenta de latere tuo deflūunt, deponeris de ligno, inuolueris linteaminibus, poneris in sepulchro, adduntur custodes, ne tollant te discipuli tui. Venit hora resurrectionis tuæ, terra concutitur, monumenta scinduntur, resurgis occultus, appares manifestus. Vbi sunt ergo illi mendaces

daces? Vbi est falsum testimonium maleuolentiæ? Nonne *In multitudine virtutis tuæ, mentiti sunt tibi inimici tui?* Da, & illos sepulchri custodes; referant quid viderint: accipiant pecuniam, & ipsi mentiantur. Dicant etiam ipsi moniti peruersi à peruersis: dicant à Iudæis corrupti, qui in Christo noluerunt esse integri, dicant, *Mentiantur etiã ipsi:* Quid dicturi sunt? Dicite, audiamus. *Mentimini & vos in multitudine virtutis Dei.* Quid dicturi estis? Cum dormiremus nos, venerunt discipuli eius, & abstulerunt eum de monumento. O vere stultitia dormiens. Aut vigilabas? & prohibere debuisti. Aut dormiebas? & quid sit gestum nescisti. Accesserunt & ipsi mendacio inimicorum: auctus est numerus mentientium, vt augeretur merces credentium, quia *In multitudine virtutis tuæ mẽtiẽtur tibi inimici tui.* Ergo mentiti sunt; *in multitudine virtutis Dei mentiti sunt ei.* Nam ipse ait, *Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi quia Dominus suscepit me. Non timebo millia populi circumdantis me.* Ideo enim à somno mortis surrexi, quia *Dominus suscepit,* & verbum assumpsit eum, vt *in multitudine virtutis.* Assumentis, semetipsum suscitaret à morte, & *mentirentur ei inimici eius.*

Psal. 3.

Itaque *mentiti sunt ei, inimici eius,* quia illi *accubuit vt leo;* requiescens in sepulchro, & nemo præter ipsum suscitauit eum. Ille serpens in ligno crucis enectus, & quasi in virgam impactus, à semetipso rediuiuus & quasi in serpentem redanimatus surrexit. Illius corpus floridum, sed à morte exsuccum, tanquam virga Aaronis, Domino assumente & suscipiente resuscitatum, refloruit. His ergo & alijs vaticinijs & figuris adimplendis, *Christus iam surrexit.*

2. Christus surrexit propter merita.

Promerita exigebant vt surgeret. 1. Non decebat inprimis, vt *sanctum Domino, videret corruptionem.* Iuxta quod Dauid prædicabat, quinimo merebatur vt tabernaculum illud Dei cum hominibus, in quo plenitudo Deitatis inhabitabat corporaliter excitaretur, & noua gloria repleretur, atque in templum sanctius inferretur. 2. Optabant omnes sancti, *Surge Domine in requiem tuã tu & arca sanctificationis tuæ.* Si enim arca vetus expers corruptionis; longe magis præstabat animatum Diuinitatis Sacrarium à corruptione suscitari, præsertim cum Iesus non vnquam aliqua corruptela vitiatus. Si arca vetus non semper sub papilionibus: longe magis congruebat, Sacratum Deitatis Conceptaculum, de sub terra reualari: præsertim cum Iesus, non vnquam aliqua lege incinerationis ligatus.

3. Merebatur deinde Ioseph nouus, ex subterraneis claustris educi, & noua immortalitatis gloria donari; vt sicut in humilitate sua habitus est vermis reptans & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, ita in morte agnosceretur leo resurgens, cui accineretur ab omnibus, *Vicit leo de tribu Iuda.* 4. Leoni, vt Plinius habet, tunc est præcipua generositas cum colla armosque reuestiunt iubæ: ita decebat, vt Leo noster Iudaicus resurgeret, gloriamque ex anima beata in corpus diffunderet, & quasi iubis iubare illuminationis illustraret.

5. Samsoni renati fuerant capilli, & virtus reddita intrepida. Sic & Christo qui coram tondente se obmutuit, vt vita attonsa virtusque recondita restitueretur, par quoque fuerat, ab omni lege. 6. *Ad vesperum enim demorabitur fletus,* vt prædixerat Dauid, *& ad matutinum lætitia,* quando in matutino diei hodiernæ corpus in sepulchro positum resumpsit, & nondum reuoluto sed adhuc signato lapide resurrexit.

3. Christus surrexit propter spem roborandam.

Tertio demum exigebant spes omnium mortalium, præcipue credentium, vt resurgeret Christus, propter spem enim resurrectionis, crediderunt Deo, quotquot crediderunt.

Hac ratione promptus erat obedire Deo Abraham, cum illi iussisset in viscera propria sæuire. Credidit enim quod à mortuis posset resuscitare occisum.

sum.

sum. Eadem ratione consolabatur seipsum Iobus, cum vndique afflictus, in sterquilinio sedens testa raderet saniem defluentem. *Scio*, inquit, *quia redemptor meus viuit, & ego rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt Saluatorem meum.* Eadem ratione & Machabæi, lubenter moriebantur. Vnus enim illorum Antiocho ita aiebat. *De cælo ista possideo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despicio, quoniam ab ipso me ea recepturum spero.* Itaq; huic spei roborandæ, cum & Lazarum, & adolescentem, & puellam suscitasset, ipse quoque voluit resurgere, vt homo se animaret. Si quid enim difficile est ad credendum inter mysteria fidei nostræ, est certe ipsa immortalitas animorum, & perinde resurrectio mortuorū. Hanc vt astrueret, semper adlaborauit Deus. Narrabo vnum. Gennadius Carthaginen. medicus, cum de immortalitate animorum dubitaret, viuerentne post mortem, an extinguerentur? viso bis per quietem iuuene, qui primo vrbem pulcherrimam ei ostendit; deinde postera nocte reuersus ab eo petijt, an eum agnosceret? respondit, & nosse se illum, & somnij meminisse. Iterum ab eo interrogatus, *Vbi eius corpus esset, & quid ageret?* Cum respondisset, in lecto esse ac dormire: argumento, cui respondere non poterat, didicit, quemadmodum tunc dormiens cernebat per quietem, quamuis clausis oculis corpus in lecto iaceret: ita vita functo homine, crederet eius spiritum viuere ac videre posse, quamuis tumulo clausum corpus maneret. A somno igitur excitatus, hoc oraculo vt & animorum immortalitatem, & croporum redanimationem recte crederet monitus est. Si etenim anima viuit, & naturaliter diligit corpus cui conuixit, naturaliter quoque appetit, sibi illud redunire. Consolentur se itaque morientes, sibi ipsis hæc verba dicentes.

Narratio de Gennadio medico Carthaginen. in causa resurrectionis & immortalitat. animarum Baron. a. 411.

Est in Christo mea caro, meus sanguis, mea portio. Vbi ergo portio mea regnat, regnare me credo, vbi dominatur sanguis meus, dominaturum me sentio, vbi glorificatur caro mea, me glorificandum esse cognosco. Redemptor itaque noster ideo suscepit mortem, ne mori timeremus; ideo ostendit resurrectionem, vt nos posse resurgere confidamus.

Resurgemus autem; sed vtinam ad vitam non vero ad mortem immortalem. Ad vitam vitalem resurgere, non difficile est, si hic vitam viuere vitalem didicerimus. Vixit illam Christus, dum vixit omni virtutum officio occupatus; & nos quoque si carni commortui fuerimus, & Christo conuixerimus, viuemus: & si cōplantati similitudini mortis fuerimus, & resurrectionis quoque participes efficiemur. Redijt Christus ad vitam immortalem, quod Deo patri semper obaudiens fuerit: vnde etiam doctus euasit, obedire patri suscitāti; & nos si Deo obsequentes fuerimus in hac vita, facile quoque post mortem exaudiemus excitantem; surge à mortuis, & illuminabit te Christus, qui viuit in sęcula. Amen.

FERIA SECVNDA POST Pascha Dominicum.

Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Lucæ 24.

CONCIO I.

Dotes Corporis Resurgentis.

PLacuit Raphaëli Archangelo, quando libuit, dare se comitem itineris Tobiæ iuniori, illustrare oculos senioris Tobiæ, & vtroque quam plurimis diuitijs aucto, ex oculis eorundem disparere. Placuit quoque Magni consilij Angelo, quando adlibuit, discipulis viantibus se iungere, oculos eorum vel prægrauare vel illuminare, & vtroque innumeris bonis diuitato, ex

eorum

eorum oculis disparere. Hæ etenim dotes corporis resurgentis, quas hodie enuntio.

Tandem post planctum quem Ioannes plangebat, eo quod nemo esset in cœlo & in terra inuentus, qui solueret librum septem sigillis obsignatum, placuit Deo eidem per seniorem quendam Cælitem, ostendere Agnum, Leonem septenis cornibus armatum, & totidem luminibus oculatum, *qui venit & accepit de dextera sedentis in throno librum, & aperuit. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno*: tum deinde Angelorum multitudo, quorum numerabantur *millia millium*, eruperunt in voces *dicentium voce magna: Dignus est Agnus qui occisus est accipere Virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et* tunc *omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiuit* Ioannes, *dicentes: sedenti in throno & Agno, benedictio & honor, & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant, Amen. Et viginti quatuor seniores ceciderũt in facies suas, & adorauerunt viuentẽ in sæcula sæculorum.*

Christus Deus quomodo acceperit diuinitatem.

Posset aliquis vestrum mirari; quid est quod Agno occiso accinũt dicentes: *Dignus est accipere virtutem, & Diuinitatem & sapiẽtiam* & reliqua? Si etenim ille ab æterno est Dei virtus, & Dei sapientia; Si ante secula Deus est ex Deo genitus; Si ante Luciferum gloria, honore, fortitudine atque benedictione præditus: quomodo dignus est postquã occisus est accipere diuinitatem? gloriam? & cætera alia? Quis accipit, quod iam ante habuit? Attendite.

Christus binomius.

Binomium Christum esse, nemo est qui vestrum ignoret, propter binam naturam quæ in eodem Christo, in vnitate personæ coniuncta. Vocatur à Dauide. *simul in vnum Diues & pauper*, à Ioanne Verbum & caro dicitur, ab eodem Ioanne: & Leo & Agnus videtur Diuo Paulo, & in forma Dei esse, & habitu inuentus vt homo in forma serui fuisse prædicatur. Explicabat Diuus Hilarius. In forma, *inquit*, Dei manens, formam serui accepit. Assumpsit non demutatus, sed seipsum exinaniens, & intra se latens, & infra suam ipse vacue factus potestatem, dum se vsque in formam temperat habitus humani, ne potentem immensamque naturam, assumptæ humilitatis non ferret humilitas; sed intantum se virtus incircumscripta moderaretur, inquantum oporteret eam vsque ad patientiam connexi sibi corporis obedire. Quod autem seipsum intra se euacuo faciens continuit, detrimentum non attulit potestatis: cum intra hanc exinanientis se humilitatem, virtute tamen omnis exinanitæ intra vsus sit potestatis. Vagit infans, sed in cælo est. Puer crescit, sed plenitudinis Deus permanet. Ascendit, vbi antea fuit, descendit, qui manet. *Est qui erat, & quod est non erat.* Triumphus plane est quæri ad Crucem, & offerentem se non sustineri; stare ad sententiam mortis, sed inde consessurum à dextris Dei: configi clauis, sed pro persecutoribus orare: acetum potare, sed sacramentum consummare: deputari inter iniquos, sed paradisum donare: eleuari in lignum, sed terram tremere: pendere in Cruce, sed Solem ac diem fugere, exire à corpore, sed reuocare animas in corpora; sepeliri mortuum, sed resurgere Deum: secundum hominem pro nobis omnia infirma pati, sed *secundum Deum in his omnibus triumphare.* *Lib. 11. de Trinit. & 10.*

Christi resurgentis dotes spirituales.

Iam animaduerto vos percepisse, quomodo qui Dei virtus, Dei sapientia, Dei fortitudo, ipse Deus & Dominus maiestatis Iesus, gloria, honore & benedictione ex vtero ante Luciferum plenus: quomodo, inquam, post apertum librum œconomiæ Salutis nostræ dignus fuerit accipere virtutem, sapientiam, Diuinitatem, & reliqua alia: nimirum quia non ipsam Diuinitatem, neque ipsam gloriam, neque virtutem, quam vt Deus habuit ab æterno

coæqualem cum Patre: & vt homo accepit in tempore in virgineo vtero, quando factus in simul Dues & pauper. Verbum & caro, Deus & homo, & qui in forma Dei, idem in forma serui, sed vel exinanitionis virtutis post consummatum opus redemptionis nostræ, redintegratum ius plenariæ executionis virtutis, vel quod magis lubet, deriuationem virtutis, Diuinitatis, gloriæ, honoris, fortitudinis in corpus redanimatum in resurrectione. Nimirum vt sicut Deus ex suæ proprietate substantiæ, est immortalis, inuisibilis, pertingens à fine vsque ad finem fortiter, & lumine amictus sicut vestimento; sic & illud corpus redanimatum, immortale, subtile, agile, illustre appareret, à communicatione refusæ ex anima Diuinitatis gloriæ, incorruptionis & luminis in corpus. Hoc ego intellexerim accepisse Christum post peractum actum obedientiæ: vt resurgens ex mortuis, non amplius moriatur, sed impassibilis omnino perseueret in æternum. Neque amplius crasso, aut pigro, aut opaco, sed subtili, agili, illustrissimoque corpore penetret clausa, peruolet ad distantia, effulgeat inter tenebras gloriosus Iesus.

Adiunctitio ad horam corpori, virtute sibi indita Angeli communicabant, vt nec vulnerari, nec loco aliquo concludi aut teneri potuissent, sed & ictum non sentirent, & in loca clusa clausis ianuis penetrarent, quidni multo magis poterat Christus assumpto in perpetuum, & postea rediuiuo corpori istas dotes erogare, vt & inuulnerabile propter impassibilitatem: & penetratiuum propter subtilitatem foret? præsertim si istud naturale, ab Angelo vero adiunctum: illud Diuinitate repletum, hoc Angelica mente vacuum: illud animatum, hoc autem vento inflatum: illud dolorum, mortis, ignominiæ & clausuræ particeps, hoc vero exsensum. Sane iustitiæ rationes exigebant, vt con sors passionis fieret consors & impassionis, socius carceris & crucis, esset quoque socius liberæ penetrabilitatis, quæ à subtilitate venit.

Si deinde Angeli, aduentitium & subuentaneum corpus, mira agilitate præpes faciunt, & refuso splendore illustrant? magis poterat magisque debebat Christus Deus redanimatum socium corpus, & agilitate celerare, & claritate illustrare, cum videlicet illud idem corpus antea, & itineribus longinquis fatigatum lassesceret, & sputis, sordibus, sudore sanguineo, grummis concretis, vibicibus, liuore obscuratum vix dignum, imo ne dignum videretur aspectu, vt qui de torrente bibebat, superexaltaret caput, & qui particeps in tribulatione, particeps quoque esset in regno.

Et quoniam in hunc locum Psalmographi incidimus, in quo mentio Messiæ Christi, qui de torrente in via bibit, & ideo exaltauit caput, videamus quis est ille qui *bibit de torrente*, & hinc habebimus confirmationem eius doctrinæ quam retuli, quomodo scilicet secundum deriuationem in corpus acceperit Diuinitatem. Quis ille est qui bibit; Recenseamus totum Psalmum. Ille bibit de torrente, qui *ex vtero ante Luciferum genitus in splendoribus Sanctorum, in die virtutis Diuina, principium erat in principio*, apud Patrem. Ille bibit de torrente, cui *dixit Dominus, sed à dextris meis*, inquit, *donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Ille bibit de torrente, cui *iurauit Dominus, & non penitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ille de torrente bibit, qui *confringit in die iræ suæ reges*, qui *iudicabit in nationibus*, qui *implebit ruinas* Cęlest.s, qui *conquassabit capita in terra multorum.* Huic autem tanquam vnigenito Patris, cum eadem atq; Patri sit *vna Diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas* paritis virtus, a quo celsa sedes ab ęterno, ideo vt Deus, non habebat quo altius attolleret caput. At quia vt homo de torrēte bibit, vt homo sudauit in horto, vt homo vinctus ductus est per torrentem Cedron, vt homo

Propter humilitatis meritum.

Expl. loc. Psal. 109.

mo

mo in Cruce crucifixus proclamauit illud nobis optatum *Sitio*, ideo vt homo exaltauit caput, quando propter obedientiam vsque ad mortem præstitam, exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur cœlestium terrestrium & infernorum.

Exaltauit deinde caput, quando qui olim vulneratus, inuulnerabilis, qui vinctus & conclusus, omnia permeans, qui laboribus confectus, sine labore cuncta peruadens; qui denique sordibus & vibicibus liuens, postmodum lumine illustratus de Sepulchro euaserit, propter redundantiam ab anima luminis, gloriæ, virtutis, fortitudinis, subtilitatis & fulgoris in corpus rediuiuum.

Erat nuper tempus, cum *vidimus eum, & non erat ei aspectus*: nunc vero etiam ipsi *Angeli desiderant in eum prospicere.* Qui claudebatur, clausis ianuis ingreditur, qui fatigabatur in itinere in momento transilit colles, qui vulnerabatur: iam non amplius moritur, qui spinea corona, clauis, lancea configebatur, Stellas in manibus, Solem in facie, sidera in capite gestat, lumine insuper decoro totus quantus erat amicitur.

Narratio de quodã dubit. de Christi resur. Barõ. ann. 1112.

Aliquis olim dubitauerat quomodo possibile fuit Christum ex clauso tumulo exire? Hunc vt instrueret Diuina virtus cui nihil impossibile, cingulum de eius femore, vt erat ligatus & vinctus, insolutum deiecit ad pedes. *Quomodo tua zona indissincta per tuum femur, desiliit, si dicere non potes esse impossibile, ita & ne dicito esse impossibile, Christum clauso sepulchro exiuisse.*

Gloria Christi resurg. Zach. 3.

Pulchrum erat Zachariæ videre Iosedechum summum Pontificem, quando Angelus iubebat, *Auferte*, inquit, *vestimenta sordida ab eodem, ponite cidarim mundam super caput eius.* Magis tamẽ pulchrum erat aspicere, quando Deus assumens, animæ per quam sibi copulauerat corpus assumptum innuebat, vt corpus illud quod depositum erat in sepulchro resumeret, redanimaretque, & redanimatum nouis dotibus Diuinitatis diuitaret, vt scilicet quod erat *seminatum in corruptione*, surgeret *in incorruptione*; quod seminatum *in ignobilitate*, surgeret *in gloria*: quod seminatum *in infirmitate*, surgeret *in virtute*, & quod denique pro ratione corpulentiæ nihil *animale* erat sepultum, surgeret demum *spirituale*. *1. Cor. 15.*

Delectabile & honorificum erat Ioseph Saluatori Ægypti, quando ad regis Imperium eduxerunt eum de carcere, & totonderunt, ac veste mutata obtulerunt Regi: tum deinde quando Pharao tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina & collo torquem auream circumdedit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti, & cum demum, tradidit ei potestatem, ne quisquam aut manum aut pedem moueret in omni terra Ægypti, atque vertit nomen eius, & vocauit lingua Ægyptiaca Saluatorem mundi. Sed non minus, imo magis honorificum fuit Iesu illi qui nuper vili pretio venditus sanguinem sudabat, ligabatur, ducebatur, percutiebatur, iudicabatur, spinis cruentabatur, scorpionibus cædebatur, flagris verberabatur, sub crucis pondere ruebat, vinum felle mixtum gustabat, cruci affixus & mille sannis atque opprobriis exsatiatus animam efflabat, quãdo ex carcere sepulchrali eductus, annulum immortalitatis, stolam byssinam luminis, torquem aureum subtilitatis, currum secundum agilitatem, iudiciariam deinde potestatem; super omnia autem nomen quod est super omne nomen accepisset, vt omne genu ei inflectatur, tanquam Saluatori Orbis vniuersi.

Talem se ostendit Ioanni inter media candelabra apparens, Primogenitus mortuorum & Princeps regum terræ, α & ω, Principium & finis, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Omnipotens. *Vidi*, inquit, *in medio septem candela-*

delabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea, caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tanquam flamma ignis, & pedes eius similes auricalco, sicut in camino ardenti: & habebat in dextera sua stellas septem, & facies eius sicut Sol lucet in virtute sua. Felices tunc prædicabat cruciatus illos propter quos eius corpori tanta felicitas, scilicet ab intermedio latronum ad intermedium Cælitum transferri; pro veste illa coccinea, & alba irrisoria poderem immortalitatis & Regiæ virtutis paludamentum induere: pro funiculo, zonam auream incorruptionis accingere; pro corona spinea, candidari luce syderea: pro velamento oculorum, splendoribus igneis nictare; pro catenis ferreis agilitatem alitum præuolare; pro sceptro arundineo vel pro clauis acutis stellatas manus aperire; & pro liuore, Sole illustrari; & pro suprema illa ignominia summa gloria, honore, benedictione, fortitudine, Diuinitate & Virtute decorari & beari contigerit. Scio & nos omnes ad consimilem gloriam aspirare. Si tamen aspiramus, cogitemus quando hæc munera felicitatis extremæ Saluatori contigerint. Dices, inquit Augustinus: quando surgimus? Modo iubemur sedere; quando erit nostra surrectio? Quando fuit Domini. Ad ipsum attende, qui te præcessit. Nam si non ipsum attendis, *in vanum est tibi ante lucem surgere.* Ipse quando exaltatus est? Cum ex obedientia propter nostram salutem mortuus est. Ergo & tuam exaltationem post mortem spera.

Resurgunt nonnisi humiles.

In Ps. 126.

Surrexit tamen ille postquam sedit & manducauit panem doloris. Sessio est signum humilitatis. Vnde & fatigatus ex itinere humiliatus, sedit, & antequam crux pararetur in monte sedit. Ideoque dixit. *Domine tu cognouisti sessionem meã,* & postea dixit, & resurrectionem meam. Ideo etiam nos monet Psaltes. *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris,* nimirum vt nonnisi post humiliationem quæramus exaltationem, & post panem lachrymarum speremus panem Angelorum, atque post cinerem & cilicium, expectemus gloriam, immortalitatem, impassibilitatem, sublimitatem, agilitatem, & lucem inadspectabilem in secula, Amen.

CONCIO II.

Visiones Angelorum se vidisse narrantes, qui dicunt eum viuere.

Gloria corporis resurgentis.

NON tam illustri lumine fulget Sol, quando post densas noctis tenebras se exsinuat, aureosque radios in nostrum horizontem spargit, quantum hodie Oriens Sol iustitiæ Iesus, post atrum illum nuperum atrorem. De ista corporis eius gloria, hodiernus sermo.

Mirari aliquis posset, quid est quod Isaias, cum de Passione & morte Saluatoris quam plurima prædixisset, in eodem capite. 52. attexuit mentionem de eiusdem generatione. Ita enim inquit. *Vidimus eum & non erat aspectus, non est ei species neque decor. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Sicut ouis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se obmutescet & non aperiet os suum. De angustia & iudicio sublatus est, Generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium, propter scelus populi mei percussi eum.* In tam longo textu de passione, & de morte Messiæ, annexa est particula de generatione. Quomodo opportune? Quid passioni cum generatione? Quid generationi cum passione?

Expl. loc. Isai. 3.

Multum per omnem modum. Si recoluerimus eius quod est vulgatum apud Philosophos, *Corruptio vnius est generatio alterius.* Ab hac enim quasi corruptione *Sancti,* quem tamen *non dedit*

Deus

Isa. 53. Deus *videre corruptionem*, ineffabilis nascitura Saluatoris. Ita vt non immerito exclamarit Propheta. *Generationem eius, quis enarrabit?* Generabatur enim tunc Saluator, quando atterebatur, quando ad occisionem ducebatur, quando attondebatur, quando de angustia & iudicio iniquo postquam omnia consummasset, per mortem subleuabatur. Quid? Generabatur? Dixerit aliquis. Moriebatur. Esto sane, moriebatur; sed & generabat. Sed *generationem istam quis enarrabit?* Mira inscrutabilis est nascitura Phænicis: Sed longe magis miranda, & ineffabilis hæc extrema Saluatoris. Phænix vt S. Hieronymus reliquit, auis est in India, & per quingentos annos de Libano implet se aromatibus, & sic nidificat Sacerdoti Heliopolitano mense Famenoth aut Farmuth. Implet aram Sacerdos sarmentis, & ibi Phænix confert aromata & electrum aræ imponit. Et primo Solis ortu Phænix quidem mouet pennas, Solis vero calore accenditur electrum, & sic exuruntur aromata, & ipsa Phænix incenditur. Crastino die de cinere gignitur vermis, secundo pennas effert, tertio ad antiquam redit naturam, Paulo fusius refert Epiphanius in Ancorato. Phænix quingentesimum, inquit, agens annum, vbi cognouerit mortis suæ tempus instare, rogum ex aromatibus sibi construit, eaque in vrbem Aegyptiorum Heliopolim appellatam defert, & propriis pedibus suis ac aliis pectora sua valde pulsans, ignemque à corpore suo proferens, subiectam materiam in loco succendit, atque sic seipsum exurit. Mox in vermem euadit, vermis pennas producit & fit ales.

Phænix symbolum Christi resurgentis.

Epistola de cereo Paschali.

Tertia vero die crescit, & accepto incremento, his qui in eo loco versantur, scriptum ostendit & rursum ad propriam patriam recurrit ac quiescit. Ad consimilem fere modum & Saluator noster, cum in altari Sanctissimæ Crucis, igne charitatis succensus exaruisset, & mortem illam turpissimam in suo nidulo obiisset, velut Phænix speciosissimus in nouam regeneratus est vitam; noua, insolita, & inter omnes vnica pulchritudine, suam condecorans carnem. Multum itaque fuit Isaiæ, attexere passioni generationem. Namque passio, & mors Christi, generatio fuit noua Christi, vt & mors Phænicis, redintegratio eiusdem. Prophetauerat istam Christi generationem Iob. *In nidulo*, inquit, *meo moriar, & sicut Phænix multiplicabo dies.* Accipe, inquit Tertullianus, plenissimum atque firmissimum, huius spei de resurrectione specimen. Siquidem animalis est res, & vitæ obnoxia & morti. Illum dico alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsum libenter funerans renouat, natali fine decedens atque succedens iterum ipse, qui non iam, aliud idem. Nihil expressius, nihil signatius in hanc causam. Deus enim ipse in scripturis suis; *& florebit*, inquit, *velut Phænix*, id est, de morte, de funere. Itaque cum Iobus vel in sua, vel in Redemptoris sui persona diceret, *In nidulo meo moriar, & sicut Phænix multiplicabo dies*, ad hanc ex morte ad immortalitatem nascituram aspexit, postquam Christus in nidulo crucis conflagrans resurrexit, nouamque corpori suo gloriam indidit.

Iob 29. lib. de resurr. carnis. c. 10.

Qui Calcedonio lapidi, Christum nascentem vel etiam renascentem comparauerit, non obscuro schemate eius gloriam adumbrauerit. 1. Calcedonius, vt Isidorus obseruauit, diuturno imbre generatur: & Saluator noster si eius natiuitatem, siue ad mortalem, siue ad immortalem vitam consideres, largissimo imbre progenitus est. Ad vitam mortalem, *descendit sicut pluuia in vellus.* Ad immortalem surrexit, post multa stillicidia lachrymarum Mariæ, vt non immerito Bennoni, filius doloris nuncupetur. Ipse denique de suo imbre dolorem ex quo surrexit testatur. *Intrauerunt*, inquit, *aquæ vsque ad animam meam, & factum est cor meum tanquam cera liquescens, in medio ventris mei.*

Chalcedonius symbol. Christi resurgent.

 2. Cal-

2. Calcedonius lapis oculis albugine obductis medetur. Supra enim pupillas albea nube obfusas appensus, sordes illas in se recipiens detergit, & Saluator noster amarissimo felle passionis quo in cruce inebriatus fuerat, nostrarum animarum absterfit maculas. *Ipse enim dolores nostros tulit, & languores nostros ipse portauit:* Vnde quasi absconditus vultus eius. 3. Calcedonium qui puritati suæ restituere, & sordes ei illitas abstergere cupiunt, in viscera terræ illum abdunt. Hæc enim albuginem & sanguineas sordes illi inhærentes deuorans, ad repercussum Lunæ splendorem (*vt Dioscorus tradidit.*) splendori primo illum reddit, & in aspectum prodit humanum. Aspicite quæso resurgentem Christum, quando & qualem insatiabilis terra eum nobis protulerit. Quando? Ad repercusum Lunæ splendorem, dum scilicet exorientis Solis radijs pallenti lumine repleta Luna, suam mundo subtrahebat Lucem. *Et valde mane, orto iam Sole.* Qualem vero? Suæ vitæ restitutum, & multo fulgentiore gloria conspicuum. Nuper liuebat; nunc candicat. Olim *non erat ei aspectus*, nunc speciosus forma apparet præ filijs hominum. Non ita pridem amictus veste irrisoria, nunc autem stola lucis corrusca. Antea corona spinea cruentatus, nunc diademate sidereo illustratus. *Dominus regnauit decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se virtute,* dum animale corpus in spirituale, ignobile in nobilissimum, terrenum in cælestia corpora superans, infimum in fortissimum, crassum in subtile, obscurum in clarissimum, mortale in immortale reformauit.

Alia ratio Christi resurgētis quam se transfigurantis. Matth. 7. Viderat quidem antea Ioannes, Saluatorem nostrum in monte Thabor, splendore immenso fulgentem, quando *resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix, & nubes lucida obumbrauit omnes.* Sed tamē illa transformatio, longe inferior est hodierna. Proludium lætitiæ illa; hæc ipsa consummatio, pignus illa gloriæ, hæc ipsa gloria. Illa fuit in lumine in vno momento temporis transeunte, hæc in luce sempiterno æuo perennante. Faciem illa demutauerat in Solarem fulgorem, hæc autem vniuersum corpus in plusquam Solarem.

Vestimenta illic candida velut nix, hic autē amiculum integrum tanquam Sol. Lumine Diuino tunc corpus suum candidauerat, non tamen impassibile, non immortale effecerat, neque alijs dotibus ornauerat. In illo enim corpore ante mortis suæ diem, & famem & sitim, & labores, & cruciatus, & denique mortem ipsam sustinuit. *Resurgens autem à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, quod enim mortuus est, mortuus est semel; quod autem viuit, viuit Deo.* Viuit autem, Cherubinos & Seraphinos, & omnes insimul cælites, gloria, maiestate, felicitate transcellens, immenso quodam lumine perfusus. *Videmus eum*, inquit Paulus qui vidit, *qui modico quam* Angeli minoratus fuerat propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.

Qui fortitudinis inuictæ specimen aliquod edunt, solent ab Imperatoribus meritos suscipere honores. Non est Deus minus, imo magis effusus est in suos agonethas. Quos enim videt in arena vitæ huius strenue decertasse, & vel sanguine incendium Ecclesiæ restrinxisse, vel confessione fidei de malignitate triumphasse, vel denique sanctimonia vitæ, carnem, mundum & Sathanam proculcasse, his meritas decernit coronas. Eripit namque de carcere mortis huius, ereptos gloria ineffabili ornat, ornatos euchit ad regna Beata. Neque tantum animas honestat, quinimo & pro qualitate meritorum, dotes immortalitatis præriuat in corpora, dum alijs pondus detrahit, alia incorrupta seruat, alijs vitam quandam vitalem & magis quam vitalem impertit, alia splendore insolito post mortem illustrat. *Dotes corporis glorificati.*

Resurrectionis præcedanea dos est, in Thomæ Aquinatis, Catherinæ

Senen-

Senen. Agnetis Politianæ corporibus: quia per tot sæcula incorrupta perseuerant. Resurrectionis præcedanea dos fuit in Dionysio Areopagita, quod is caput præcisum recepisset, atque in alium locum detulisset. Resurrectionis præcedanea dos in Stanislao tutelari quod eius corpus in minutias dissectum, atque rursus compositum, redintegrasset, & ne cicatricis vestigium reliquisset. Resurrectionis præcedanea dos est, quod Hieronymi corpus cum spiritum reddidisset, subita lux circumfulsit, visi sunt Angeli, & Christi vox audita, quæ illū ad possidendum Cæleste regnum inuitaret. Resurrectionis præcedanea dos est, quod Catherina ab Alexandria vsque ad montem Syna translata manibus Angelicis; ibidemque recondita in plusquam mille sæcula perennat. Resurrectionis præcedanea dos est, quod Apostoli nostri D. Adalberti corpus occisum, ne libram quidem argenti pependit, pondere degrauato. Quod si adeo liberalis est Deus in Sanctos, vt resurrectionis succedaneas dotes præriuet in eorum corpora, quid non magis deriuauit in Sanctum Sanctorum? Si in mācipia: quid in Regem Regum & Dominum Dominantium? Si in pugiles, quid in Victorem Victorum, qui triformem belluam prostrauit, elisit, sempiternoque carcere clausit? Proculdubio ampliorem gloriam refudit. Christus enim vt meritis, omnium merita superat, sic decebat, vt & gloria corporis, omnium Sanctorum gloriam superaret, præsertim quia etiam alios excellit gratię plenitudine.

in Christo. Exploratum est apud Theologos, gloriam corporis ex animæ gloria promanare. Non tantum.n. esse & viuere, sed et am alios motus corpori cōmunicat anima, atque inprimis gloriā si qua pollet eidem impertitur. Animus lætitia perfusus, roseo genas conspergit colore, interiusque rubescens, ruborē fundit in corpus. Assimilis quoque erit refusio gloriæ, ex anima in corpus rediuiuum. Quemadmodum enim Sol nubem radijs suis obiectam instar sui splendidissimam reddit: sic anima gloriosa, quando corpori suo coniungetur, ipsum quoque admirabili specie collustrabit. Quanta erit gratia, tanta erit & gloria, & quantus fulgor internus, tantus & externus. Quisnam vero est, qui tantam gratiarum abundantiam quemadmodum Christus recepit? In quonam alio, nisi in Christo *Thesauri & sapiētiæ & scientiæ Dei absconditi*. Super quem Spiritus septiformis quieuit? Saluator itaq; Iesus, cum non ad mensuram accepisset gratiam, sed immensa quodammodo repletus fuerit gloria quasi vnigenitus à Patre, plenus gratiæ & veritatis: immensam quoque gloriam in corpus refudit, quod repercusso radio ac Sol Lunam vel nubem quādam insolito candore illustrauit.

Docti fulgebunt vt splendor firmamenti, & qui erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates? quanto putas fulgore effulsit Doctor Doctorum Iesus?

Fulgebunt iusti sicut Sol in regno cęlorum? quo censes splendore irradiauit ipse iustus iustorum?

Vtinam & nos quoque ad hanc gloriam capessendam resurgamus. Promisit quidem Deus, *Et thronus eius sicut Sol, & sicut Luna perfecta in æternum.* scilicet: quia animæ iustorum fulgebunt sicut Sol, & corpora tanquam Luna perfecta. Per Lunam, *inquit Augustinus*, solent significare scripturæ mortalitatem carnis huius, propter augmenta & detrimenta, & propter transitoriam speciem. Denique & Hiericho Luna interpretatur, & vtique quidam, qui descendebant ab Hierusalem in Hiericho, incidit in latrones, descendebat enim ab immortalitate ad mortalitatem. Similis est ergo caro ista Lunæ, quæ omni tempore, & omni mēse patitur augmēta & detrimēta. Sed erit caro ista nostra in resurrectione perfecta, & testis in cælo fidelis. Itaque si in solo animo perficeremur, tantūmodo Soli nos cōpararet. Rursus si in solo corpore perficeremur, tantūmodo Lunæ nos cōpararet: Sed quia perfi- *expcilos. Psal, 03.*

ciet nos Deus, & in animo & in corpore, secundum animum dictum est, *sicut Sol in conspectu meo*; quia animum non videt nisi Deus: *& sicut Luna* iam caro *perfecta in æternum*, in resurrectione mortuorum, *& testis in cælo fidelis*. Vtinam igitur ad hanc Lunaris splendoris perfectionem excitemur. *Omnes quidem resurgemus*, sed (audite horrendum Pauli edictum) *non omnes immutabimur*. Sed cur non omnes immutabimur? Nonne *omnes expectamus Saluatorem nostrum, qui reformabit corpus nostrum configuratum corpori claritatis suæ.*

Expectamus quidem, sed non omnes Saluatorem. Sunt qui expectabunt seuerum iudicem, non clementem Saluatorem. Illi expectant Saluatorem, qui fide viua animati, per bona opera certam suam faciunt vocationem. horum ergo corpora *reformabit, cõfigurabitq; corpori claritatis suæ*: vt quemadmodum ille sic & isti immutentur ad gloriam. Expectemus nos itaque Saluatorem; & habebimus reformatorem, Iesum qui resurget in sæcula Amen.

CONCIO III.

Oportebat pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. c.

Triumphus resurgentis.

NON illaudatæ, nec irremuneratæ futuræ erant operæ, Iudæ Patriarchæ. Ita enim Pater Iacob illi promittebat. *Iuda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filij Patris tui.* Iehda nomen deriuatur à radice. *Iadah* quæ vox habet duas contrarias significationes, s. deijcere seu deprimere, & erigere seu laudare. Iuda ergo simul significans contemptum & abiectum, & erectum seu laudatum, innuit nobis Redemptorem Iesum, quo patiẽte nullus abiectior, nullus deiectior, nullus ab omnib. contemptior; vt etiam illo resurgente nullus esset sublimior, nullus gloriosior. Sic enim *oportebat pati Christum, & postea intrare in gloriam suam*, cũ gloria. De hoc triumpho Resurgentis Iudæ Iesu Principis, hodiernus sermo.

Gen. 49. Iuda signif duplex.

Triumphatoris Iesu gloriam. 1. ab ornatu. 2. à titulis. 3. spectatorib. 4. spolijs. 5. thesauris 6. imaginibus. 7. captiuis. 8. ouationibus. 9. comitibus, & ab alijs triumphi speciem facientibus, aspiciens Ioannes euulgauit. *Vidi*, inquit, *cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eũ vocabatur fidelis & verax. Oculi autẽ eius sicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen quod nemo nouit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo & mundo. Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex Regum & Dominus Dominantium.* Inprimis Ornatum Triũphatoris nostri non vulgarẽ aspicio. Fulgeant alij ostro vel purpura amicti: noster Triũphator incessit vestitus amiculo resperso sanguine, quot in eo grumi, tot gemmę, quot concisuræ, tot aperturæ, per quas lumen immensum emicat. Mirantur istud eius paludamentum Cælites dicentes. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? quis iste formosus in stola sua gradiens in multitudine virtutis suæ?* Si tantum facit sui spectaculũ supremis spiritibus, quale non infernis virtutibus? Et quidni mirarentur? Vna in hac purpura, nostri vermiculi gutta, toto Sole illustrior, toto Orbe pretiosior.

Apoc. 19.

Triũphantis gloria. 1. ab ornatu.

Satis ad splendorem indutus erat Herodes, quando vestitus veste regia, tota ex auro & argento fusili siue ductili tecta, sedens pro tribunali, radios Solis excepisset, & reuerberato acumine oculos spectantium perstrinxisset, & velut Sole amictus apparuisset. Nihil tamen ad splendorem ornatus nostri Regis. Hic enim quouis argento splendidior, quouis auro Ophaz diuitior, quouis denique astro pellucidior, qui in Iesu. Circumtulit enim corpus gloriosa claritate splendidum, immortale, impassibile plusquam omni forma speciosum.

Satis ad magnificentiam coronabantur Triumphatores veteres, alij gramineo, alij querna, alij aureo diademate.

Nihil

Nihil tamen ista omnia ad magnificum diadema Triumphatoris Iesu, quod non ex gemmis neque ex lapidibus pretiosis, sed ex stellis contextum, quinimo ex pretiosioribus quam stellę cicatricibus, quas pungentes spinei serti aculei reliquerant, intersertum circumgesserat Rex Regum & Dominus Dominantium.

Satis denique ad pompam triumphatores antiqui, quadriga vel ceruis vel elephantis vel leonibus iuncta vehebantur. Nihil tamen illæ omnes ad pompam Saluatoris. *Currus eius decem millibus multiplex millia lætantium. Quadriga aũt eius Saluatio.* Porro equus cui insidebat. ipse est candor immaculatus, quem præseferebat in carne assumpta & lumine candidante amicta. In summa, vt cælum terram magnitudine, ornatu atque venustate: sic triumphatoris nostri species, decor, atque maiestas aliorum hæc omnia superabat. In mortalium enim triumphis, nihil nisi fucatum, & falsa luce perfusum cernitur, in Christi autem ornamentis, omnia pura luce illustria, nec vllo vnquam æuo peritura.

2. à titulis. Triumphatoribus alijs noui à noua Victoria impositi vel parti tituli præferebantur, & alios quidem Parthicos, alios Gethicos, alios Carthaginenses indigetabant. Nostro Saluatori nobilior quam alijs obtigit nomenclatura. Vt Saluator Orbis, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Fidelis, verax, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Princeps pacis, & Pater futuri sæculi appellaretur: vtpote cui nomen tale datum, quale nemini alteri datum, vt in nomine eius omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum. Hoc enim est tam augustum, vt siue in Orientem, siue in occidentem, siue ad aliam Orbis plagam spectes, quouis temporum æuo, vsque in æternum magnificis laudibus celebretur, non tantum ab his quos è flagitiorum nexibus expediuit, atque in stirpem filiorum Dei inseuit, sed etiam ab illis quos non peculiaribus donis gratiæ amplificauit.

Ad aliorum Triumphum spectandum homines, & ij plerumque flagitiosi confluebant, ad nostri autem regis conspicienda trophæa Orbis vniuersi Principes. 3. à spectator. Duces exercitus Diuini, Ciues cœlorum, Senatores Ecclesiæ, Fundamenta & cardines Regni cælorum, fulgidissima mundi lumina, *dico*, Apostoli conuenerant. Adfuit & Regina cælorum, Diua Diuarum virgo, quæ & gratiarum plenitudine, & virtutum cumulo, & genitricis dignitate cuncta superexcessit creata. Aderant & alij innumeri vtriusq; sexus, grandus & dignitatis spectatores Iosephi, Nicodemi, Simones, Nathanaëles, Magdalena, Martha, Susanna, & aliæ multæ quæ olim ministrabant ei de facultatibus suis, omnes sanctimonia vitæ illustres, à quibus & insolita ratio de morte triumphandi demiraretur, & fides resurrectionis in mentibus credentium roboraretur.

In aliorum triumphali pompa spolia terrena, arma, tela, signa ærea vel marmorea, aurum, argentum vel signatum vel informe, tum denique quicquid naturæ vel artificij æstimatione pretiosum, gemmæ, lapides pretiosi, vestes ferebantur. In Christi triumpho nihil eorum quę terra produxit videntur, sed omnia Diuinis artibus inuenta, ex cælesti gazophilacio omnia prolata, Diuinæque Sapientiæ digito efficta. 4. à spolijs. Ferebantur ex veteri Sinagoga prostrata, omnia quæ ad cultum sacrificij & sacrificantium dedicata erant. Altare aureum, candelabrum aureum, lebetes, phialæ, pellubra aurea, ephod, tunica hyacinthina, rationale, superhumerale, thiara Pontificia, lamina nomine Diuino insignis; arca testamenti, virga Aaronis, vrna mannæ, Tabulæ Smaragdinæ, ipsius demum templi Salomonici schemata, quæ omnia Christus aboleuit, & in semetipso consummauit, factus Antistes purioris Sacerdotij, & Conditor sacratioris Ecclesiæ.

Visebantur & varia instrumenta mortis, falces, rotæ, catastæ, rudentes inferni, catenæ adamantinæ, vncini, fidiculæ, thoraces igniti, & quis alia numeraret, quæ

5. à thesauris — quæ tortor infernalis contra nos excogitauerat? quæ Christus deuicta morte & mortis auctore Triumphato hebetauit. Tum deinde erant qui monstrarent pro veteris Synagogę multo ditiorem gazam ab Iesu Christo Rege Regum mortalibus allatam: Alius ostendebat mare magnum *ad ablutionem peccatoris & menstruatæ*, alius præferebat vnctionis balsama, ad confirmationem labantis & infirmatæ, alius claues regni cælorum, ad aperiendas æreas portas, & claudendas chalibæas, alius Diuinum panem & ex Iesu latere eductum laticem, quo refocillatæ mentes educantur in vitam æternam, alius candidiores stolas, nitidiores vestes, fulgentiores mytras: fragrantiora charismata, diuitiores denarios quos Iesus noster Samaritanus, nouis stabularijs larga manu concessit. Alij deinde torques, armillas, annulos, calceatum hyacinthinum, vestes polymitas ex vellere agni immaculati contextas, scuta fusilia, loricas anulatas, cassides luminis, gladios ignitos, & reliqua sponsalitij vel auctotamenti militaris instrumenta ianuebant, quæ nobis in hoc agone vel militantibus, vel amantibus per Christum concessa. Talibus spolijs diues, & ditans Triumphator noster incessit.

6. Ab imaginibus. — Ostendebantur, & imagines rerum præclare gestarum, excisorum inferni regnorum; hostiumque quos in sua cruce triumphauit subactorum. In ea tabula mors edentula & exfalcata semianimis decumbebat. In alia Draco antiquus edentatus, exungulatus, & semidetritus eiulabat. In alia idololatria effugiens effumigabatur: Erat quæ impietatem, immanitatem, impudicitiam, sub imagine Babyloniæ meretricis prostratæ præsignaret. Vbi enim Christus triumphat, *ait Ambrosius*, non reuinctis post terga brachijs gentes, aut submissa captorum regum colla: nec excisarum vrbium imagines, oppidorumque captorum simulachra cernimus, qualis humanorum solet esse species triumphorum; nec victoriæ terminos regionis fine distinctos, sed ouantes populos nationum quæsitos non ad supplicium, sed ad præmium. Reges liberis affectibus adorantes, voluntarijs studijs Vrbes deditas, & in melius reformatas imagines oppidorum, quas non fucus expresserit, sed deuotio colorauerit, fidei arma victoriarumque iura toto Orbe currentia, captiuum Principem mundi, & spiritualia nequitię, quę sunt in cælestibus, obedientia voci humanæ, subditas dominationes, variarumque virtutum species, non sericis sed motibus micantes: Fulget castitas, fides splendet, & induta mortis exuuijs deuotio fortitudinis, iam resurgit vnus Dei triumphus.

Victorem Iesum sequebantur captiui & comites. *Multa enim corpora Sanctorum surrexerunt; & introierunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt.* Sed quam illustres? Erat ibi cernere Sanctos illos, & venerabiles generis humani aborigines, Adamum, Enochum, Mathusalem, Noë, Semum, Iaphetem, & alios seniores diluuium siue antecedentes, siue suo ordine Christum resurgentem comitantes. Alium deinde ordinem tenebat Sacer Patriarcharum chorus, fidei mysta Abraham, deuotus Isaac, longanimis Iacob, Ioseph Aegyptiorum Saluator, Beniamin adolescentulus, Duodecim illi Patres, cum suis familijs & tribubus. Post hos sequebantur potentissimi Duces, illi qui & terrenis & cælestibus verbo imperarunt, qui populos in mirandis prodigijs transduxerunt, qui luminaria cæli stiterunt, qui leones discerpserunt. Videres illic Moysen, Iosue, Obedem, Iesse, Gedeonem, Samsonem, & alios inclytos Israëlis iudices. Hos proxime comitebantur Reges sanctissimi Dauid, Ezechias, Iosias, Iosaphat, & quamplures alij qui maiestatem regiam religione adornarant. Post istos, Pontifices, Leuitæ, Sacerdotes, ministri templi Dei, omnes qui vel ad iustitiam erudiebant, vel pro delinquentibus orabant, vel aliorum labes expurgabant. His iungebantur Domini vates, Isaias, Ezechiel, Elias, Eliseus cęteraque prophetarum agmina ad instar stellarum radiantia. *Post*

7. 8. Captiuis & comitibus.

hac

hæc vidit, inquit, Ioannes, *turbam magnã quam dinumerare nemo poterat, ex omnib. gentibus, & tribub. & populis, & linguis, hi omnes amicti stolis albis, quas, lauerunt in sanguine agni, & palma in manib. eorum.* Post hos exercitus ille paruulorũ, *qui nomẽ patris habent scriptũ in frontib. suis, qui empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, qui sequuntur agnum quocunq; ierit.* Hi omnes tãquam citharedi quidam voce suauissima concinebant *canticum nouum,* victori & Triumphatori ingredienti Orbem terrarum. Dauid autem cum cantoribus modulos ducebat, *Exurge Psalterium & cithara. Iubilate Domino omnis terra, quia à cruce imperauit;* Sacri autem vates, cum Isaia intonebant. *Lætare Hierusalem, exulta filia Syon, quia venit lumen tuũ. Hymnis decanta laudes Domino, quia gloria Domini super te orta est.* Reges autẽ & Duces, Principes, & viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & Diuinæ mentes vociferabantur, *Salue Deus optime, Salue Rex Regum, Salue Maxime Imperator, Salue gloria, gaudium, corona capitis nostri.* Cæteri vero ingeminabant, *Alleluia, Alleluia,* adgratulantibus Angelorum exercitibus in nouenos choros distinctis, nec deerant qui miscerent.

Salue festa dies alacri dignissima plausu
Qua lætabundo Christi decoraris honore
Surgentis superatq; poli remeantis ad auras
Fortunata dies nimium, nimiumq; beata
Qua sine nube nitens, caloq; egressa sereno
Purpureo cacas perfundis lumine terras
Paschalis referans victricia signa triumphi.

Insultabant deinde alij hostibus triũphatis dicentes. Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est inferne Draco, tuũ horrendũ claustrum? Quomodo cecidisti, qui vulnerabas gẽtes? Quomodo disruptus captiuos vomuisti? Omnes vero iterum atq; iterum congeminabant; Alleluia, Alleluia Regi Regum Dominatori, & Triumphatori Opt. Max. Salus, Virtus, Honor, & Imperium. Lætata est enim terra, *ait Chrysostomus,* quia vidit nouã lucem: Letabãtur Angeli, quia donauit Dominus peccatoribus claritatem. Contremuerũt inferni, nouum sustinentes splendorem. Lætati Patres, in nouam asserti libertatẽ. Sic incuruatum est omne genu Christo Domino, cœlestium, terrestrium & infernorum.

Concludam si prius retulero quid C. Iulius Cæsar, quum venisset Gades dixisset. Is ergo animaduersa apud Herculis templum Alexandri Magni imagine, ingemuit: & quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil tam à se memorabile actum esset in ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subdedisset, atq; de tot gentibus triumphasset, in hæc verba prorupit: *Nos vero quid?* Vtinam nos tali æmulatione ex spectatis imaginibus triumphantis Saluatoris. Fecit quidem magna atque innumerabilia, propter quæ tantam retulit laudem. *Nos vero quid?* Felices nos, si nobis hæc verba sæpius in ore. *Nos vero quid?* Si enim ab his stimulos nobis adijceremus, magnos profectus virtutis faceremus, maximos hostes in triumphum duceremus, atq; summos, & immortales honores mereremur, quos Xistarchus cælestis Iesus decernit in sæcula. Amen. *Iulij Cæsar. dictũ visa M. Alex. imagine.*

FERIA III. IN FESTO Resurrectionis Domini.

Stetit Iesus in medio eorum, &c. Luc. 24.

CONCIO I.

Cur Iesus stetit in medio discipulorum?

NON mediocre solamen attulit Aaron Pontifex, rebus pæne desperatis Iudæorum, quando ignibus de cælo flãmantibus *stetit inter viuos & mortuos,* irã Dei placaturus: Sed multo maius solatium concessit Iesus Sacerdos reb. deploratis mortalium, quando furorib. Diuinis restinguendis, *stetit in medio discipulorum suorum,* viuorum & mortuorum. Cur steterit? mysteria ista aperio.

Flagrante ira Diuina, cum seditiosi Leuitæ

vitæ Core, Dathan, & Abyron, hiatu terræ absorpti, atq; deinde alij igne cælesti absumpti fuissent, dixit Moyses ad Aaron.

Tolle thuribulum & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergēs cito ad populum vt roges pro eis. Iam enim ira egressa est à Domino, & plaga deseuit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. (Num. 16.) Monet Origenes, vt primo historiæ istius imaginem describamus, vt, *inquit*, cum rei gestæ species apparuerit, tunc demum etiam si quid est in hoc loco mysticum requiramus. (hom. 9. in Numer.) Intellige ergo, *inquit*, populum illum Israël in castris per ordines tribuum familiarumque dispositū. Virtutem vero quandam à Deo missam non sparsim sed ex prima aliqua parte cæpisse populum morte vastare, & procedentem per ordinem mortis stragem considera. Post hæc Pontificem indutum vestePontificali procedere, & portantem batillum, atq; ignem cum incenso tendere ad illum locum, in quo per Angelum vastantem mors illata peruenerat, & stantem in eo loco, vbi finem mors dederat primis, & erat vicina postremis. Intuere stantem Pontificem, & obiectione quadam sui viuētes à mortuis dirimentem. Virtutem vero repropitiationis eius, & incensi mysterium erubuisse Angelum vastatorem: & in hoc mortem quidem finitam, vitam vero reparatam. (*Aaron typus Christi mediatoris.*) Si intellexisti historiæ ordinem, & oculis (vt ita dicam) cernere potuisti Pontificem stantem medium inter viuos & mortuos, ascende nunc ad verbi huius celsiora fastigia: & vide quomodo verus Pontifex Iesus Christus, assumpto batillo carnis humanæ, & superposito igni altaris, anima sine dubio illa magnifica cū qua natus est in carne, adiecto etiam incenso qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos & mortuos stetit, & mortem vltra non fecit grassari: sed sicut Apostolus dicit, *destruxit eum qui habebat mortis imperium*, id est, Diabolum, vt *qui credit in eum iam non moriatur, sed viuat in æternum*. Hoc fuit ergo mysteriū quod postea futurum, iam tunc ille qui populū vastabat, expauit. Agnoscebat enim figuram batilli, & ignis, & incensi, & qualis offerenda esset Deo hostia ab eo, qui medius mortuorum viuorumq; constiterat, præuidebat. Et illos quidem tunc imago præfigurata saluauit, ad nos autem salutis veritas ipsa peruenit. Neq; enim indumenta Pontificis, purpura ac lana byssoq; contexta erubuisset Angelus ille vastator, sed ista quę futura erāt indumēta Magni Pōtificis intellexit, & ijs cessit, quib. vtiq; *vniuersa creatura inferior erat*.

Intellexistis, iam crediderim, causam cur Iesus constiterit in medio discipulorum, præ metu mortis semi animatorum, nimirum, vt se ostenderet inter viuentes & mortuos, atq; inter Deum, Mediatorem perfectum. 1. à substantia. 2. ab intercessione. 3. à satisfactione. 4. à recōciliatione, & ad extremum. 5. à sanctione legum necessitudinis, quæ inter Deum & mortales. His enim quinque modis, Redemptor noster Iesus est consummatus Mediator.

Inprimis agnosco Redemptorem nostrum, non vero aliquem alium esse mediatorem *à substantia*. Non enim Angeli boni, *vt Diuus Thomas docuit ex S. Augustino*, recte possunt dici mediatores, inter Deum & homines. Nam cum vtrumque habeant cōmune cum Deo, & beatitudinem & immortalitatem, nihil autem horum cum hominib. miseris & mortalib. quomodo non potius remoti sunt ab hominib. Deoq; coniuncti, quam inter vtrosq; medij constituti? Iesus autem communem cum Deo Diuinitatem, & communem nobiscum humanitatem participauit, atq; adeo in vna persona Deum & hominem coniunxit. Itaque est proximus æque Deo quam nobis, itaque vere per substantiam suam Mediator est Dei & hominum.

Præclare Ephræm Syrus, ex virtutibus & perpessionib. Christi, probat illum esse mediū inter Deū & homines, verū Deū & hominem, verbū & caro. Si nō erat ca- (*Quia Deus & homo, Verbum & caro.*)

ro,

ro,inquit, quisnam recũbebat in pręsepi? Si non erat caro, quisnam fascijs inuoluebatur? Si non erat Deus, pastores quem adorabant? Si non erat caro, Maria quẽ circumdedit? Si non erat Deus, stella in cælo in cuius honorem cucurrit? Si non erat caro, Maria quemnam lactauit? Si non erat Deus, Magi cui munera offerebant? Si non erat caro, Simeon in vlnis quemnam gestauit? Si non erat Deus, cui idem dixit, *Dimittis seruum tuum in pace*? Si non erat caro, Ioseph quemnam accepit, & fugit in Ægyptum? Si non erat Deus, illud, *ex Ægypto vocaui, filium meum*, in quo est adimpletum? Si non erat caro; Ioannes quem baptizauit? Si non erat Deus Pater è cælo cui dixit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*? Si non erat caro, quis ieiunauit & esurijt in deserto? Si non erat Deus, descendentes Angeli cui ministrabant? Si non erat caro, quis inuitatus erat ad nuptias in Cana Galileæ? Si non erat Deus, quis mutauit aquam in vinum? Si non erat caro, panes in cuius manibus erant? Si non erat Deus, quinque millium hominum turbam, præter mulieres & pueros in solitudine, quis pauit quinque panibus, & duobus piscibus? Si non erat caro, quis dormiuit in naui? Si non erat Deus, quis ventos & mare increpauit? Si non erat caro, Simon Pharisæus cum quo comedit? Si non erat Deus, peccatrici quis delicta condonauit? Si non erat caro, supra puteũ ex itinere defessus quis sedebat? Si non erat Deus, aquam viuam quis dedit Samaritanæ, & eam arguit quod habuisset quinque maritos? Si non erat homo, quis gestauit indumenta hominis? Si non erat Deus, quis faciebat virtutes & miracula? Si non erat caro, quis spuit in terram & lutum fecit? Si nõ erat Deus, ex luto oculos cæcorum quis coëgit aspicere? Si non erat caro, in Lazari monumento quis flebat? Si non erat Deus, mortuum iam quatriduanum quis iubendo eiecit? Si non erat caro, super pullum quis sedit? Si non erat Deus, cuinam cum gloria ibant turbę obuiam? Si non erat caro, Iudæi quem apprehenderunt? Si non erat Deus, quis terræ imperauit, & eos pronos humi iecit? Si non erat caro; quis colaphis cædebatur? Si non erat Deus, abscissam auriculam à Petro, quis medicatus est, & restituit in locum suum? Si non erat caro, cuiusnam facies sputa accipiebat? Si non erat Deus, quis spiritum sanctum insufflauit in faciem Apostolorum? Si non erat caro; quis stabat coram Pilato in iudicio? Si non erat Deus, quis Pilati vxorem terrebat in somnis? Si non erat caro, cuiusnam vestes exuerunt & diuiserunt milites? Si non erat Deus, Sol quomodo obscuratus fuit in Cruce? Si non erat caro, quis erat in cruce suspensus? Si non erat Deus, quis terram mouit à fundamentis? Si non erat caro cuiusnam manus & pedes fuēre clauis confixi? Si non erat Deus, templi velum quomodo scissum est, & petræ ruptæ sunt, & sepulchra sunt aperta? Si non erat caro, quis clamauit, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? Si non erat Deus, quis dixit, *Pater ignosce illis*? Si non erat caro, quis in cruce pependit cum latronibus? Si non erat Deus, quomodo dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso*. Si non erat caro, fel & acetum cuinam obtulerunt? Si non erat Deus, infernus cuiusnam voce audita contremuit? Si non erat caro, cuiusnam latus pupugit lancea, & exijt sanguis & aqua? Si non erat Deus, quis portas inferorum contriuit, & vincula disrupit? & cuiusnam iussu mortui è sepulchro egresi sunt? Si non erat caro, Apostoli quemnam viderunt in cænaculo? Si non erat Deus, quomodo clausis foribus est ingressus? Si non erat caro, cuiusnam clauorum & lanceæ plagas Thomas contrectauit manibus? Si non erat Deus, cuinam clamauit, *Dominus meus, & Deus meus*? Si non erat caro, in mari Tyberiadis quis comedit? Si non erat Deus, in cuiusnam iussu impletum est rete? Si non erat caro, quemnam viderunt Apostoli assumi in cœlum? Si non erat Deus, Cœlum cuinam fuit apertum? & potestates

testates quemnam in tremore adorarunt? & pater cuinam dixit, *Sede à dextris meis?* & quæ sequuntur. Ergo Iesum vbique dicentes Deum & hominem, verbum & carnem in vna hypostasi, confiteamur quoque illum esse Mediatorem, qui fecit vtraque vnum, vt sit Medius inter Deum & homines, Deus & homo.

2. Per intercessionem. Facile fuerat Iesu per essentiam Mediatoris, agere Midiatorem per intercessionem. Quid enim talis filius apud patrem non obtineat? Quid ipse homo, à se verbo, non consequatur? Aiebat Dauid, adeo esse beneficum Deum, vt *voluntatem timentium se faciat, deprecationem eorum exaudiat, & saluos faciat illos*, nec illos tantum, sed & multos pro quibus intercesserint. Non immerito pronũtiauit, tantum apud Deum posse sequestros Deum timentes. Nam & meminerat, & viderat, quid olim & semper in gratiam talium concesserit Deus. Orat Abraham pro Penthapolitanis: & impetrasset, si vel decem iustos indidem censuisset. Orat Isaac pro Rebecca; & prolem ei gemellam extorquet. Orat Iacob super duodecim filios, & super eorum nepotes: & multifariam illis benedictionem refundit. Dicit Moyses. *Aut me dale, aut dimitte illis*: & ferecientem dexteram continet Dei. Stat Aaron inter viuos & mortuos; *& statim cessauit quassatio*. Prostat serpens fusilis, inter vix spirantes & exspirantes: & ad aspectum eius sanabantur. Plorat Dauid, in se gladium percutientem retorqueri: *& misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit nunc, contine manum.* Quod si tantum possunt homines in Deum, quid Deus homo in Deum, quid ille qui non Isaacum sed occisum, qui non merita antenatorũ sed sua propria, non verticem sed animum perunctum, non vestem sed mentem virtutibus florentem, non thuribulum sed corpus fragrantissimis charismatibus delibutum Patri ostentat? quid non poterit in Deum? Quid non impetrabit apud eum? præsertim quando cicatrices ostentat.

Lego M. Antonium propter citratrices, impetrasse M. Aquilio absolutionem. Hunc enim cũ defenderet, nec quicquam impetraret, tandem scissis Aquilij vestibus, cicatrices quas aduerso pectore pro patria fortiter suscepit, coram P. Rom. ostendit: & quod fiduciæ orationis non potuit, hoc ostento vim attulit, atque adeo liberationem extorsit. Hoc enim aspectu P. Rom. motum, vt absolueret reum creditum est. *Christi oratio regalis non vocalis in calis.* *Cicatricũ ostensio quid valuit quibusdam.*

Lego quoque Antipatrum propter easdem cicatrices, apud Cæsarem gratiam promeruisse. Accusabatur ille apud hunc Cæsarem ab Antigono. Ille fiducia vulnerum fretus, veste detracta, multitudinem eorum pro Cæsare acceptam demonstrabat, & qua fide Cæsarem coluisset, verbis non esse opus dicebat, *His ego*, inquit, *cicatrices tibi Cæsar, voluntatis æternæ obsides ostendo. Hæc ego fidei meæ depono pignora, & inscriptos corde apices tribuo. Hostes interrogentur pro quo vulnera ista susceperim. Quid in me aliud nisi fidem, quam tibi deferrem, persequebantur?*

Lego itidem Aeschylum Tragædum in quodam drammate impietatis damnatum, cum iam Athenienses parati essent eum lapidibus obruere, ab Amynio fratre iuniore, propter cicatrices ostensas, liberatum fuisse. Hic enim detecta veste, cubitum ostendit manu vacuum. Fuerat autem vnus ex his qui fortissime pugnarant in Salamine, vbi manum amisit, & primum ex omnibus Atheniensibus fortitudinis præmium consecutus est. Cum autem iudices hominis animum, & miserationem intellexissent, repetentes facinorum eius memoriam, Aeschylum absoluerunt.

Christus patri ostendit vulnera. Tantum poterant manus amputatæ, pectora confossa, viscera aperta, vt pro amicis, proque ipsismet reis, pectora barbara emollirent, atque ad misericordiam inflecterent. An non magis vulnera Iesu Mediatoris ad cõmiserationem illicient? & cuius? Eius, eius viscera præsertim cum dicet vel plusquam vocali voce; *Iudæi interrogentur, pro quo vulnera ista susceperim. Quid in me aliud, nisi obedientiam*

stantiam quam tibi Pater deferrem, persequebantur? Quid in me aliud Dæmones nisi amorem quem mortalibus voluntarie debebam, execrabantur? Pro quibus passus; pro iisdem pronus. Miserere, qui iussisti miserare. Hæc quidem Iesus Mediator. Alias rationes mediationis proferrem nisi tempus celeraret. In sequentes reijcio Conciones sequentia. Nunc vero vos moneo & hortor.

Nacti sumus Mediatorem, magis dixerim nostras partes quam suas, magis enim misericordiæ quam iustitiæ, itaque magis hominum quam suas defendētem. Index & iudex esto, susceptio. Nostra suscepit, qui nostris non indiguit. Suscepit igitur, non quod nostrorum egeret bonorū, sed vt sua in nos deriuaret. Oro, obsecro, ne nos extremos ad ea suscipienda ponamus.

Cæcinnæ Pacarij facinus. Memini me legisse, Cæcinnam Romanorum Pacarium cum nequiret militem in concordia retinere, neque ad pacem reducere, quia is proiectus in limine portæ: miseratione demum, quia per corpus Legati eundum erat, clauserit viam. Prostrauit se ille, hi prostratum reueriti conculcare noluerunt: & quem iubentem contempserant, iacenti Pacario, atque ad Pacem viam sternenti obaudierunt. Iesus Saluator noster, magis se dimittit quam aliquis mortalium. Patri ostentat formam serui, & in forma serui receptas plagas; ostentat ibidem & nobis, atque in via Pacis prostratus, hinc Pacem vt ignoscat, hic hominem vt agnoscat orat, atque Pacem publicam stabilire optat. Oro ne per corpus, ne per vulnera, ne per crucem nostri Sanctoris obiectam, transiliamus ad dirimendam reconciliationem. Has cicatrices in indumento nostri noui Aaronis signatas, aspicit Deus, vt pacem nobiscum ineat: oro aspiciamus & nos, vt fœdere adiungamur illi qui Princeps est Pacis, in secula Pacis. Amen.

CONCIO II.

Stetit Iesus in medio discipulorum. Lucæ. 24.

Quamobrem stetit Iesus in medio discipulorum?

MONEBAT olim Isaias Propheta populum Sion, vt lætitiam ingentem conciperet, eo quod inter se Deum reconditum suscepisset. *Exulta*, inquit, *& lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sāctus Israel.* Quod si animis florentibus excipiebant veteres, Deum in medio sui absconditum; multo maiores causas habuerunt Apostoli exultationis, cum vidissent Dominum iam non in vmbris obuelatum, sed in propria specie reuelatum, non iam seuerum vindicem, sed clementem Pontificem, qui se medium inter Deum & homines interposuit pro satisfactione & reconciliatione gentis. Hæc igitur causa est, propter quam stetit Iesus in medio discipulorum. Sed hanc magis discutio.

Pontifex Mosaicus, quando sacrificium pro peccato offerebat, non in propatulo id faciebat, sed se in abdito tabernaculi abscondebat. Ita siquidem edixerat Deus. *Assumpto thuribulo quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, vltra velū intrabit in sancta, vt positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculū, quod est supra testimonium, & non moriatur. Cumque mactauerit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velū, sicut præceptum est de sanguine vituli. Nullus hominum sit in tabernaculo, quādo Pontifex Sanctuarium ingreditur, vt roget pro se, & pro domo sua, & pro vniuerso cœtu Israël donec egrediatur.* *Leuit. 16.* *Pontifex Mosaycus in tabernaculo offerebat, Christus autem in propatulo. cur.* Non in abscondito, sed propalam Sacerdos noster secundum ordinem Melchisedech, sacrificium pro peccatis mundi immolauit; neque in angulo ab hominum conspectibus concluso, sed in medio discipulorum, meritum ob-

oblationis sanctæ deriuauit. Operatus est, *salutem in medio terræ*, inque medio latronum, ante conspectum Orbis, in meridiano offerens semetipsum hostiam, sanctam, viuam, Deo placentem; ideoque etiam ei adhibuit, defluuium salutis *in medio discipulorum*, in luce clarissima, corriuare. Erat causa cur id faceret, scissio veli templi. Namque ipse erat Pontifex, qui se Mediatorem in satisfactionem & reconciliationem interposuit, talem Mystam, qualis nullus Pontificum; & talem hostiam qualem nullus ante Pontificum.

1. *Quia Christus Sanctus Sanctorum.* Pontifex Mosaicus sese occultabat intra tabernaculum testimonij. Non mirum. Quæ enim sanctimonia vel offerentis, vel oblationis? Offerens primum necesse habebat offerre pro seipso, deinde pro populo. Nam ipse tanquam vnus ex populo, multis infirmitatibus & peccatis obnoxius. Itaque nec ille vsquequaque innocens nec ad sanctimoniæ libellam sanctus. Sed nec oblatio Sancta. Quæ enim sanctimonia in carne vitulina aut hædina? Quæ puritas diuina, in sanguine animantis? Si qua erat; erat per aspectum, ad sanguinem *Agni immaculati, qui semetipsum dedit redemptionem pro peccatis* vniuersi Orbis. Quamobrem si nec vllus offerentium innocens, nec aliqua oblatio sancta veteris Sacerdotij, non erat quod vel se, vel oblationem non incontaminatam ostenderet in medio multitudinis. Christus autem quia tam quod Sacerdos, quam quod Sacrificium est, *sanctus Sanctorum est*; Ideo non habuit necesse occultari, imo propalam incedere. Et sacrificium quidem voluit consummare in medio fidelium & infidelium: sacrificij vero emolumenta communicare, in medio discipulorum. Digna sunt quæ Diuus Paulus, de sanctimonia Iesu Sacerdotis, & sacrificantis, & sacrificij protulit dicens. *Talis*, inquit, *decebat vt esset nobis Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & ex-* Hebr. 7. *celsior cælis factus; qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum Sacerdotes, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, semetipsum offerendo. Lex enim homines constituit Sacerdotes, infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.*

Secundo non est mirum, quod Sacerdos legalis se occultabat, quia nec ipse qui offerebat viuens, nec hostia quam offerebat viuens. Nam ipse mortalis, in horas moriebatur, Sacerdotiumque alteri post mortem concedebat. Hostia quoque pro peccato, nonnisi occisa, cremabatur. Noster autem Sacerdos & offert, & dispertit sacrificium in aprico, quia tam quod sacrificans, quam quod sacrificium est, persitierat in æternum. Ita enim Paulus: *Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Alij quoque Sacerdotes offerebant hostias, hodie natas & hodie cæsas, scilicet *pro hoc & nunc & hic* vt Theologi loquuntur. Iesus autem obtulit sacrificium, quod & antequam obtulisset, & posteaquam consecrasset, sempiternat velut hostia viua. Eo sensu dixit Ioannes, *Agnum esse occisum ab origine mundi*, nimirum quia vita hostiæ nostræ viuentis, iam tum ab Orbe condito cum primum Adamum flagitij pænituisset, viuificabat credentes in Agnum venturum. Eodem etiam respectu alter Ioannes Christum aspiciens pronunciauit. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Nimirum quia merito infinito, & tollebat, & tollit, & quamdiu est hodie, tollit & tollet peccata mundi. Propter eundem valorem meriti passionis Christi inæstimabilem, dixit Paulus ex Dauide, quia *sempiternum habet Sacerdotium*; quia scilicet, semel oblatus pro nobis, semper viuit pro nobis, tanquam hostia viuens in

2. *Quia viuens.*

Hebr. 2.

in perpetuum pro nobis. Ea propter si Abelis, in lege nondum scripta, sacrificium salutare illi fuerat; salutare fuerat propter fidem in Agnum venturum. Si in lege scripta, holocausta propitiatoria fuerant; propitium reddebant Deum, nonnisi propter Agnum, quem orabant; *Emitte*, dicentes, *Agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.* Si denique in lege gratiæ, victima acceptabilis est Domino: ideo est acceptabilis, quia ipse est Agnus immaculatus, quem incruenta ratione offerimus, *hostiam viuam & sanctam.*

3. Quia se hostiam Deo placentem obtulit. Tertio nihil est mirandum, si Sacerdos Mosaicus non propalam offerebat, quia non hostiam *Deo placentem*. An audistis quoties in Sacrificos veteres stomacharetur & diceret. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? plenus sum: Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorũ, & agnorum, & hircorum nolui. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris vt ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi.* Et hæc quidem ad Sacerdotes legales, qui talibus hostijs putabant se placere Deo. Non placebant. Nam & ipse Sacerdos noster, testatus est; *Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio.* Mysteria abscondita hic se aperiunt, quæ in his paruulis verbis animaduerto, & dispungo. Pronunciat Saluator, quod olim Deus, *sacrificium & oblationem* Iudaicam *noluerit*. Itaque non erat illa hostia, Deo placens. Sane non placebat. Quæ enim spiritui purissimo, in cruore animantium placentia? Et quia hostia illa non erat Deo placens, ideoque non propalam sanguis eius offerebatur, sed intra velum inferebatur, scilicet vt ostenderetur, non oblationes sed fidem quam oblationes obuelabant, illis temporibus Deo placuisse.

Esa. 1.

Expl. loc. Psal. 39.

Nunc autem Sacerdos Melchisedechianus propalam offert, & propalam oblationem refert, propalam, & in cælo, in splendoribus Sanctorum, & in medio discipulorum in terra prostat, quia *hostiam Deo placentem* offert. Vnde ex hac hostia quam Christus offert, tanta Deo placentia? Ipse mox per Psalmistam ostendit, vnde? quia *Aures*, inquit, *perfecisti mihi*, pro auribus, legit S. Augustinus, *Corpus autem perfecisti mihi.* Vtraque expositio accommoda, ad declarandum pretium inæstimabile hostiæ Christi, Deo placentis. Ideo enim veterum Pontificum hostiæ non Deo placentes, quia nec Sacerdos, nec hostia, auris aut corporis perfecti. Per aurem, obedientiam intelligo. At quis veterum ad nutum obediens DEO? Quis non aliquando refractarius? Cui ex illis, auris in perpetuum forata? Princeps Leuiticus Aaron, vel ipse in exemplum statuatur: qui licet copiosa vnctione perfusus esset, tamen à tot carismatibus, à tot stricturis, à tot cathenis, quibus ne à Deo resiliret tenebatur, audistis quam sæpe retrocesserit. Soli Pontifici Iesu Mediatori nostro obedientiæ auris præ ceteris perforata, & circulo ductili annulata, & cathena insolubili deuincta, vt nunquam à Dei præscripto vel crassum pilum discesserit. *Veni*, inquit, *vt facerem voluntatem non meam, sed eius qui misit me Patris.* Soli etiam eidem corpus adaptatum plenitudine gratiarum, vt esset hostia Deo placens, propter Diuinitatem corporaliter inhabitantem in eo. Vnde & apud Iobum. Heliu dicebat, *Si*, inquit, *fuerit pro homine Angelus loquens vnum de similibus, & annuncians hominis æquitatem, miserebitur eius.* Angelum istum intelligo, *Magni Consilij* Principem Iesum, qui *interpellat pro nobis.* Sed quid pro nobis loquatur, *monet Gregorius*, vt audiamus. Loquitur, *Vnum de similibus.* Mos medicinæ est, vt aliquando similia similibus, aliquando contraria

Expl. loc. Iob. 33.

Christus qualis hostia.

con-

contrarijs curet. Nam sæpe calida calidis, frigida frigidis, sæpe autem frigida calidis, calida frigidis sanare consueuit. Veniens ergo ad nos desuper medicus noster, tantisque nos inueniens languoribus pressos, quiddam nobis simile, & quiddam contrarium apposuit. Ad homines quippe homo venit, sed ad peccatores iustus. Concordauit nobis veritate naturæ, sed discrepauit à nobis rigore iustitiæ. Vitiosus enim homo corrigi non poterat, nisi per Deum. Videri autem debuit qui corrigebat; vt præbendo imitationis formam, anteactæ malitiæ mutaret vitam. Sed videri ab homine non poterat DEVS; ergo homo factus est, vt videri potuisset.

Quia ergo in carne veniens Dominus, non culpam nostram ex vitio, non pœnam ex necessitate suscepit; nulla enim peccati labe pollutus reatus nostri teneri conditione non potuit, atque ideo mortem nostram omni necessitate calcata, cum voluit sponte suscepit: recte dicitur, quod pro tentato homine, iste Angelus, *vnum de similibus* loquitur; quia nec ita natus vt reliqui, nec ita mortuus, nec ita resuscitatus. Non enim cooperante viro, sed spiritu Sancto superueniente conceptus est. Natus autem materna viscera & fæcunda exhibuit, & incorrupta seruauit. Rursum nos omnes, cum nolumus morimur: quia ad soluendæ pænæ debitum culpæ nostræ conditione coarctamur. Ille autem quia nulli admixtus est culpæ, nulli ex necessitate succubuit pœnæ. Sed quia culpam nostram dominando subdidit, pœnam nostram miserando suscepit, sicut ipse ait: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Rursus non vt reliqui suscitatus est, quia nostra resurrectio in seculi finem dilata est; illius vero die tertia celebrata.

Et nos quidem per illum resurgimus; ille autem per se. Neque enim qui Deus erat, sicut nos ab alio vt resuscitari potuisset indigebat. In eo ergo eius resurrectio distat à nostra, quod non per nosmetipsos resurgimus, sicut ipse. Pro eo enim quod simpliciter homines sumus, superiori adiutorio vt resurgere valeamus indigemus. Ille autem eiusdem resurrectionis vim cum Patre, & spiritu Sancto Deus exhibuit, quam tamen solus in humanitate percepit. Quia igitur Dominus verè natus, verè mortuus, verè suscitatus; in omnibus tamen distat à nobis magnitudine potentiæ, sed sola concordat nobis veritate naturæ, bene dicitur, quia pro nobis Angelus iste, *vnum de similibus* loquitur. Cum enim in cunctis operationibus suis immensa nos virtute transcendat; in vno tamen à nobis, id est, in formæ veritate non discrepat. Per hoc pro nobis patri loquitur, per quod semetipsum nobis similem ostendit. Loqui enim ipsius vel interpellare, est ipsum se pro hominibus hominem demonstrare. Et bene cum dixisset, *Vnum de similibus loquitur:* illico adiunxit, *vt annunciet hominis æquitatem*, quia nisi ille hominibus similis fieret, æquus homo ante Deum non appareret. Inde quippe annunciat æquitatem nostram, vnde suscipere dignatus est infirmitatem nostram. Omnes videlicet nos inimica illa persuasio, in culpæ contagio ab ipsa radice polluerat, nullusque erat qui apud Deum pro peccatoribus loquens, à peccato liber appareret; quia ex eadem massa editos æque cunctos par reatus inuoluerat. Proinde venit ad nos vnigenitus Patris, & assumpsit nostram naturam non perpetrans culpam. Sine peccato quippe esse debuit, qui pro peccatoribus interuenire potuisset: quia nimirum alienæ pollutionis contagia non tergeret, si propria sustineret. Bene ergo dicitur, quia in eo quod similis apparuit, æquitatem hominis annunciauit. Intercedens enim pro peccatoribus, semetipsum iustum hominem, qui pro alijs indulgentiam mereretur ostendit. Hostiam viuam, Sanctam, DEO placentem, & ideo inæstimabili pretio, quæ homi-

Christus quomodo fecit pro nobis.

hominem satisfacientem, & Deo hominem reconciliantem.

Qui propter recte Dauid canebat confitens, *quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.* Nam de latere proprio protulit pretium satisfactionis quo placaret patrem; & non guttam sed vndam sanguinis largiter, per quinq; plagas corporis emanauit. Quid nobis debuit facere & non fecit? Potuit vna gutta satis fecisse atque redemisse, totum tamen voluit profundere, vt sibi totum hominem nuncuparet. Itaque non in angulum se abdit, sed inter medios credentes se mediũ sistit, vt Mediatorem perfectum se ostenderet, qui perfecte satisfecisset Patri, atque perfecte reconciliasset hominem Deo.

Platonis redempti gratitudo. Quid vero nos ei pro tanto beneficio? Lego Platonem ab Æginetis captum & inter mancipia vænalem expositum, ne quid indignum pateretur, minis aliquot ab Anicere Cyrenæo redemptum, & honesto comitatu Athenas ad suos remissum, eam gratitudinem beneficijs ostendisse, vt pecuniam redemptitiam Aniceri remiserit, quod cum iste intellexisset, *Profecto*, inquit, *peccatum videri potest, quod non maiore summa iuuerim tantum virum.* Vtinam vel minimam partem istius in nobis gratitudinis. Par & æquiualens non possumus reddere redemptori nostro, quod possumus offeramus animam quam redemit, corpus quod redemit. Amen.

CONCIO III.

Stetit Iesus in medio eorum.
Luc. 24. c.

Cur Iesus in medio discipulorum suorum.



MAGNO stupore stupebat Moyses, cum de repente aspexisset Deum de medio rubi ardentis apparentem. *Vadam*, inquit, *& videbo visionem hanc magnam: quare non comburatur rubus.* Cum vero propius accessisset, Deumque eloquentem audiuisset, *abscõdit faciem suam non enim audebat aspicere contra Deum.* Non mirum itaque si etiam Apostoli, cum inopinato inter se Deum conspicuum auertissent, *conturbati & conterriti, quasi Spiritum existimantes se videre*, fors nec oculos audebant attollere ad Mediatorem suum, qui inter eos constitit. Sed cur hoc erit argumentum Concionis hodiernæ.

Non mirum si Apostoli conterriti obstupuerunt, ad aspectum Redemptoris. Maiores enim ignes quibus flammabat, à Sacro eius conspectu deflagrabant, quam olim Moysis temporibus de rubo emicabant. Cum enim illos alloquitur; *Videte*, inquiens, *manus meas & pedes, quia ego ipse sum, palpate & videte: quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Cum denique hoc dicens, *ostendit eis manus & pedes*, trinum quasi incendium excitat in aspectibus corũ, ex simulachro cicatricum, quas in exarato corpore ostendit, scilicet, 1. quod eos redemisset, 2. quod ornasset, 3. quod vitæ perennis auctor extitisset, vt ab his flammantibus radijs incalescentes, discerent credere in redemptorem, Sanctificare in cordibus Sanctificatorem, & extrema quæque pati pro Resurrectionis auctore. Magni sunt isti ignes, quos ignire cupit, dum cicatrices ostendit & dicit, *Videte manus meas, & pedes*, à quibus vt & nos quoque inflammari mereamur, singillatim discutio. *Christus ignit us inter discipulos.*

Videte, inquit, *manus meas & pedes*, q. diceret, quid pro redemptione vestra sustinuerim. Veteres ita solebant Gratias depingere, quas Charites dicebant, tresque numero fingebant. Vna earum *auersam faciem tenebat, quasi à nobis profecta*, innuebant vt beneficus dati beneficij obliuisceretur. Duæ vero *abeuntem tertiam, versis ad se mutuo vultibus, quasi adorare videbantur*, docebant, vt beneficiatus propter beneficium acceptum grati animi non vnam sed plures significationes beneficio præstaret, & primæ, quidem nomen. *Euphrosyna fuerat*. quod signi- *Hierogl. Gratiarũ imago & offic.*

significat lætitiam, quia hilarem datorem oportet esse. Propterea & pedibus eius *talaria* addebant: quia beneficium non modo hilariter, sed & celeriter oportet dare. *Bis enim dat, qui cito dat.* Secunda vocabatur *Aglaia* propter speciosum nitorem: tertia vero *Pithus*, propter suadelam & blandum in ore leporem, quia beneficiatum oportet & candidum pectus, & linguam desertam beneficio referre.

lib.1.de beneficio S.3. Quærebat Seneca. Quare tres Gratię, & quare sorores sint, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes, & quare virgines, soluta ac pellicida veste. *Respondit* tandem. Alij videri volunt vnam esse quæ det beneficium; alteram quæ accipiat: tertiam quæ reddat. Quid vero consertis manibus in se redeuntium eorum chorus? Ob hoc, quia ordo beneficij per manum transeuntis, nihilominus ad dantem reuertitur, & totius speciem perdit, si vsquam interruptus est: pulcherrimus si cohæsit, & vices seruauit. Ideo ridentes; quia promerentium vultus hilares sunt quales solent esse & qui dant, & qui accipiunt beneficia. Iuuenes, quia non debet memoria beneficiorum senescere. Virgines; quia incorruptæ sunt & sincerę, & omnibus sanctę, in quibus nihil esse alligati decet, nec astricti. Solutis itaque tunicis vtuntur, pellucidis autem quia benefici conspici volunt.

Ad hanc gratiarum imaginem decet esse nos omnes compositos, quotquot copiosam redemptionem à nostro Redemptore suscepimus. Et ipse quidem prompte, hilariter, cito, id quod pretiosissimum apud se habuit, animã videlicet & corpus; & sanguinem pro nobis erogauit. *Videte manus eius & pedes*, quia mortẽ sponte quæsiuit, sponte obiuit: & cum suaderetur, vt descenderet de cruce, noluit se saluare sed vt nos saluaret, sponte vsque ad finem exitus in cruce perseuerauit. Iustum est quoque, vt & nos ad Auctorem salutis nostræ hilari animo aspicientes, nunquam tanti beneficij memoriam patiamur apud nos senescere.

Christus à nobis pro redemptione gratitudinẽ requirit & ideo ostẽtat vulnera.

Par, vt seruus Domino viuat, ille Dominus qui creauit, qui possedit, qui redemit nos mancupes. Dignum est vt ei summas quas possumus grati animi indicationes rependamus, nempe amorem, honorem, venerationem.

Officia etiam feræ sentiunt, *inquit Seneca.* Nec vllum tam inmansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat. Leonum ora à magistris impune tractantur. Elephantorum feritatem vsque in seruile obsequium demeretur cibus. *Adeo etiam quæ extra intellectum atque æstimationem benefici sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis euincit.* Narrabo vnum aut alterum exemplum gratitudinis animantium, erga seruos seruatores. Secabat quidam ex colonis fœnum. Vidit cominus aliquam spiris à Serpente circumplexam; de vita periclitari. Accessit & falce quam tenebat, serpentem ambientem dissecuit, & Aquilam liberauit. Grata hæc beneficij, cum rusticum peruidisset, velle sitim extinguere ex vrna in quam serpens venenum vomuerat, correpto lapide in vngues, cum in altum euolasset, libratum lapidem in vrnam conijciens, Seruatorem suum à præsentanea morte liberauit. In vrbe quoque Sexto, nutrita à Virgine Aquila, vt educationis gratiarum referret, aues quas captabat ad virginem deferebat, & cum postea Virgo decessisset, eodem rogo quo illa ardebat, vltro in eum deuolans, cum virgine combusta est.

Irrationalium erga beneficos gratitudo aquilarum.

Leo deinde in desertis Africæ, ab Androdo quadam curatus (spineam eius pedi infixam euulserat) eundem ex venatione sua multo tempore aluit, & comprehensum atque Romam abductum, & ad Leones damnatum, cum inter alios in cauea conclusus esset, liberauit. Facetum narrabo quod in apologum abijt de leone & musculo. Lasciue discurrentes circum leonem dormientem musculi, ita agitauere incursione sua vnum, vt in dorsum bestiæ

Leonis.

musculi.

bestię differretur. Qui à leone captus, deprecari vitam suam, & excusare imprudentiam facti.

Leo etsi erat commotus, ignouit tamen musculo, & tam contemptum animalculum inuiolatum dimisit, paulo post incautius prædam peruestigans in laqueos incidit, quibus astrictus, rugitum maximum edidit, ad quem procurrens musculus, cernensque in vinculis eum, qui sibi dudum vitam petenti concessisset, gratiam pro beneficio relaturus accedit ad laqueos, & illis corosis leonem omni periculo liberat. Inest beneficij sensus animantibus, hunc eundem in nobis quærit noster liberator, qui nobis & vitam donauit; & donatam conseruauit & amissam restituit, & à sæuiente leone atque dracone infernali liberauit, redemit, inque veram libertatem restituit. *Videte manus eius & pedes*, quid vulnera indicant? quid claui testantur? quid sanguis effusus de terra clamat? Nihil aliud quam lytrum animarũ nostrarum, quod gratis, hilariter, celeriter & liberaliter pependit pro animabus nostris.

Beneficia vnde pondus habent. Docebat Seneca, vnde solet accedere pondus beneficijs, quæ maximam gratitudinem extorquent à beneficiato. *Si*, inquit, *beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent: eo maiora essent quo maiora sunt, quæ accipimus. Id autem falsum est. Nonnunquam enim magis nos obligat, qui dedit parua magnifice: qui regum opes æquauit animo: qui exiguum tribuit sed libenter, qui paupertatis suæ oblitus est, dum meam respicit: qui non voluntatem tantum habuit iuuandi sed cupiditatem; qui accipere putauit beneficium, cum daret: qui dedit tanquam non excepturus, recepit tanquam non dedisset: qui occasionem qua prodesset, & occupauit, & quæsiuit.* His & alijs innumeris rationibus, summam à nobis extorquet gratitudinem Iesus. *Redemptionis non fieri pondus.* Cum enim ostentans corpus licet. *Videte manus meas & pedes*, dedit maxima quæ potuit dare, quæ nullus hominum alius potuit dare, dedit autem magna *magnificè*; *regum* gazas pretio & *animo* quo persoluit nõ *æquauit* sed superauit. Nõ *exiguum* sed inæstimabile *tribuit* libentissime: ipse & diuitiarum & *paupertatis suæ oblitus dum nostram aspiceret*, diuitias & paupertatem suam nobis donauit: ipse non *voluntatem* tantum *iuuandi*, redimendi, ornandique habuit, sed immensum ardorẽ: ipse sibi se satis fecisse putauit, dicam etiam *ipse se accipere putauit beneficium cum daret*, qui cum daret, indigentem vt acciperet oraret: ipse *dedit* nihil à nobis *recepturus*, & si quid recipit laudis, honoris vel amoris, recipit tanquam non dedisset: ipse demum *occasionem* qua prodesset mortalibus, & *occupauit* oblatam, & quæ non esset oblata *quæsiuit* vt offerretur, atque adeo & animo inexplebili benefaciendi, & pretio inæstimabili nos sibi deuincijt. Meruit itaque summam à nobis gratitudinem.

Videte oro *manus eius & pedes.*

Cuiusmodi veterani cõfidẽtiam cicatricia pro Augusto susceptis. Veteranus quidam cum vocatus in jus periclitaretur, adijt in publico Cæsarem Augustum, rogans vt sibi vellet adesse. Cæsar ex comitatu suo selectum illico dedit, eique litigatorem commendauit. Hic miles vociferans: *At non ego Cæsar, periclitante te Actiaco bello, vicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui*, simulque detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atque ipse descendit in aduocationem, veritus ne non modo superbus, verum etiam ingratus videretur. Ibidem fere à nobis exigit Redemptor hodie manus & pedes ostentatus, vt cum non vicarium dederit, sed ipse in cruce suspensus pro nobis his plagis plagatus expirauerit, non vicarios pro nobis, sed nos pro nobis ei obsignemus. Nihil est, *inquit Ambrosius*, quod dignum referre possumus, pro suscepta carne in Maria? Quid pro verberibus? Quid pro cruce obita? Quid pro sepultura? quid pro resurrectione reddemus? Licet crucem pro cruce, funus pro funere: nunquid reddimus quod ex ipso. & per ipsum, & in ipso habeamus

omnia? Reddamus igitur *amorem pro debito, & charitatem pro munere, gratiam pro sanguine, pro pretio pecuniam.*

Secunda causa est cur ostentat manus & pedes, atque dicit, *videte manus meas & pedes*, vt moneret quia non solum redemerit, sed etiam ornarit credentes per sanguinem suum. Vniones Indici, monilia Persica, colores purpurei non tam ornant corpus, quantum sanguis Iesu Christi animas. Occasione cuius ornatus, orabat, & grati animi causa cõfitebatur Dauid Domino dicens. *Custodit*; inquit, *animam meam quoniam sanctus sum.* Sed placet expositionem D. Augustini hic attexere. Hoc vero, *quoniam Sanctus sum*; nescio vtrum potuerit forte alius dicere, nisi ille qui sine peccato erat in hoc mundo, peccatorum omnium non commissor, sed dimissor. Agnoscamus vocem dicentis, *quoniam Sanctus sum, custodi animam meam*, vtique in illa forma serui quam assumpserat. Ibi enim caro, ibi & anima, Sed quia inseparabiliter à corpore suo loquitur cum sic loquitur, & audebo ego dicere, *quoniam sanctus sum?* Si sanctus tanquam sanctificans, & nullo sanctificante indigens, superbus & mendax. Si autem sanctus sanctificatus, secundum id quod dictum est; *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum,* audeat & corpus Christi, audeat & ille vnus homo clamans à finibus terræ cum capite suo, & sub capite suo dicere, *Sanctus sum.* Accepit.n. gratiam sanctitatis, gratiã baptismi & remissionis peccatorum. *Et hac quidem fuistis*: ait Apostolus, enumerans multa peccata & leuia, & grauia, & vsitata, & horribilia, *& hæc quidem fuistis, sed abluti estis; sed sanctificati estis.* Si ergo sanctificatos dicit; dicat & vnusquisque fidelium: *sanctus sum.* Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te? Superbus es. Rursus fidelis in Christo & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum? ingratus es. Arguens enim superbiam Apostolus, non ait; non *habes*: sed ait, *quid enim habes, quod nõ accepisti.* Non arguebaris, quia dicebas te habere quod non habebas: sed quia ex te tibi volebas esse quod habebas, immo & habere te agnosce, & ex te nihil habere: vt nec superbus sis, nec ingratus. Dic Deo tuo. *Sanctus sum*, quia sanctificasti me: quia accepi non quia habui, quia tu dedisti, non quia ego merui.

Itaque propterea, ostendens manus & pedes, monet vt videamus illos: vtpote à quorum sanguine sanctissimum animarum nostrarum.

Tertia causa est, cur eis ostendit vulnera, quæ in manibus, pedibus & latere suscepit, vt innueret, quod ipse esset auctor vitæ perennis animarum & corporum.

Multum debet puer ille Eliseo Prophetæ, quod manus & totum corpus expandisset super eum iam mortuum. Ab illa enim expansione oscitauit puer septies & reuixit. Nota est historia, quam vt oporteat illam repetere. Sed multo maiora nos debemus Christo, qui ideo manus suas extendit in cruce, vt nos de vmbra mortis eriperet, mortuus est vt nos viuificaret, resurrexit vt nos resuscitaret. Dicamus ergo quod Dauid canebat. *Ego autem adijciam super omnem laudem tuam*, quia tu *multiplicasti iustitiã tuã & conuersus consolatus es me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.* Namque multiplicauit iustitiam suam quando nos cum potuisset vi eripere, sanguine redemit non rapuit. Consolatus est nos, quando nos inæstimabili venustate ornauit, & tandem *ex abyssis terræ* reduxit, & reductos viuificauit, & viuificabit iterum corpus mortalitatis nostræ, cõfiguratum corpori claritatis suæ, quod hodie tanquam redemptor, sanctificator, & redanimator noster Patri ostendit in secula. Amen.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

D

Dmna-

E

F

G

H


Hieroglyphica.

I

T

V

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.



Tom 1°

Domin.